31
10 A
38

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
17 A
11

Ex Bibliotheca
Majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

31-10-A-36

BALTHAZARIS

AYALAE, I. C.

ET EXERCITVS
REGII APVD BELGAS
SVPREMI IVRIDICI,

De Iure & Officijs bellicis, & diſ-ciplina militari, Libri III.

Non in multitudine exercitus victoria belli; ſed de cælo fortitudo eſt. 1. Mach. 3.

C.R.



S.J.

BIBL. SEC. COL. ROM. SOC. IESV

ANTVERPIÆ,
Ex Officina Martini Nutij.
1597.

SERENISSIMO
PARMÆ ET PLACENTIÆ PRINCIPI, ALEXANDRO FARNESIO, Regis apud Belgas Præfecto, & Imperatori felicisſimo, BALTHAZAR AYALA I. C. S.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Iqui de republ. ſcripſere, Princeps ſereniſſime, ad reipubl. ſalutē & conſeruationem præcipuè ſpectare cenſent, vt actiones noſtras, iura, & leges, ad veterum mores, & inſtituta maiorū, ſæpius reuocemus. remp. enim, vt picturam egregiam, ſed euaneſcentem vetuſtate, ſi eam coloribus ijſdē, quibus fuerat, renouare neglexerimus, nec formam nec extrema lineamenta ſeruare: &, vt in corporibus humanis, ſic quoque in republ. quotidie aggregatur aliquid, quod curatione indiget; & ſeneſcētibus legibus matureſcunt vitia, quæ rēp. haud diu ſtare permittunt. vnde Ennij verſum, quo dixit,
Moribꝰ antiquis res ſtat Romana, viriſq;

vel breuitate, vel veritate, tãquam ex oraculo effatum cenſet Cicero. Nam neq; viri, inquit, niſi ita morata ciuitas fuiſſet, neque mores, niſi ij viri præfuiſſent, aut fundare, aut tamdiu tenere potuiſſent tantã & tam iuſtè lateq; imperantem remp. Itaq; & mos ipſe patrius præſtantes viros adhibebat, & veterum morem ac morũ inſtituta retinebãt excellentes viri: qua ratione Romana reſp. & creuit, & ſtetit. Imperium enim, vt inquit Salluſtius, his artibus facilè retinetur, quibus initiò partum eſt. verùm vbi pro labore deſidia, pro continentia & æquitate libido atque ſuperbia inuaſere, fortuna ſimul cum moribus immutatur. quod & Apollo oraculo ſuo ſignificaſſe videtur, quo, cõſultus quãdo tandem malorũ & ſeditionum, quibus Græcia miſerè affligebatur, finis eſſet, reſpõdit, tum demum calamitatẽ Græciæ ceſſaturã, cùm ipſius aram, quæ apud Delios erat cubica, duplicaſſent. quod Græci facile arbitrati, cùm alterã tantam molem, quanta prior erat, adiecißent, neq; tamen malũ leniri ſentirẽt; & non ſatis rite oraculo ſatisfactũ ex eodem deo intelligerent, tandẽ edocti à Platone, & alijs

In ſuis de rep. libris.

aliis philoſophis, cognouerunt non molem moli ex oraculo Apollinis æquãdam eſſe; ſed analogiam cum analogia, & rationem cum ratione cõponendam. atq; ita ſapientium virorum prudentia & conſilio ad veterum normam inſtitutaq; maiorum rebus conſtitutis, omnibusq; ſuo loco repoſitis, malũ miteſcere, & priſtina felicitas redire cœpit. Hinc quoq; Horatius, percipiens quantum calamitatis inuexiſſet contempta religio, ad Romanos ſcribit, his verſibus: Carmin. l. 3. ode 6.

Delicta maïorum immeritus lues,
Romane, donec templa refeceris,
Aedeisque labenteis deorum, &
Fœda nigro ſimulacra fumo.

& quæ ſequuntur. quibus oſtẽdit quantum degenerauerint Romani à ſuis maioribus, ob violatam religionẽ, & neglectum veterum morem. Et huius rei præclarum exemplũ nobis exhibet Romana hiſtoria, vt dilucidè proponit Liuius, qui corruptis Romanorũ moribus, neglecta deorum religione, & iure gentium violato, vrbẽ captam & penè deletam à Gallis refert: quæ rurſum Camilli virtute liberata, cultu diuino reſtituto, legibus inſtitutiſq; maiorũ reuo- Lib. 5.

catis, de violatoribus iuriſgentiū ſupplicio ſumpto, mirū in modum creuit, & tandem totius orbis imperiū adepta eſt: vt meritò dici poßit, vrbem Romanam multo antè periturā fuiſſe, niſi periïſſet; aut ſaltem nunquam ad tantum faſtigium peruenturā. Cuius exēplo, sereniß. Princeps, ſperamus fore, vt tua præclara virtute, & mira in rebus gerendis dexteritate & prouidentia, veri Dei cultu reſtaurato, & Maieſtate Regis, quæ diuino & humano iure illi debetur, reparata, diuinarū humanarūq́. rerū perturbatio in Belgiū inuecta, diuini numinis auxilio ſedari & tolli aliquando poßit, & totū Belgium priſtinæ felicitati reddi. de quo dici poteſt id

Iudith cap. 5. *quod ſacræ literæ de Iſraelitis habent:*

Vbicunq, ingreßi ſunt, ſine arcu & ſagitta, & abſq, ſcuto & gladio, Deus eorū pugnauit pro eis, & vicit: & non fuit qui inſultaret populo iſti, niſi quādo receßit à cultu Domini Dei ſui. Quotieſcunq, autē, præter ipſum Deum ſuum, alterū coluerunt, dati ſunt in prædā, & in gladiū, & in opprobriū. »

Porrò cùm in ciuili & togata ſocietate leges conſtitutionesq́, ſæpius renouari, & ad veterum

inſti-

inſtituta reſecari expediat, (qua de cauſa etiam veteres illi Romani cenſores creauêre, qui cẽſendis ciuium moribus, qui facilè negligentiâ corrumpuntur, antiquũ decus & morum integritatem retinebant:) tum profectò omnium maximè in bello id fieri conuenit, eo quòd aſpero & abſciſſo caſtigationis genere diſciplina militaris indiget. Quia, vt inquit Val. Max., vires armis conſtant: quæ vbi ſemel à recto itinere deſciuerunt, oppreſſura ſunt, niſi opprimãtur. Et certè tantum in diſciplina militari poſitũ eſt, vt ea ſola retenta vel neglecta, maximæ clades illatæ vel acceptæ, plurimi exercitus cæſi vel ſeruati, ampliſſima deniq; imperia parta vel collapſa ſint; vt in huius operis progreſſu latiùs oſtẽdemus. Ceterũ cùm belli gloria lõgè maxima apud Romanos fuerit, qui ſuũ conditorisq; ſui parentẽ Martem ferebant, ad eamq; ſola diſciplina militari (quod præcipuũ decus & ſtabilimẽtum Romani imperij vocat Val. Max.) peruenerint, eadẽq; labẽte paulatim magis ac magis præcipites iuerint, donec tandẽ vnà cum virtute maiorũ & imperiũ & gloriam amitterent: operæprecium me

factum exiſtimaui, ſi per quos viros, quibus artibus, quo genere diſciplinæ, tantā in rebus bellicis gloriā meruerint, (quatenus ſtudio iuris & hiſtoriarū lectione conſequi potui) proponerem. Ex quibus certè liquebit, eadem ingenia hominū, quæ nunc ſunt, & olim fuiſſe; eoſdem quoq; caſus & euentus rerū, qui indies contingunt, & olim eueniſſe. vnde non difficile erit ei, qui antiqua diligēter expēderit, & perpenſo iudicio examinauerit, è retro actis (quod propriè ſapientis viri officiū eſt) præſentia iudicare, futura proſpicere, & ex veterū exemplis, propter caſuū ſimilitudinē, conuenientia remedia malis adhibere: quibus neglectis, in eundem lapidem ſæpius impingimus. Neq; enim, vt Ariſtides dicebat, in bello tam armis res magnæ geruntur, quàm prudētia & conſilio. Itaq; Xerxes, cuius exercitū & terra & mare vix capere poterat, vnius Themiſtoclis induſtria ſuperatus fuit: & Romanis neq; multitudo, neq; vires maiores, quā ampliſſimis regnis, & ferociſſimis Barbaris, fuerunt; ſed principes eos fecit ſeueritas inſtitutorū, & ordo militiæ. Vnde Agamemnon non optabat, vt Aiacis

ſimiles

ſimiles haberet decẽ, ſed vt Neſtoris & Vlyſsis: quorum cõſilio & prudẽtia non dubitabat quin breui Troia peritura eſſet. & Salluſtius diu quidem magnũ inter mortales certamẽ fuiſſe ſcribit, víne corporis, an virtute animi, res magis militaris procederet; ſed poſtea periculo atq; negotiis compertũ eſſe, in bello plurimum ingeniũ poſſe. Lucullũ verò ſcribit Cicero, cùm eſſet Roma ad Mithridaticum bellũ profectus, rei militaris planè rudis, legendis rebus geſtis, induſtria & ingenio, tantũ imperatorem in omni genere belli exſtitiſſe, vt cõfeſsione & iudicio Mithridatis regis poſt Alexandrum maximi, omnibus, quos ipſe legiſſet, ducibus præferretur. Quare prudẽter Alphõſus Aragonũ rex, rogatus plus ne armis an libris deberet, reſpõdit; Ex libris arma, & armorũ iura, ſe didiciſſe: apertè profeſſus, ſe doctrinæ omnia debere. Quò ſpectat quod Iuſtinian. imperat. ait, militarẽ rem tã legibus in tuto collocatã eſſe, quàm leges armorũ præſidio ſeruatas; & horum alterũ alterius auxilio ſemper eguiſſe. Nam, ſi rectè iudicare volumus, nõ magis leges ſine armis, quàm arma ſine legibus & diſcipli-

Acad. quæſt. lib. 2.

In l. 1. C. de Iuſtin. cod. confir.

na, remp. vtcunq; florentiſsimam vllo modo tueri poſſunt. Quæ cùm ita ſint, sereniſs. Princeps, hunc qualemcunque laborem meũ T. Celſ. non ingratum fore confido; munus certè exiguũ, & ſplẽdori tuo indignũ, ſed ad præſentem rerum ſtatum (niſi fallor) opportunum. in quo recenſendo, graues fortaſſe nimium & ſeueros cẽſores monitos velim eius quod Q. Fabius Max. Q. Fabio Max. filio cõſuli dicebat, aliter in medio ardore belli, aliter in pace tranquilla arbitrandum eſſe. multa enim, quæ in pacis otio vindex diſciplina perſequitur, inter turbas & gladios veniã merẽtur. T. verò Cel., sereniſs. Princeps, hoc quicquid eſt vel ſtudij, vel laboris, dedicaui: tũ quòd mea intereſſe putarẽ, eam non ignorare quid agerem, & quæ ſtudia tractarẽ, dum à publicis functionibus vacarẽ: tum quòd militaria hæc nemini magis conuenire arbitrarer, quàm tibi tanto Imperatori, & diſciplinæ militaris amantiſsimo. Cuius actiones Deus optimus maximus dirigat, eundemq; nobis quàm diutiſsime ſeruet incolumem. E caſtris ante Tornacum, pridie Kal. Nouemb. 1581.

PRÆ-

PRÆFATIO
DE IVRE BELLI.

PVlchre à Pindaro plerique dictum exiſtimant, bellum tyrannum eſſe, & legum omnium reginam. nihil enim legibus, quæ diuinitus nobis datæ ſunt, tam contrarium, quàm vi agere; quod proprium eſt belluarum. & quemadmodum aquilæ vnguis acumen, & leoni dentium aſperitas, ſic homini rationem (quam rectè I. C. animam legis eſſe voluerunt) datam eſſe qua ſola contendere & ſe tueri debet. Vnde quamuis rempubl. ſine iuſtitia geri non poſſe, nihilq́; tam inimicum quàm iniuſtitiam ciuitati, à Lælio (quem Cicero de republ. diſputantem contra Philum inducit) abunde ſatis diſceptatum ſit; tamen bellum ſine iniuria geri non poſſe, adhuc hodie multorum mentibus inſedit: tot enim mala, tam magna, tam horrenda, tam ſæua, ex bellis, etiam quæ iuſta dicuntur, & quidem neceſſariò oriri, vt, qui illa omnia ad iuſtitiæ normam redigere conetur, nihil aliud agat, quàm ſi cum ratione inſaniat. Etenim prorſus inutilem eſſe iuſtitiam: & id ius eſſe in bello, quod ei, qui plus poteſt, vtile eſt: & pro

pro iure vires eſſe: hoc potiſsimùm argumento probare nitebátur veteres, iniuſtum ſcilicet eſſe, & contra naturam, vt homines hominibus dominantibus ſeruiant; quod belli iure inductum fuit: quam tamen iniuſtitiam niſi ſequatur imperioſa ciuitas, cuius magna eſt reſp., non eam poſſe prouincijs imperare. Sed certè tollenda eſt hæc opinio; ſunt enim & belli, ſicut & pacis, iura: & in eos, qui æquum pati non poſſunt, nec ratione cohiberi, vis haud iniuſta eſt. Iniquitas enim partis aduerſæ, vt inquit D. Auguſtinus, iuſta bella ingerit gerẽda ſapienti, imò neceſſaria. Itaque Dauid, vir Deo acceptiſsimus, alijq́; viri ſanctiſsimi, bella geſſerũt: & Deus ipſe præcepit Iſraëlitis, vt Amorrhæis, alijsq́; populis bella inferrent. Dolebit ergo ſapiens, iuſti belli ſibi exſtitiſſe neceſsitatem: ſuſcipiet tamen, communi reipub. vtilitati conſulens potiùs quàm priuatorum; ne contra præceptum illud Platonis, dum partem aliquam reipub. tueri vult, totum corpus deſerat. Nec protinus iniuſtum cenſendum eſt, quòd iuſto bello victi, in ſeruitutem olim redigerẽtur: imò id iuſtiſsimum eſſe, ex eo defendi poteſt, quòd reipub. conueniat, vt puniantur ij, qui iniuſtum bellum gerunt. ſed & quòd talibus hominibus ſit vtilis ſeruitus, dici poteſt: quia ſcilicet improbis aufertur iniuriarũ licẽtia; & domiti ſe meliùs habituri ſunt, quàm

De ciuit. Dei lib. 19. cap. 7.
c. noli, 23. q. 1.
Deut. 2.

quàm indomiti ſe habuerũt. quales Aſiæ incolas eſſe, Ageſilaus dicere ſolet: bonos ſcilicet, ſi ſeruirent; malos, ſi libertate fruerentur. Quę ratio vt firmaretur, Lęlius apud Ciceronẽ de republ. diſputans, ſubdidit veluti à natura ſumptũ nobile exemplum, & dixit: Cur igitur Deus homini, animus corpori imperat, ratio libidini, ceteriſq; vitioſis animi partibus? quod D. Auguſtino mirè probatur. Sed & ex præcepto Dei Moyſes, Madianitis prælio victis, prædam omnem tam hominum quàm pecorũ inter ſuos diuiſit: & Apoſtolus monet ſeruos, vt obediant dominis ſuis, & ex animo ſeruiãt. Recta itaq; ratio naturâ ſapiẽtibus inſita, coërcendam humanam improbitatem bello, captiuitate, & ſeruitute, ſuaſit: de quo alio loco plura dicemus. Porrò eadem ratio iuſtitiæ, quæ bellis gerendis normam pręſcribit, dat etiam ſuas leges militibus & exercitui, quibus diſciplina militaris ſtabilitur: qua ſemel polluta, vt Papyrij dictatoris verba apud Liuiũ referam; & non miles cẽturionis, non centurio tribuni, non tribunus legati, non legatus conſulis, non magiſter equitum dictatoris pareat imperio; nõ edicta imperatoris obſeruentur; ſine commeatu vagi milites, in pacato, in hoſtico errent; immemores ſacramenti, licentiâ ſolâ ſe, vbi velint, exauctorẽt, infrequentia deſerantur ſigna; neque conueniatur ad edi-

Plutar. in apophth.

De ciuit. Dei lib. 19. cap. 7.

Num. 31.

Ad Epheſ. 6.

Lib. 8.

edictum; nec diſcernatur interdiu, nocte; ››
æquo, iniquo loco; iniuſſu imperatoris ››
pugnent, & non ſigna, non ordines ſer- ››
uent; latrocinij modo cæca & fortuita, ››
pro ſolenni & ſacra militia erit. Vt enim ››
in fidibus & cantu, ex diſtinctis ſonis, & diſsimillimarum vocum moderatione, concors tamen cōcentus efficitur & congruens: ſic ex ſummis, & medijs, & infimis interiectis ordinibus moderatum ratione & diſciplina exercitũ (quod de ciuitate dicebat Scipio, quem Cicero de republ. diſputantem inducit) conſenſu diſsimillimorum cōcinere dicendum eſt. & quæ harmonia à Muſicis dicitur in cantu, ea eſt in exercitu cōcordia, arctiſſimum & optimum diſciplinæ militaris vinculum: quę certè ſine iuſtitia eſſe non poteſt; quæ ad quamcunque rem gerendam eſt neceſſaria; & cuius, vt ait Cicero, tanta vis eſt, vt nec illi quidem, qui maleficio & ſcelere paſcuntur, poſsint ſine vlla particula iuſtitiæ viuere. Et hęc quidem dixiſſe ſufficiat, vt huius operis rationem redderemus; & ijs ſatisfaceremus, qui iura belli, (quibus reipub. ſalus cōtinetur) tanquã naturæ & paci Euangelicæ contraria, damnare ſunt auſi.

LIBRI PRIMI CAPITA.

De ratione belli indicendi, aliiſq; cærimoniis bellicis, quæ antiquo iure feciali proditæ fuere. Cap.1.
De bello iuſto, & iuſtis belli cauſis. Cap.2.
De duello, ſeu ſingulari certamine. Cap.3.
De pignerationibus, quas vulgò repreſalias vocant. Cap.4.
De bello captis, & iure poſtliminij. Cap.5.
De fide hoſti ſeruanda. Cap.6.
De fœderibus & induciis. Cap.7.
De inſidiis & fraude hoſtili. Cap.8.
De iure legatorum. Cap.9.

LIBRI II.

De officiis bellicis. Cap.1.
De imperatore vel duce exercitus. Cap.2.
Vnum, non plures, exercitui præfici debere, & cum poteſtate libera: eundemq́; continuum: nec eum quem prius offenderis, ignominiáue affeceris. Cap.3
Vtrùm lenitate & beneuolentia, an verò ſeueritate & ſæuitia, plus proficiat imperator. Cap.4.
Temporum rationem præcipuè in bello habendam. Cap.5.
Contentioſas & longas de rebus bellicis deliberationes incommodum nonnunquam eſſe, præſertim ubi facto magis quàm conſulto opus eſt. Cap.6.
Dum res adhuc ſunt integræ, ne minimum quidem regi vel reipubl. de maieſtate ſua concedendum eſſe: & errare eos qui arrogantiam hoſtium, modeſtia & patientia vinci poſſe exiſtimant. Cap.7.
An præſtet bellum domi excipere, an verò in hoſtile agrum inferre. Cap.8.
An præſtet militem magno clamore & concitato curſu in hoſtes pergere, an verò loco manere, & hoſtium impetum excipere. Cap.9.
Non eſſe conſiliū inuicem infenſos ciuilibus diſſenſionibus hoſtes ſola diſcordia fretum inuadere. Cap.10.
Neceſsitatem pugnandi magno ſtudio imponendam eſſe militibus, & hoſtibus remittendam. Cap.11.
In victoria potiſsimùm de pace cogitandum. Cap.12.
Deuictis hoſtibus, qua potiſsimùm ratione perpetua pace quieti obtineri poſsint. Cap.13.

LIBRI

LIBRI III.

DE diſciplina militari. Cap.1.
De officio legati, tribuni, & aliorum qui militibus præſunt. Cap.2.
De metatoribus, ſiue menſoribus. Cap.3.
De militibus, & qui militare poſſunt. Cap.4.
De ſacramento militari. Cap.5.
De miſsione. Cap.6.
De priuilegiis militum. Cap.7.
De iudiciis militaribus. Cap.8.
De pœnis militum. Cap.9.
De contumacibus, & ducum dicto non parentibus, eosq; non protegentibus. Cap.10.
De emanſoribus. Cap.11.
De deſertoribus. Cap.12.
De transfugis & proditoribus. Cap.13.
De ſeditioſis. Cap.14.
De iis qui in acie loco cedunt, aut victi ſe dedunt. Cap.15.
De iis qui arma alienant, vel amittunt. Cap.16.
De iis qui excubias deſerũt, vel minùs rectè agũt. Cap.17.
De eo qui arcem, vel oppidum cuius præſidio impoſitus eſt, amittit, vel hoſtibus dedit. Cap.18.
De furtis & aliis quibuſdam delictis militaribus. Cap.19.
De præmiis militum. Cap.20.

DE

DE IVRE ET OFFICIIS BELLICIS, ET DISCIPLINA MILITARI, LIBER PRIMVS.

DE RATIONE BELLI INDICENDI, ALIISQVE CAERIMOnijs bellicis, quæ antiquo iure feciali proditæ fuerũt.

1 *Ius feciale.*
2 *Collegium fecialium*
3 *Officium fecialium.*
4 *Clarigatio.*
5 *Paterpatratus.*
6 *Tybarenorum fides.*
7 *Verba iuris fecialis.*
8 *Iniuſſu populi fœdus iniri non poterat.*
9 *Sp. Poſtumus hoſtibus deditus.*
10 *Deditionis formula.*
11 *Mancinus Numantinis deditus.*

CAPVT PRIMVM.

ROMANOS belli, ſicut & pacis, iura perpenſo iudicio ſemper æſtimaſſe, ex eorum hiſtorijs licet cognoſcere: ita vt mirum videri non debeat, tam felices eis ſemper contigiſſe bellorum exitus: quippe qui arma nũquam niſi iuſtis de cauſis ſum-

 pſerint,

a antiquitat. Rom. lib. 2. pſerint, vt refert Dionyſ. Halicarnaſſ.[a] vſque adeò vt cùm legati Campanorum (quos Samnites aduerſo prælio fregerant, & ad petẽdum Romæ auxilium coëgerant) in ſenatum introducti, multis verbis docuiſſent, quàm vtilis foret Rom. rebus Campanæ ſocietatis acceſſio, petentes amicitiam in perpetuum, in præſens auxilium; nihil tamen aliud impetrarunt à ſenatu, qui non temere ſe bellis alienis immiſcere volebat, quàm vt legati mitterentur ad Samnites, precatum ne quà vis Cãpanis fieret. ad quæ princeps legationis à Campanis miſſus, quemadmodum in mandatis acceperat; Quandoquidem, inquit, nòſtra tueri aduerſus vim atque iniuriam iuſta vi non vultis, veſtra certè defendetis. itaque populum Campanum, vrbemque Capuam, agros, diuina humanaque omnia in veſtram P.C. populique Rom. ditionem dedimus. quicquid deinde patiemur dedititij veſtri paſſuri. Tum in ſenatu iam fides agi viſa, vt refert Liuius, [b] deditos non prodi, bellúmque aduerſus Samnites ſuſceptum eſt, quod ſine iuſto titulo Romani à Campanis in ſe nunquam vertiſſent. Similiter priuſquam tertium & vltimum bellum Punicũ ſuſciperetur, diu multúmque tanta res agitata eſt: atque inter M. Porcium Catonem, & Scipionem Naſicam,

b lib. 7.

ſenatus

ſenatus principes (quorum alter ſapientiſsimus vir in ciuitate habebatur, alter optimus vir etiam à ſenatu iudicatus erat) varijs ſententijs certatum. Cato ſuadebat vt bellum indiceretur Carthaginienſibus, qui exercitum ſpecie contra Maſſaniſſam regem, reipſa contra Romanos, comparatum in finibus habebant, Naſica contradicẽte, ex cuius ſententia legatos mitti Carthaginem placuit, qui ſpecularentur quid agerent, caſtigato eorum ſenatu, quòd contra fœdus exercitum & nauales materias haberẽt. Sed Giſgo Amilcaris filius, homo ſeditioſus, ita ſenatum bellum aduerſus Romanos ſuadendo concitauit, vt legati fugâ ſibi conſulere coacti ſint. cúmque tunc Cato non diutius bellum differendum cenſeret, Naſica nondum iuſtam ſibi bellandi cauſam videri, & nihil temere faciendum dicebat. ſed Catonis ſententia peruicit, & cum Carthaginienſibus, quòd contra fœdus naues haberent, & extra fines exercitum eduxiſſent, quódque Maſſaniſſæ ſocio arma intuliſſent, bellum geſtum[a]. Ac belli quidem æquitas, vt inquit Cicero[b], ſanctiſsimè feciali populi Romani iure perſcripta erat. ex quo intelligi poteſt, nullum bellum fuiſſe iuſtum, niſi quod aut rebus repetitis gereretur, aut denunciatum antè eſſet, aut indictum.

a Flor. lib. 49.

1 b offic. lib. 1.

quod ius Ancus Martius Rex ab anti-
qua gente Aequicolis deſcripſit. à quo
bellicæ cærimoniæ, vt non gererentur
ſolùm, ſed etiam indicerentur bella ali-
quo ritu, primùm Romanis, vti Liuius
a *lib.1.* [a]teſtatur, ſunt proditę: licet alij hoc Nu-
mæ Pompilio tribuant, à quo ſeptima
ſacrarum legum parte collegium fecia-
b *Dionyſius Halicar. antiquit. Rom. lib. 2.* lium * inſtitutum fuiſſe aſſerunt [b]. Of- 2
ficium * verò fecialium (cuius ſumma 3
ſemper apud Romanos fuit auctoritas)
in ſumma erat: dare operam ne Romani
vlli fœderatæ ciuitati iniuſtum bellum
inferrēt; & de bellis, fœderibus, pactio-
nibus, & iniurijs, ſocijs alijsque confœ-
deratis gētibus illatis, cognoſcere. quod
ſi qua prior contra fœderis conditiones
aliquid commiſiſſet, legatos mittere, &
verbis primùm ius ſuum repetere, & res
ſibi dari clara voce poſcere (quæ clari-
gatio * dicta) his verbis: Iouem ego te- 4
ſtem facio, ſi ego impiè iniuſtéque illas "
res dedier populo Romano mihique "
expoſco, tunc patriæ compotem nun- "
quam ſinas eſſe. Quòd ſi dedignaretur "
facere poſtulata, renunciata prius ſocie-
tate & amicitia (ſi qua fortè erat) poſt
triginta demum dies, qui ſolēnes fuêre,
bellum indicere, captáq;, & hoſtili mo-
do deuaſtata, belli iure repetere. Fecia-
libus certè prohibentibus, aut non pro-
bantibus, neque conſuli, neque ſenatui,
neque

neque populo, arma in hoſtes ſumere li-
5 cebat. Maximus * verò erat inter ficiales, quem Patrem patratum appellabãt. is autem erat, qui liberos haberet, viuo adhuc patre ſuo [a], quẽ fecialis, verbena caput & frontem cingens, indicẽdi belli, aut percutiendi fœderis, principem faciebat. Cæterùm ſciendum eſt, non fuiſſe neceſſe, ipſi regi, cum quo fortè belligerandum erat, bellum indici, ſed ſatis erat, ad pręſidium aliquod nunciare. vt feciales conſulti, primùm cùm Philippo, & iterum cùm Antiocho bellum indicendum eſſet, decreuêre. Bello autem legitimè indicto, ſublatis commercijs, militi arma capere, & copias cogere licebat, ad hoſtes ducerę, excurſiones facere, prædas agere, fines populari, eóſque ferro igniq; deuaſtare, frumenta ſuccidere, ædificia incendere, at-
6 que omnia hoſtiliter agere. Tybarenos* tamen adeò iuſtos fuiſſe memoriæ proditum eſt, vt non priùs cum hoſte congrederentur, quàm diem, locum, & decertãdi horam, ex fide per feciales hoſti denunciarent. quod & à veteribus illis Romanis nonnunquam factum fuiſſe legimus. Formulam verò & ritum belli indicẽdi antiquiſsimum refert Liuius [b]. Feciales itaque, ſi qui illatam cõtra fœdus iniuriã querebantur, cauſam eorum cognoſcebant, &, cõperto crimine, ſon-

a *Plut. in quæſt. Rom.*

b *lib. 1. Et Gell. lib. 16. cap. 4. Et Dion. Halicar. ant. Roman. lib. 2.*

tes comprehenſos læſis dedebant. iudicabant item de legatorum iniurijs, qui iure gentium ſancti fuêre : atque ita, ſi à quouis populo aut natione violati forent, vt hi qui iura gentium temere violaſſent, dederentur, per feciales cauebatur. ídq; etiam iure noſtro cautum eſt [a]. Dabant quoque operam feciales, vt ſeruarentur cõditiones fœderis; pacem faciebant; & ſi parum legitimè facta videbatur, irritam reddebant. Non aliter tamen fœdera cum ſocijs aut hoſtibus ſancire, aut pactiones concipere poterant, quàm ſi cõſulis aut prętoris auctoritate, intercedente S.C. iuſſúq; populi, permiſſum foret. denique ſi quid imperatores vel duces contra iuriſiurãdi religionem peccaſſent, feciales cognoſcebant, atque expiabant. Verba * autem iuris fecialis hæc erant: Belli, pacis, fœderum, induciarum, oratorum, feciales iudices ſunto [b]. Et quidem auctores fœderis minùs rite initi, per ipſos feciales hoſtibus dedebãtur, vt hac ratione, populus religione ſolueretur. Iniuſſu* verò populi, & citra Senatus auctoritatẽ, nihil ſanciri poterat, quod populum teneret, & ſine fecialibus, cærimoniáque alia ſolemni, fœdus fieri non poterat. Vnde T. Veturius & Sp. Poſtumius conſſ.* quia, cùm malè pugnatum apud Caudiũ eſſet, legionibus Romanis ſub

7 8 9 *(marginal note numbers beside the asterisks above)*

a in l. vlt. D. de legationib.

b Cicer. lib. 2. de legib.

iugum

iugum miſsis, pacem cum Samnitibus iniuſſu populi ſenatusque fecerant, vnà cum T. Numicio & Q. Aemilio Trib. pleb. quòd eorũ quoq; auctoritate pax Caudina facta erat, dediti ſunt hoſtibus, vt pax Samnitum repudiaretur. atque huius deditionis ipſe Poſtumius, qui dedebatur, ſuaſor & auctor fuit [a]. Cuius verba, vt refert Liuius, hæc fue-
“ rũt: Dedamur per feciales, nudi vincti-
“ que, exoluamus religione populum, ſi
“ qua obligauimus: ne quid diuini huma-
“ níve obſtet, quo minùs iuſtum piúm-
“ que de integro ineatur bellum. Deditionis verò per feciales factæ formula
10 hęc fuit*: Quàdoquidem hice homines,
“ iniuſſu populi Romani, Quiritum fœdus
“ ictum iri ſpoponderunt, atque ob eam
“ rem noxam nocuerunt: ob eam rem,
“ quo populus Romanus ſcelere impio ſit
“ ſolutus, hoſce homines vobis dedo. Si-
11 militer multis annis pòſt* C. Mancinus Numantinis, quibuſcum iniuſſu populi & citra ſenatus auctoritatem fœdus fecerat, deditus eſt[b].

a *Liuius lib. 9.*

b *Cicero offic. lib. 3. Flor. lib. 2. cap. 18.*

DE BELLO IVSTO, ET IVSTIS BELLI CAVSIS.

1 *Conſeruanda iura belli.*
2 *Duo genera decertandi.*
3 *Bella ſuſcipienda, vt in pace viuatur.*

4 *Ex bellis etiam iuſtis multa mala oriri.*

5 *Bellum honeſtum turpi paci præferẽdum.*

6 *Iuſta bella iure Gentium, Canonum, & diuino permiſſa.*

7 *In iuſto bello requiritur auctoritas principis.*

8 *Apud Romanos belli pacisque arbitrium penes populum fuit.*

9 *Quandoque iniuſſu principis bellum geri poſſe.*

10 *In pœnam rebellionis ipſo iure inciditur.*

11 *Iuſtæ belli cauſa.*

12 *Rebellio.*

13 *Iniuria facta principi, cẽſetur facta Deo.*

14 *Aliud rebellis, aliud hoſtis.*

15 *Iura belli an conueniant rebellibus.*

16 *Ciuilis diſſenſio.*

17 *Lex Solonis.*

18 *In bello non ſemper tutum non alteri parti ſe adiungere.*

19 *Media via periculoſa.*

20 *Principis auctoritas ſemper ſequenda contra rebelles.*

21 *Nulla iuſta cauſa rebellandi.*

22 *Quid reſpublica, vel patria.*

23 *Rebellio grauiſsimum crimen.*

24 *Tyrannus occidi poteſt.*

25 *Legitimus princeps tyrannus dici non poteſt.*

26 *Lex regia.*

27 *Pontifex ex cauſa poteſt regem regno priuare.*

28 Bel-

28 *Bellum aduerſus infideles an & quatenus iuſtum.*

29 *Imperator non eſt totius mundi dominus.*

30 *Hæreticis iuſtum bellum infertur.*

31 *Militi non nocet iniuſta belli cauſa.*

32 *Militi Chriſtiano ſub imperatore pagano permiſſum militare.*

33 *Quatenus regi infideli parendum.*

34 *Iuſtum bellum etiam ſine iuſta cauſa.*

35 *An vtrimque bellum dici poſſit iuſtum.*

36 *Pecunia neruus belli.*

37 *Cuius impenſis bellum geri debeat.*

38 *Traianus fiſcum lieni comparabat.*

39 *Mos Gallorum.*

40 *Damna in bello accepta an reſarciri debeant.*

CAPVT SECVNDVM.

IN repub. bene cõſtituta maximè cõ-
1 ſeruãda* eſſe iura belli docet Cicero[a]: *a offic. lib. 1.*
in quo & ſuſcipiẽdo, & gerendo, & deponendo, ius vt plurimũ valet, & fides[b]. *b Cicer. lib. 2. de legibus.*
quò ſpectant illa, quæ de iure feciali
2 diximus. Nam cùm ſint duo* genera decertandi, vt idem ait; vnum per diſceptationẽ, alterum per vim; cúmq; illud proprium ſit hominis, hoc belluarum; confugiẽdum eſt ad poſterius, ſi vti non licet ſuperiore. Quod etiã indicaſſe videntur poëtę, cùm Chironem centaurum (cuius ſuperiorem partẽ hominis,

pro iure vires eſſe: hoc potiſsimùm argumento probare nitebatur veteres, iniuſtum ſcilicet eſſe, & contra naturam, vt homines hominibus dominantibus ſeruiant; quod belli iure inductum fuit: quam tamen iniuſtitiam niſi ſequatur imperioſa ciuitas, cuius magna eſt reſp., non eam poſſe prouincijs imperare. Sed certè tollenda eſt hæc opinio; ſunt enim & belli, ſicut & pacis, iura: & in eos, qui æquum pati non poſſunt, nec ratione cohiberi, vis haud iniuſta eſt. Iniquitas enim partis aduerſæ, vt inquit D. Auguſtinus, iuſta bella ingerit gerēda ſapienti, imò neceſſaria. Itaque Dauid, vir Deo acceptiſsimus, alijq́; viri ſanctiſsimi, bella geſſerūt: & Deus ipſe præcepit Iſraëlitis, vt Amorrhæis, alijsq́; populis bella inferrent. Dolebit ergo ſapiens, iuſti belli ſibi exſtitiſſe neceſsitatem: ſuſcipiet tamen, communi reipub. vtilitati conſulens potiùs quàm priuatorum; ne contra præceptum illud Platonis, dum partem aliquam reipub. tueri vult, totum corpus deſerat. Nec protinus iniuſtum cenſendum eſt, quòd iuſto bello victi, in ſeruitutem olim redigerētur: imò id iuſtiſsimum eſſe, ex eo defendi poteſt, quòd reipub. conueniat, vt puniantur ij, qui iniuſtum bellum gerunt. ſed & quòd talibus hominibus ſit vtilis ſeruitus, dici poteſt: quia ſcilicet improbis aufertur iniuriarū licētia; & domiti ſe meliùs habituri ſunt, quàm

De ciuit. Dei lib. 19. cap. 7.
c. noli, 23. q. 1.
Deut. 2.

quàm indomiti ſe habuerũt. quales Aſiæ incolas eſſe, Ageſilaus dicere ſolet: bonos ſcilicet, ſi ſeruirent; malos, ſi libertate fruerentur. Quę ratio vt firmaretur, Lęlius apud Ciceronẽ de republ. diſputans, ſubdidit veluti à natura ſumptũ nobile exemplum, & dixit: Cur igitur Deus homini, animus corpori imperat, ratio libidini, ceteriſq; vitioſis animi partibus? quod D. Auguſtino mirè probatur. Sed & ex præcepto Dei Moyſes, Madianitis prælio victis, prædam omnem tam hominum quàm pecorũ inter ſuos diuiſit: & Apoſtolus monet ſeruos, vt obediant dominis ſuis, & ex animo ſeruiãt. Recta itaq; ratio naturâ ſapiẽtibus inſita, coërcendam humanam improbitatem bello, captiuitate, & ſeruitute, ſuaſit: de quo alio loco plura dicemus. Porrò eadem ratio iuſtitiæ, quæ bellis gerendis normam pręſcribit, dat etiam ſuas leges militibus & exercitui, quibus diſciplina militaris ſtabilitur: qua ſemel polluta, vt Papyrij dictatoris verba apud Liuiũ referam; & non miles cẽturionis, non centurio tribuni, non tribunus legati, non legatus conſulis, non magiſter equitum dictatoris pareat imperio; nõ edicta imperatoris obſeruentur; ſine commeatu vagi milites, in pacato, in hoſtico errent; immemores ſacramenti, licentiâ ſolâ ſe, vbi velint, exauctorẽt, infrequentia deſerantur ſigna; neque conueniatur ad edi-

Plutar. in apophth.

De ciuit. Dei lib. 19. cap. 7.

Num. 31.

Ad Epheſ. 6.

Lib. 8.

edictum; nec diſcernatur interdiu, nocte; »
æquo, iniquo loco; iniuſſu imperatoris »
pugnent, & non ſigna, non ordines ſer- »
uent; latrocinij modo cæca & fortuita, »
pro ſolenni & ſacra militia erit. Vt enim »
in fidibus & cantu, ex diſtinctis ſonis, & diſsimillimarum vocum moderatione, concors tamen cõcentus efficitur & congruens: ſic ex ſummis, & medijs, & infimis interiectis ordinibus moderatum ratione & diſciplina exercitũ (quod de ciuitate dicebat Scipio, quem Cicero de republ. diſputantem inducit) conſenſu diſsimillimorum cõcinere dicendum eſt. & quæ harmonia à Muſicis dicitur in cantu, ea eſt in exercitu cõcordia, arctiſſimum & optimum diſciplinæ militaris vinculum: quę certè ſine iuſtitia eſſe non poteſt; quæ ad quamcunque rem gerendam eſt neceſſaria; & cuius, vt ait Cicero, tanta vis eſt, vt nec illi quidem, qui maleficio & ſcelere paſcuntur, poſsint ſine vlla particula iuſtitiæ viuere. Et hęc quidem dixiſſe ſufficiat, vt huius operis rationem redderemus; & ijs ſatisfaceremus, qui iura belli, (quibus reipub. ſalus cõtinetur) tanquã naturæ & paci Euangelicæ contraria, damnare ſunt auſi.

LIBRI PRIMI CAPITA.

DE ratione belli indicendi, aliiſq; cærimoniis bellicis, quæ antiquo iure feciali prodita fuere. Cap.1.
De bello iuſto, & iuſtis belli cauſis. Cap.2.
De duello, ſeu ſingulari certamine. Cap.3.
De pignerationibus, quas vulgò repreſalias vocant. Cap.4.
De bello captis, & iure poſtliminii. Cap.5.
De fide hoſti ſeruanda. Cap.6.
De fœderibus & induciis. Cap.7.
De inſidiis & fraude hoſtili. Cap.8.
De iure legatorum. Cap.9.

LIBRI II.

DE officiis bellicis. Cap.1.
De imperatore vel duce exercitus. Cap.2.
Vnum, non plures, exercitui præfici debere, & cum poteſtate libera: eundemq; continuum: nec eum quem prius offenderis, ignominiáue affeceris. Cap.3
Vtrùm lenitate & beneuolentia, an verò ſeueritate & ſæuitia, plus proficiet imperator. Cap.4.
Temporum rationem præcipuè in bello habendã. Cap.5.
Contentioſas & lentas de rebus bellicis deliberationes admodum noxias eſſe, præſertim vbi facto magis quàm conſulto opus eſt. Cap.6.
Dum res adhuc ſunt integræ, ne minimum quidem regi vel reipubl. de maieſtate ſua concedendum eſſe: & errare eos qui arrogantiam hoſtium, modeſtia & patientia vinci poſſe exiſtimant. Cap.7.
An præſtet bellum domi excipere, an verò in hoſtilẽ agrum inferre. Cap.8.
An præſtet initio prælii magno clamore & cõcitato curſu in hoſtes pergere, an verò loco manere, & hoſtium impetum excipere. Cap.9.
Non eſſe conſilii inuicem infenſos ciuilibus diſſenſionibus hoſtes ſola diſcordia fretum inuadere. Cap.10.
Neceſſitatem pugnandi magno ſtudio imponendam eſſe militibus, & hoſtibus remittendam. Cap.11.
In victoria potiſſimùm de pace cogitandum. Cap.12.
Deuictis hoſtibus, qua potiſſimùm ratione perpetua pace quieti obtineri poſſint. Cap.13.

LIBRI

LIBRI III.

DE diſciplina militari. Cap.1.
De officio legati, tribuni, & aliorum qui militibus præſunt. Cap.2.
De metatoribus, ſiue menſoribus. Cap.3.
De militibus, & qui militare poſſunt. Cap.4.
De ſacramento militari. Cap.5.
De miſsione. Cap.6.
De priuilegiis militum. Cap.7.
De iudiciis militaribus. Cap.8.
De pœnis militum. Cap.9.
De contumacibus, & ducum dicto non parentibus, eosq; non protegentibus. Cap.10.
De emanſoribus. Cap.11.
De deſertoribus. Cap.12.
De transfugis & proditoribus. Cap.13.
De ſeditioſis. Cap.14.
De iis qui in acie loco cedunt, aut victi ſe dedunt. Cap.15.
De iis qui arma alienant, vel amittunt. Cap.16.
De iis qui excubias deſerũt, vel minùs rectè agũt. Cap.17.
De eo qui arcem, vel oppidum, cuius præſidio impoſitus eſt, amittit, vel hoſtibus dedit. Cap.18.
De furtis & aliis quibuſdam delictis militaribus. Cap.19.
De præmiis militum. Cap.20.

DE

DE IVRE ET OFFICIIS BELLICIS, ET DISCIPLINA MILITARI, LIBER PRIMVS.

DE RATIONE BELLI INDICENDI, ALIISQVE CAERIMONIJS bellicis, quæ antiquo iure feciali proditæ fuerũt.

1 *Ius feciale.*
2 *Collegium fecialium*
3 *Officium fecialium.*
4 *Clarigatio.*
5 *Paterpatratus.*
6 *Tybarenorum fides.*
7 *Verba iuris fecialis.*
8 *Iniuſſu populi fœdus iniri non poterat.*
9 *Sp. Poſtumus hoſtibus deditus.*
10 *Deditionis formula.*
11 *Mancinus Numantinis deditus.*

CAPVT PRIMVM.

ROMANOS belli, ſicut & pacis, iura perpenſo iudicio ſemper æſtimaſſe, ex eorum hiſtorijs licet cognoſcere: ita vt mirum videri non debeat, tam felices eis ſemper contigiſſe bellorum exitus: quippe qui arma nũquam niſi iuſtis de cauſis ſum-

a *antiquitat. Rom. lib. 2.* pſerint, vt refert Dionyſ. Halicarnaſſ.[a] vſque adeò vt cùm legati Campanorum (quos Samnites aduerſo prælio fregerant, & ad petẽdum Romæ auxilium coëgerant) in ſenatum introducti, multis verbis docuiſſent, quàm vtilis foret Rom. rebus Campanæ ſocietatis acceſſio, petentes amicitiam in perpetuum, in præſens auxilium; nihil tamen aliud impetrarunt à ſenatu, qui non temere ſe bellis alienis immiſcere volebat, quàm vt legati mitterentur ad Samnites, precatum ne quã vis Cápanis fieret. ad quæ princeps legationis à Campanis miſſus, quemadmodum in mandatis acceperat; Quandoquidem, inquit, nóſtra tueri aduerſus vim atque iniuriam iuſta vi non vultis, veſtra certè defendetis. itaque populum Campanum, vrbemq́ue Capuam, agros, diuina humanaq́ue omnia in veſtram P.C. populique Rom. ditionem dèdimus. quicquid deindè patiemur dedititij veſtri paſſuri. Tum in ſenatu iam fides agi viſa, vt refert Liuius, [b] deditos non prodi, bellúmque aduerſus Samnites ſuſceptum eſt, quod ſine iuſto titulo Romani à Campanis in ſe nunquam vertiſſent. Similiter priuſquam tertium & vltimum bellum Punicũ ſuſciperetur, diu multúmque tanta res agitata eſt: atque inter M. Porcium Catonem, & Scipionem Naſicam, ſenatus

b *lib. 7.*

ſenatus principes (quorum alter ſapientiſsimus vir in ciuitate habebatur, alter optimus vir etiam à ſenatu iudicatus erat) varijs ſententijs certatum. Cato ſuadebat vt bellum indiceretur Carthaginienſibus, qui exercitum ſpecie contra Maſſaniſſam regem, reipſa contra Romanos, comparatum in finibus habebant, Naſica contradicēte, ex cuius ſententia legatos mitti Carthaginem placuit, qui ſpecularentur quid agerent, caſtigato eorum ſenatu, quòd contra fœdus exercitum & nauales materias haberēt. Sed Giſgo Amilcaris filius, homo ſeditioſus, ita ſenatum bellum aduerſus Romanos ſuadendo concitauit, vt legati fugâ ſibi conſulere coacti ſint. cúmque tunc Cato non diutius bellum differendum cenſeret, Naſica nondum iuſtam ſibi bellandi cauſam videri, & nihil temere faciendum dicebat. ſed Catonis ſententia peruicit, & cum Carthaginienſibus, quòd contra fœdus naues haberent, & extra fines exercitum eduxiſſent, quódque Maſſaniſſæ ſocio arma intuliſſent, bellum geſtum[a]. Ac belli quidem æquitas, vt inquit Cicero[b], ſanctiſsimè feciali populi Romani iure perſcripta erat. ex quo intelligi poteſt, nullum bellum fuiſſe iuſtum, niſi quod aut rebus repetitis gereretur, aut denunciatum antè eſſet, aut indictum.

a Flor. lib. 49.
b offic. lib. 1.

quod ius Ancus Martius Rex ab antiqua gente Aequicolis deſcripſit. à quo bellicæ cærimoniæ, vt non gererentur ſolùm, ſed etiam indicerentur bella aliquo ritu, primùm Romanis, vti Liuius [a]teſtatur, ſunt proditę: licet alij hoc Numæ Pompilio tribuant, à quo ſeptima ſacrarum legum parte collegium fecialium * inſtitutum fuiſſe aſſerunt [b]. Officium * verò fecialium (cuius ſumma ſemper apud Romanos fuit auctoritas) in ſumma erat: dare operam ne Romani vlli fœderatæ ciuitati iniuſtum bellum inferrēt; & de bellis, fœderibus, pactionibus, & iniurijs, ſocijs alijsque confœderatis gētibus illatis, cognoſcere. quod ſi qua prior contra fœderis conditiones aliquid commiſiſſet, legatos mittere, & verbis primùm ius ſuum repetere, & res ſibi dari clara voce poſcere (quæ clarigatio * dicta) his verbis: Iouem ego teſtem facio, ſi ego impiè iniuſtéque illas res dedier populo Romano mihíque expoſco, tunc patriæ compotem nunquam ſinas eſſe. Quòd ſi dedignaretur facere poſtulata, renunciata prius ſocietate & amicitia (ſi qua fortè erat) poſt triginta demum dies, qui ſolēnes fuêre, bellum indicere, captáq;, & hoſtili modo deuaſtata, belli iure repetere. Fecialibus certè prohibentibus, aut non probantibus, neque conſuli, neque ſenatui, neque

2 3 4

a lib. 1.

b Dionyſius Halicar. antiquit. Rom. lib. 2.

neque populo, arma in hoſtes ſumere licebat.
5 Maximus * verò erat inter feciales, quem Patrempatratum appellabãt. is autem erat, qui liberos haberet, viuo adhuc patre ſuo [a], quẽ fecialis, verbena caput & frontem cingens, indicẽdi belli, aut percutiendi fœderis, principem faciebat. Cæterùm ſciendum eſt, non fuiſſe neceſſe, ipſi regi, cum quo fortè belligerandum erat, bellum indici, ſed ſatis erat, ad pręſidium aliquod nunciare. vt feciales conſulti, primùm cùm Philippo, & iterum cùm Antiocho bellum indicendum eſſet, decreuêre. Bello autem legitimè indicto, ſublatis commercijs, militi arma capere, & copias cogere licebat, ad hoſtes ducere, excurſiones facere, prædas agere, fines populari, eóſque ferro igniq; deuaſtare, frumenta ſuccidere, ædificia incendere, atque omnia hoſtiliter agere.
6 Tybarenos* tamen adeò iuſtos fuiſſe memoriæ proditum eſt, vt non priùs cum hoſte congrederentur, quàm diem, locum, & decertãdi horam, ex fide per feciales hoſti denunciarent. quod & à veteribus illis Romanis nonnunquam factum fuiſſe legimus. Formulam verò & ritum belli indicẽdi antiquiſsimum refert Liuius [b]. Feciales itaque, ſi qui illatam cõtra fœdus iniuriã querebantur, cauſam eorum cognoſcebant, &, cõperto crimine, ſontes

a *Plut. in quæſt. Rom.*

b *lib. 1. Et Gell. lib. 16. cap. 4. Et Dion. Halicar. ant. Roman. lib. 2.*

tes comprehenſos læſis dedebant. iudicabant item de legatorum iniurijs, qui iure gentium ſancti fuêre : atque ita, ſi à quouis populo aut natione violati forent, vt hi qui iura gentium temere violaſſent, dederentur, per feciales cauebatur. ídq; etiam iure noſtro cautum eſt [a]. Dabant quoque operam feciales, vt ſeruarentur cõditiones fœderis; pacem faciebant; & ſi parum legitimè facta videbatur, irritam reddebant. Non aliter tamen fœdera cum ſocijs aut hoſtibus ſancire, aut pactiones concipere poterant, quàm ſi cõſulis aut prętoris auctoritate, intercedente S.C. iuſſúq; populi, permiſſum foret. denique ſi quid imperatores vel duces contra iuriſiurãdi religionem peccaſſent, feciales cognoſcebant, atque expiabant. Verba * autem 7
iuris fecialis hæc erant: Belli, pacis, fœderum, induciarum, oratorum, feciales iudices ſunto [b]. Et quidem auctores fœderis minùs rite initi, per ipſos feciales hoſtibus dedebãtur, vt hac ratione, populus religione ſolueretur. Iniuſſu* ve- 8
rò populi, & citra Senatus auctoritatẽ, nihil ſanciri poterat, quod populum teneret, & ſine fecialibus, cærimoniáque alia ſolemni, fœdus fieri non poterat. Vnde T. Veturius & Sp. Poſtumius conſſ.* quia, cùm malè pugnatum apud 9
Caudiũ eſſet, legionibus Romanis ſub iugum

a in l. vlt. D. de legationib.

b Cicer. lib. 2. de legib.

iugum miſsis, pacem cum Samnitibus iniuſſu populi ſenatúſque fecerant, vnà cum T. Numicio & Q. Aemilio Trib. pleb. quòd eorũ quoq; auctoritate pax Caudina facta erat, dediti ſunt hoſtibus, vt pax Samnitum repudiaretur. atque huius deditionis ipſe Poſtumius, qui dedebatur, ſuaſor & auctor fuit [a]. Cuius verba, vt refert Liuius, hæc fue-

a *Liuius lib. 9.*

" rũt: Dedamur per feciales, nudi vinctí-
" que, exoluamus religione populum, ſi
" qua obligauimus: ne quid diuini huma-
" niue obſtet, quo minùs iuſtum piúm-
" que de integro ineatur bellum. Dedi-
tionis verò per feciales factæ formula
10 hęc fuit*: Quádoquidem hice homines,
" iniuſſu populi Romani, Quiritum fœdus
" ictum iri ſpoponderunt, atque ob eam
" rem noxam nocuerunt: ob eam rem,
" quo populus Romanus ſcelere impio ſit
" ſolutus, hoſce homines vobis dedo. Si-
11 militer multis annis póſt*C. Mancinus Numantinis, quibuſcum iniuſſu populi & citra ſenatus auctoritatem fœdus fecerat, deditus eſt[b].

b *Cicero offic. lib. 3. Flor. lib. 2. cap. 18.*

DE BELLO IVSTO, ET IVSTIS BELLI CAVSIS.

1 *Conſeruanda iura belli.*
2 *Duo genera decertandi.*
3 *Bella ſuſcipienda, vt in pace viuatur.*

4 *Ex bellis etiam iuſtis multa mala oriri.*
5 *Bellum honeſtum turpi paci praferēdum.*
6 *Iuſta bella iure Gentium, Canonum, & diuino permiſſa.*
7 *In iuſto bello requiritur auctoritas principis.*
8 *Apud Romanos belli pacisque arbitrium penes populum fuit.*
9 *Quandoque iniuſſu principis bellum geri poſſe.*
10 *In pœnam rebellionis ipſo iure inciditur.*
11 *Iuſtæ belli cauſa.*
12 *Rebellio.*
13 *Iniuria facta principi, cēſetur facta Deo.*
14 *Aliud rebellis, aliud hoſtis.*
15 *Iura belli an conueniant rebellibus.*
16 *Ciuilis diſſenſio.*
17 *Lex Solonis.*
18 *In bello non ſemper tutum non alteri parti ſe adiungere.*
19 *Media via periculoſa.*
20 *Principis auctoritas ſemper ſequenda contra rebelles.*
21 *Nulla iuſta cauſa rebellandi.*
22 *Quid reſpublica, vel patria.*
23 *Rebellio grauiſſimum crimen.*
24 *Tyrannus occidi poteſt.*
25 *Legitimus princeps tyrannus dici non poteſt.*
26 *Lex regia.*
27 *Pontifex ex cauſa poteſt regem regno priuare.*

28 *Bellum aduerſus infideles an & quatenus iuſtum.*
29 *Imperator non eſt totius mundi dominus.*
30 *Hæreticis iuſtum bellum infertur.*
31 *Militi non nocet iniuſta belli cauſa.*
32 *Militi Chriſtiano ſub imperatore pagano permiſſum militare.*
33 *Quatenus regi infideli parendum.*
34 *Iuſtum bellum etiam ſine iuſta cauſa.*
35 *An vtrimque bellum dici poſsit iuſtum.*
36 *Pecunia neruus belli.*
37 *Cuius impenſis bellum geri debeat.*
38 *Traianus fiſcum licni comparabat.*
39 *Mos Gallorum.*
40 *Damna in bello accepta an reſarciri debeant.*

CAPVT SECVNDVM.

IN repub. bene cõſtituta maximè cõ-
1 ſeruãda* eſſe iura belli docet Cicero[a]: a *offic. lib.* 1.
in quo & ſuſcipiẽdo, & gerendo, & de-
ponendo, ius vt plurimũ valet, & fides[b]. b *Cicer. lib.* 2. *de legibus.*
quò ſpectant illa, quæ de iure feciali
2 diximus. Nam cùm ſint duo* genera de-
certandi, vt idem ait; vnum per diſce-
ptationẽ, alterum per vim; cúmq; illud
proprium ſit hominis, hoc belluarum;
confugiẽdum eſt ad poſterius, ſi vti non
licet ſuperiore. Quod etiã indicaſſe vi-
dentur poëtę, cùm Chironem centau-
rum (cuius ſuperiorem partẽ hominis,

inferiorem verò equi formá referre fingunt) Achillis pædagogum conſtitutum tradunt: vt oſtenderent, bonum principem non ſolùm prudentia & conſilio alijsque animi dotibus prædirum, ſed etiam viribus & armis inſtructum eſſe debere. in eos enim qui æquum pati non poſſunt, neq; ratione cohiberi, vis haud iniuſta eſt. Sed, vt Scipio dicere ſolet, imperator itidem vt medicus, ad malum curandum vltimo demum loco ferrum
a *Plut. in Apophth.* adhibere debet [a]. Quare ſuſcipienda * 3
quidem bella ſunt, ob eam cauſam vt ſine iniuria in pace viuatur, & ita vt nihil
b *c. noli. 23. quæſt. 1.* aliud niſi pax quæſita videatur [b]. Quò ſpectat memorabilis illa Martiani Cæſaris ſententia: Donec liceret in pace viuere, non debere principé arma ſumere: cùm tot tantáque mala ex bellis*, etiam 4
quæ iuſta dicuntur, oriantur. quorum “
c *de ciuit. Dei lib. 19. cap. 7.* malorum, vt exclamat D. Auguſtinus [c], “ multas & multiplices clades, diras & “ duras neceſsitates, ſi, vt dignũ eſt, eloqui “ velim, quanquam nequaquam, ſicut res “ poſtulat, poſsim, quis erit prolixę diſputationis modus? Sed ſapiens, inquiunt, “ iuſta bella geſturus eſt: quaſi nõ, ſi ſe hominem meminit, multo magis dolebit “ iuſtorum neceſsitates ſibi extitiſſe bellorum. quia niſi iuſta eſſent, geréda non “ eſſent, ac per hoc ſapienti nulla bella eſſent. iniquitas enim partis aduerſæ iuſta “
bella

« bella ingerit gerenda ſapiēti, imò & ne-
« ceſſaria, quæ iniquitas homini vtique
« dolēda, quia hominum eſt, etſi nulla ex
« ea bellandi neceſsitas naſceretur. Hæc
« itaque mala tam magna, tam horrenda,
« tam ſæua, quiſquis cum dolore conſide-
« rat, miſeriam neceſſe eſt fateatur. quiſ-
« quis autem vel patitur ea ſine animi do-
« lore, vel cogitat, multo vtique miſeriùs
« ideo ſe putat beatum, quia & humanum
« perdit ſenſum. Hęc ille. Sūt enim, vt in-
quit Liuius, quædā belli iura, quæ vt fa-
cere, ita pati fas eſt: vt ſata exuri, dirui
tecta, prędas hominum pecorúmq; agi:
quæ certè miſera, licet non ſemper indi-
gna, patienti ſunt. Paci itaque, quę nihil
ſit habitura inſidiarū, aut turpitudinis,
vt ait Cicero[a], ſemper erit cōſulendum.
Ceterùm, quàuis, vt idem ait[b], dulce ſit
nomen pacis, & ipſa res tum iucunda,
tum ſalutaris; nam neq; priuatos focos,
neque publicas leges, neque libertatis
iura chara habere poteſt, quē diſcordiæ,
quem cædes ciuium, quem bellum pu-
5 blicum delectat: bellum tamen* hone-
ſtū, ex Demoſthenis ſententia, turpi pa-
ci ſemper eſt præferendum. Et quidem
6 iuſta* bella ſunt iure gentium indicta[c]:
& tum iure canonum[d], tum etiam iure
diuino permiſſa[e]. nam & Deus ipſe pręcepit
Iſraëlitis, vt Amorrhæis, alijsq; po-
pulis bellum inferrent[f]. vnde D. Au-
guſt.

a offic. lib. 1.
b Philipp. 13.
c l. ex hoc iure. ff. de iuſt. & iur.
d c. iuſtum c. Dominus. 23. quæſt. 2. Innoc. in c. olim. de reſtit. ſpol.
e c. niſi bella. c. noli. c. militare. 23. q. 1. c. notandum. 23. quæſt. 2.
f Deuter. 2.

guſt.[a] Noli, inquit, exiſtimare neminem “
Deo placere, qui armis bellicis mini- “
ſtrat. nam Dauid Deo acceptiſsimus, & “
Centurio ille, cuius fides diuino teſti- “
monio extollitur, & alij ſancti viri ope- “
ram militię dederunt. Vt autem bellum “
dicatur iuſtum, debet in primis *aucto- 7
ritate & mandato ſummi principis, pe-
nes quem eſt belli pacísq; arbitrium, in-
dici, & ſuſcipi [b]. Nam ad priuatum non
ſpectat bellum mouere, cùm ius ſuum in
iudicio perſequi poſsit & debeat. violat
enim ius principis, qui ſine iuris aucto-
ritate, manu regia ius ſibi dicit [c]. Sed
nec vlli, inſcio & inconſulto principe,
quorumlibet armorum mouendorum
copia tribuitur [d]. Et lege Iulia maieſta-
tis tenetur, qui iniuſſu principis bellum
geſſerit, delectúmve habuerit, aut exer-
citum comparauerit [e]. Itaque Cato cen-
ſebat reuocandum exercitum, & Cæſa-
rem hoſtibus dedendum, quòd iniuſſu
populi bellum in Gallia gereret [f]. Apud
Romanos *enim penes populum, cuius 8
erat ſummum imperium, belli pacísque
arbitriũ fuit, vt ex multis Liuij locis ſa-
tis conſtat. Itaque patres decreuêre, in-
quit Liuius [g], vt tribuni militum de bel-
lo indicendo Veientibus, primo quoque
die ad populum ferrent. item Præneſti-
nis ex S.C. populi iuſſu bellũ indictum
eſt [h], & ex auctoritate patrum populus
Palæ-

a *epiſt. 1. ad Bonifac.*

b *c. quid culpatur. 23. q. 1. D. Auguſtin. lib. 22. contra Fauſt. cap. 74.*

c *l. exſtat. D. de eo quod met. cauſ.*

d *l. vnic. C. vt armi. vſus inſc. princip. ſit interdict. lib. 11.*

e *l. 3. D. ad legem Iul. maieſt.*

f *Plutar. in Cat. Vticen. & Iul. Cæſar.*

g *Liuius l. 4.*

h *Liuius lib. 16.*

Palæpolitanis bellum fieri iuſsit: item
Veſtinis [a], & Aequis [b]. Vnde cùm popu-
lus omne imperium in ſe, poteſtatém-
que, principi lege Regia cōtulerit [c], hoc
belli pacíſque arbitrium eſt apud ſolum
principem: quod ita penes ipſum reſi-
det, & maieſtati principis cohæret, vt ab
eo diuelli non poſsit [d]. & hoc ius reges
ſemper habuiſſe, indicat quoque hiſto-
9 ria ſacra [e]. Nonnunquam tamē*, vtputa
ex magna & neceſſaria cauſa, & ſi prin-
ceps ſit abſens, ſitque periculū in mora,
etiam iniuſſu principis bellum geri po-
terit [f]: preſertim ex cauſa defenſionis,
quæ iure naturæ cuilibet conceditur [g].
Quo caſu non ſolùm licebit propellere
iniuriam, ſed etiā vlciſci [h], & hoſtes ſe-
dibus ſuis pellere, ſi aliter ab ijs tuti eſſe
non poſſumus. neque enim dicendus eſt
quis moderamen inculpatæ tutelæ ex-
cedere, qui id facit, ſine quo periculum
euitare non poteſt: vt multis oſtendit
Marian. Socin. [i] Nepos, qui exiſtimat
iſtud bellum dici iuſtum, etiā quoad ef-
fectum, & iuri belli locum eſſe (effectus
enim ex cauſis colligitur. [k]) ideóq; capta
in hoc bello, fieri capientium: & hæc
multò magis obtinere, ſi cum rebellibus
res ſit: quorum conatus non ſolùm qui-
libet poteſt, ſed etiam tenetur cohibere,
nō exſpectato iuſſu principis, ſi ſit peri-
culum in mora. Si enim is, qui non pro-
pellit

a *Liuius lib.* 18.
b *Liuius lib.* 19.
c *l.* 1. *D. de conſtit. princ.*
d *Latè Bodin. de repub. lib.* 1. *cap. vlt.*
e 1. *Reg. c.* 8.
f *Argumento l. ſi alius. §. belliſsimè. in fine. D. quod vi aut clàm. l. generali. C. de decur. lib.* 10. *l. ait prætor. §. ſi debitorem. D. quæ in fraud. credit.*
g *l. vt vim. D de iuſt. & iur. l.* 1. *quand. lic. vn. ſin. iud. ſe ven. Clem. Paſtoralis. in fine. de re iud.*
h *c. Dominus* 23. *q.* 2.
i *Conſ.* 68. *tomo* 3.
k *l.* 2. *§. vlt. & l. ſequ. D. de donation.*

pellit à ſocio iniuriam, cùm poteſt, tam eſt in vitio, quàm is qui facit[a]: quid de iniuria, quæ principi fit, dicendum eſt? præſertim*cùm ij, qui quid contra prin- 10
cipis maieſtaté & reipub. quietem machinantur, ipſo iure in pœnam rebellionis incidãt[b], & quaſi hoſtes occidi poſſint[c], vel captiui haberi[d]: vnde multò magis bona eorum capientium fient[e]. éſtque inter cetera, quæ in Romana hiſtoria inuenire licet, præclarum in hanc ſententiam exemplum de L. Pinario, Ænnæ in Sicilia præfecto præſidij: qui cùm ciuium rebellioné, & defectionem ad Carthaginienſes, præſentiret, & liberum non eſſet legatos ad Cõſulem Marcellum, quáuis haud procul eſſet, mittere, ex improuiſo magna cæde facta, ciues omnes oppreſsit. quo facinore Ænna retenta eſt, eiúſque factum Marcellus non improbauit, & prædam Ænnẽſium militibus conceſsit[f]. Itaque Cicero laudat factum Octauij Cęſaris, qui, non exſpectato ſenatus decreto, bellum contra Antonium ſua ſponte ſuſceperat. decernendi enim tempus, vt ille ait, nondum venerat; belli autem gerendi tempus ſi prætermiſiſſet, videbat, repub. oppreſſa, nihil decerni poſſe[g]. & ſenatus quoque bellum priuato conſilio à Cæſare ſuſceptum, auctoritate publica comprobauit[h]. Sic quoq; Scipio Naſica maximam laudem

a c. non in inferenda. 23. q. 3.

b ex. qui ſint rebell.

c l. 3. §. vlt. D. ad l. Cornel. de ſicar. l. proditores. D. de re militar.

d l. transfugam. D. de acq. rer. dom.

e Gloſſ. ex. qui ſunt rebell. & ibi Bart. & Cur. Iun. conſ. 137.

f Liuius lib. 24.

g Cic. Phil. 8.

h Cic. Phil. 5.

laudem meruit, qui priuata auctoritate,
ſe omnibus bonis ducem prębens, Tib.
Gracchū cum ſcelerata factione oppreſ-
ſit [a]. Neceſſe eſt enim, vt inquit Cicero,
10 in tanta perturbatione rerum, tempori-
bus potiùs parêre, quàm moribus. &, vt
idem ait, ſemper in pace conſuetudini,
in bello vtilitati parendum eſt. in quam
ſententiā alio loco plura à nobis dicen-
tur*. Prętere a bellū non niſi ex iuſta &
neceſſaria cauſa gerendum eſt[b]: & abeſſe
debet omnis nocendi cupiditas, vlciſ-
cendi crudelitas, & dominandi libido [c].
quò ſpectant illa quæ iure feciali apud
Romanos fuêre predita. Neque ſolùm
peccat, qui ex iniuſta cauſa bellum ge-
rit: ſed etiam opinione humana paſsim
receptum eſt, eum ferè ſemper ſuccum-
bere. Nam, vt inquit Propertius,

Frangit & attollit vires in milite cauſa.
Quæ niſi iuſta ſubeſt, excutit arma pudor.

11 Iuſtæ verò belli*cauſæ pręcipuæ ſunt
hæ: Defenſio proprij imperij, perſona-
rum, amicorum, ſociorum, & rerum [d].
ad defenſionem enim ipſa lex naturalis
etiam priuatis auctoritatē præſtat [e]. Iu-
ſtum ergo bellum, vt C. Pontius Sam-
nitium dux dicebat, quibus neceſſarium;
& pia arma, quibus nulla niſi in armis
ſpes relinquitur. Subeſt quoque iuſta
belli cauſa, cùm geritur ad recuperan-
das res quæ per vim & iniuſtè ab hoſti-

bus

a *Val. Max. lib. 3. cap. 2. Appian. de bell. ciu. lib. 1.*

* *lib. 2 c.*

b *c. noli. 23. queſt. 1.*

c *c. quid culpatur. 23. q. 1.*

d *c. iuſtum. 23. queſt. 2. c. fortitudo. cum duob. ſequen. 23. c. olim. & ibi Innoc. de reſtit. ſpol.*

e *l. vt vim. D. de iuſt. & iur. l. furem. D. ad l. Cornel. de ſicar. l. itaque. D. ad l. Aquil.*

bus detinentur [a]: vel vt iniuriæ vel dãni illati auctores dedantur ad ſupplicium, ſi fortè non publico, ſed priuato cõſilió iniuria illata fuerit [b]. quod etiã iure feciali cautum fuiſſe ſuperiùs oſtendimus. Itaque Dauid, mortuo Saule, bellum geſsit cum Isboſeth, filio Saulis, qui occupare nitebatur regnum Iſraël, quod Dominus per Samuelem Prophetã tradiderat Dauidi [c]. & Romulus Albanis bellũ intulit, quòd dictator eorũ Cluilius, nollet res raptas reſtituere, neque raptores tradere [d]. Eſt præterea iuſta belli cauſa, vindicta iniuriæ iniquiſsime illatæ [e]. Sic legimus Dauidẽ regem intuliſſe bellum regi Ammonitarum, propter deriſos legatos ſuos [f]. Et quidem ratione iniuriç illatç, dicetur etiam bellum iuſtum, ſi quis prohibeatur tranſire per alicuius prouinciam. modò trãſitus innoxius futurus ſit: qui iure humanæ ſocietatis patêre debet [g]. Itaque Iſraëlitæ bellũ intulerunt regibus Amorrhçorum, propter non conceſſum tranſitum innoxium, in terram ipſis à Deo permiſſam [h]. Iuſtiſsimã* deniq; belli cauſam 12
habet princeps, qui armis perſequitur rebelles, & ab imperio deficiẽtes [i]. grauis enim iniuria infertur Deo, & principi, cùm eius imperio ſubditi reſiſtunt. non eſt enim poteſtas, niſi à Deo: & qui reſiſtit poteſtati, vt inquit Paulus [k], Dei ordi-

a c. *Iuſtum.* 23. *queſt.* 2. D. *Auguſtin. queſt.* 10. *ſuper Ioſue lib.* 2.
b c. 1. *de iniur. in* 6. *cap. Dominus.* 23. *queſt.* 2.
c [illegible]. *Reg. c.* 2.
d *Dionyſ. Halic. lib.* 3.
e c. *Dominus* 23. *queſt.* 2. *cap. diſpar.* 23. *queſt.* 8.
f 2. *Reg. cap.* 20. *cum duob. ſequent.*
g c. *vlt.* 23. *queſt.* 2.
h *Num.* 2
i c. *auctoritatem.* 15. q. 6. [illegible]. *ſcire vos.* 23. *qu.* 8. *fac. l. amiſsione.* §. *qui deficiunt.* D. *de capit. minut.*
k *ad Roman. cap.* 13.

13 ordinationi reſiſtit: & iniuria* facta principi, cẽſetur facta Deo: qui Samueli, à quo populus alium regem petebat, dixit: Non te abiecerunt, ſed me, ne regnem ſuper eos[a]. Dauid autem bellum geſsit cum Seba filio Bochri, qui populum ſollicitauit, vt à Dauide ad ipſum
14 deficeret[b]. Sed cùm rebellis* propriè hoſtis dici non poſsit, (nam aliud eſt hoſtis, aliud rebellis[c]) verius eſt, vt ſi cũ ſubditis rebellibus armis certetur, non tam dicamus eſſe bellum, quàm executionem iuriſdictionis, & perſecutionem rebellium[d]. Vnde etiam non erit opus auctoritate ſũmi principis, ſed ſufficiet eius qui iuriſdictionẽ habet[e]. Hinc iura
15 belli*, captiuitatis, & poſtliminij, quæ hoſtibus tantùm cõueniunt[f], non poſſe rebellibus cõuenire, conſequẽs videtur: ſicut nec piratis & latronibus (qui hoſtium numero non cõtinentur) conueniũt[g]. quod ita intelligi debet, vt ipſi iure belli agere non poſsint: ideoq; dominium rerũ captarum non acquirũt[h], quod hoſtibus tãtùm tributum eſt[i]. in ipſos verò iure belli ſæuire, multóque magis quàm in hoſtes, licet: ſunt enim odio digni maiore; & nõ debet eſſe melioris cõditionis rebellis & latro, quàm legitimus & iuſtus hoſtis[k]. Quò ſpectare videtur quod[l] Cicero ſentit, non eſſe mittendos legatos ad Antonium, nec

a 1. Reg. c. 8.

b 2. Reg. c. 20.

c ex. qui ſunt rebelles. l. hoſtes. D. de captiu. l. hoſtes. D. de verbor. ſignificat.

d Innoc. in c. olim. 1. de reſtitut. ſpoliat.

e d. l. qui reſtituere.

f l. poſtliminij. & toto tit. D. de captiu.

g D. l. hoſtes.

h l. poſtliminium. §. à piratis. D. de captiu. l. à latronib. D. de teſtam. l. hoſtes.

i D. l. poſtliminij.

k Argumento l. 3. §. 1. D. de donat. inter vir. & vx.

l Philip. 5.

verbis rogandum, ſed cogendum armis eſſe recedere ab obſidione Mutinæ, coloniæ populi Rom., & oppugnatione Bruti imperatoris, conſulis deſignati, & ciuis optimi. non enim cum Annibale rem eſſe, hoſte reipub., ad quem ſenatus olim legatos miſerat, vt à Sagunto recederet, ſed cum ciue. Neque intereſſe dicebat, vtrùm vrbem Romanã Antonius oppugnaret, an coloniam populi Rom. præſidij cauſa collocatam. & alibi idem Cicero ad Plancum ſcribens [a] dicit, cum Antonianis, à quibus Brutus Mutinæ obſidebatur, pacem fieri non debere: vocans eos fœdiſsimos latrones, qui aut armis poſitis pacẽ petere deberent; aut, ſi pugnantes eam poſtularent, victoria pacem, non pactione, pariendam eſſe. Præterea cùm à parte principis ſint omnia illa, quæ ad iuſtum bellum ſunt neceſſaria, nempe belli gerendi ius, & iuſta belli cauſa; à parte verò rebellium, neq; belli gerẽdi ius, quod ſoli principi competit, vt ſuperiùs oſtẽdimus, neque iuſta belli cauſa; cùm nulla ſit cauſa rebellandi, vt mox dicemus: ſequitur bellum, quod cum rebellibus princeps gerit, iuſtiſsimum eſſe; ideoque iuri belli locum eſſe contra rebelles, qui tanquam hoſtes occidi poſſunt [b], vel capti ſerui haberi [c], vnde etiam multò magis bona eorum prædæ cedent [d]. effectus enim ex cauſis col-

[a] *epiſt. 6. lib. 10.*

[b] *l. 3. §. vlt. D. ad l. Cor. de ſicar. l. proditores. D. de re militar.*

[c] *l. transfugam. D. de acq. rer. dom.*

[d] *Gloſſ. & Bart. ex. qui ſunt rebell. Curt. iun. conſ. 137.*

colligitur[a]. Quod ita verum puto, ſi auſpicijs ſummi principis bellum geratur: alioqui verò, quamuis defenſio cuilibet permiſſa ſit, & quiſque iuriſdictionem ſuam exercere poſsit, tamen iura belli non aliter locum habebunt, quàm ſi auctoritate & nomine ſummi principis bellum geratur[b]. aliàs enim bellum dici non poteſt. Bellum verò quod rebelles gerunt, iniuſtiſsimum eſſe cõſtat: ideoq́ue iure belli agere non poſſunt, & capti ab ipſis non fiunt ſerui[c]. nam ceſſante cauſa, ceſſat effectus[d], & nemo ex dolo ſuo lucrari aut alijs nocere debet[e]. Non obſtat quod Vlpianus reſpon-
16 dit[f], in ciuilibus diſſenſionibus *, qui in alterutram partem diſceſsiſſent, vice hoſtium non eſſe, eorũ ſcilicet, inter quos iura captiuitatis & poſtliminij vigent; ideoq́ue captos hinc inde non fieri ſeruos: & quòd conſtitutionibus regni Hiſpaniæ, in ciuilibus diſſenſionibus capta iubẽtur cum ſeptuplo reſtitui[g]. Nam hæc locum habent, cùm ciues inter ſeſe diſſentiunt & tumultuãtur; non autem cùm quid contra maieſtatem imperij machinãtur, & in exitium reipub. contendunt[h]. tunc enim hoſtium numero haberi incipiunt[i]. Itaque Vlpianus vſus eſt vocabulo partis. partes autem dici ait Cicero[k], cùm ſciſſa in duas partes repub. ciues inter ſe contendunt; quæ etiam

a *l. 2. §. vlt. cum l. ſeq. D. de don.*
b *Bart. in l. hoſtes. D. de captiu. Innoc. in c. olim. 1. de reſti. ſpol. in c. ſicut. & infrà de iureiurando.*
c *d. l. poſtliminium. §. à piratis. D. de captiu. d. l. à latronibus. D de teſtam.*
d *c. cum ceſſante. de appellat. l. adigere. D. de iur. patron.*
e *l. dolum. C. de per. & com. rei vend.*
f *in l. ſi quis ingenuam. §. in ciuilibus. D. de captiu.*
g *Reg. lib. 16. tit. 26. par. 2.*
h *D. §. in ciuilibus.*
i *l. amiſsione. §. qui deficiũt. D. de capit. minut. l. nihil intereſt. l. poſtliminium. §. transfugæ. D. de captiu. l. vlt. D. ad l. Iul. Maieſt.*
k *Phil. 13.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

a de bello Gallic. lib. 6. etiam factiones dicũtur à Cæſare [a]. bellum verò, quod Antonius inferret reipub:, non partiũ certamen, ſed defectionem à populo Romano, vocari debere.

b In Catil. 4. Hinc quoq; Cicero [b] diſſentit à Cæſare, qui propter legem Semproniam, quæ iniuſſu populi de capite ciuis Rom. iudicari vetabat, non cẽſebat mortis pœnam irrogandam Cethego & Lentulo, Catilinariæ coniurationis ſocijs, ad quæ docet Cicero legem Semproniam, quæ de ciuibus Romanis cõſtituta eſt, ad eos, qui eſſent reipub. hoſtes, qui certè ciues eſſe nullo modo poſſent, non pertinere. Sic certè bello cum Latinis, Campanis, Fidenatibus, Hernicis, Aequis, Hetruſcis, alijſque populi Romani ſocijs, quos ſubditos, non participes imperij, fuiſſe

c lib. 2. & 8. ſatis cõſtat ex Liuio [c], Appian. [d] & Dio-

d de bell. ciuil. lib. 1. nyſ. Hal. [e], deficiẽtibus & rebellantibus,

e lib. 3. & 4. legimus victos omnia hoſtilia paſſos fuiſſe, & capta prædę ceſsiſſe, atq; captos in ſeruitutẽ redactos: imo multò duriùs cum ijs actum fuiſſe, quàm cum alijs hoſtibus. cenſebant enim maximè ita rebellantes in officio poſſe contineri, ſi id actum eſſet, ne poſſent rebellare. quãdiu enim malis relinqueretur malefaciendi facultas, adfore & voluntatẽ. Atque ita Capua, quę per deditionẽ populi Rom.

f Liuius lib. 7. facta fuerat [f], cùm ad Pœnos defeciſſet, expugnata à Romanis, lxx. pondo auri, & ar-

& argenti tria millia ex præda ad quæſtores delata ſunt; lxx. principes ſenatus interfecti: trecenti ferme nobiles Campani in carcerem conditi, varijs caſibus interierunt: multitudo alia Campanorum venundata, ager omnis & tecta publica populi Romani facta ſunt[a]. Similiter cum Fidenatibus, quæ erat colonia populi Romani, rebellantibus actum[b]. Ænna quoque, in Sicilia, vt ſuperiùs diximus, quæ præſidio Romanorum tenebatur, cùm ad defectionem ſpectaret, cum magna cæde ciuium direpta fuit[c]. eodem modo, poſtquam Gallia in prouinciam eſſet redacta, cum Gallis rebellibus actum fuiſſe paſsim inuenias apud

17 Cæſarem. Porrò in diſſenſionibus ciuilibus non inutilis futura videtur lex Solonis: quæ, inter alias antiquiſsimas, Athenis axibus ligneis inciſa erat: qua cauit, vt qui exorta ſeditione populari, & ſciſſa in duas partes ciuitate, neutri ſe adiunxiſſet, hic domo, patria, fortuniſq; careret, exul extorriſq; eſſet. Quod & Phauorinus Philoſophus inter fratres quoq; & amicos diſsidentes fieri oportere cenſuit: vt vtriuſque partis amici, ſi ad concordiam componendam parum auctoritatis habuerint, tum alter in alteram partem diſcedat, & hac ratione viam ſibi ad vtriuſque concordiam muniat[d]. Equidem hanc legē hiſce noſtris

a *Liuius l.36.*

b *Liuius lib.4*

c *Liuius l.34.*

d *Gell.lib.2. cap.2.*

temporibus vtiliſsimam fore cenſeo, ad hoc, vt exorta aliqua factione malorum, protinus omnes boni communibus viribus eos opprimant, neque ſe vnà cum repub. opprimi patiátur: vt, proh dolor, cum magno reipub. Chriſtianæ detrimento, & huius Belgij euerſione, paſsim fieri videmus. dum enim boni nimia ſua modeſtia & patientia malis conatibus ſeditioſorum ciuium concedẽdo, ſe pacem habituros confidunt, duriſsimum ſibi ſeruitutis iugum inijciunt: quod poſtea fruſtra excutere conátur. & fit, vt cùm bonorum iacturam aut vitæ periculum pro repub. adire recuſant, neceſſariò cum repub. pereant. omne enim malum naſcens, vt inquit Cic., facilè opprimitur; inueteratum, fit plerumque robuſtius. Neque etiam * ſemper tutiſſimum erit, quod plerique arbitrantur, 18
non interponere ſe bello, ſed ſpectatorẽ belli, fortunarumque alienarum, euentum ſine vllo diſcrimine rerum ſuarum operiri: quod legati Antiochi & Ætolorum, qui Romanos Græcia expellere conabãtur, Achæis amicis Romanorum perſuadere nitebantur, petentes vt ſaltem neutri parti ſe adiungerent. nam ad ea T. Quintius Proconſul, nihil tam alienum à rebus Achæorum eſſe oſtendit: quippe ſiue gratia, ſiue dignitate, præmium victoris futuros [a]. Ariſtænus quo-

a Liu. lib. 35.

que prætor Achæorum, cùm Romani
primùm eorum amicitiam expeterent,
& Philippus ſaltē ne armis intereſſent,
poſtularet, oratione ad ſuos habita oſ-
tendit, Romanos aut ſocios habendos,
19 aut hoſtes; mediam * viam nullam eſſe [a]: a *Liuius l. 32.*
quæ, vt Pontius Samius dicebat, neque
amicos parat, neque inimicos tollit. Ita-
que Portius Cato, ſummus vir, Pōpeio
& Cæſare inter ſe contendentibus, quā-
uis à factionum auctoribus multis in re-
bus cauſa reipubl. diſſentiret, & neutrius
mentem planè probaret; tamen, bello
exorto, non ſibi quieſcendum exiſtima-
uit, ſed eas partes ſecutus eſt, quæ plus
æquitatis habere viderētur, Bruto etiam
dehortante, cui prudenter reſpondet:
Summum, Brute, nefas ciuilia bella fatemur:
Sed quò fata vocant, virtus ſecura ſequetur.
& cetera, quæ carmine proſequitur Lu-
canus [b]. Sed hæc deliberatio, vtrius par- b *libro 2.*
te æquiores ſint, in democratia vel ari-
ſtocratia, ſciſſo imperio, quod pluribus
commune eſt, admitti poteſt; in monar-
chi verò, optimus & prudentiſsimus
20 quiſque principis *, apud quem ſumma
imperij eſt, auctoritatem ſequetur, cōtra
ſeditioſos & turbulentos ciues & ſub-
ditos. poſtquam enim viſum eſt reipubl. c *l. 2. §. nouiſsimè. D. de orig. iur.*
per vnum conſuli [c]; cui lege regia popu-
lus omne imperium in ſe poteſtatemque
conceſsit [d], quique eſt communis om- d *l. 1. D. de conſtit. princ.*

nium parens[a], & cui diuina lege obe-
dire iubemur[b]; eum, non ſecus ac pa-
triam, defendere & tueri quilibet debet.
Et quidem, vt inquit Cicero, nulla iuſta
*cauſa videri poteſt aduerſus patriam 21
arma capiendi. & Plato nefas eſſe duxit,
vi vti contra patrem vel matrē, omnium
verò maximè contra patriam. Nulla au-
tem tanta impietas, nullum tantum ſce-
lus, quod ſit parricidio vindicandum[c].
Parricidá verò patriæ vocat Cicero An-
tonium; quòd reipub. bellum inferret:
cuius certè ſalus præferri debet ſaluti
patris[d]. Rempub. voco *: in quo ſanctiſ- 22
ſimũ nomen patriæ contineri dixit Co-
nificius[e]: non ſolùm ipſum, quod ab-
ſurdum eſſet; nam omne ſolũ viro fori
patria eſt; ſed, vt Cicero interpretatur,
cœtum ciuium iuris conſenſu & vtili-
tatis communione ſociatum. Quò ſpe-
ctat quod Cenſorinus apud Appianum[f]
legatis Carthaginienſium reſpondit: ci-
uitatem Carthaginienſium, quam Ro-
mani promiſerant liberam fore, non in
muris & ædificijs conſiſtere: quæ delere
vellent. Factionem verò optimatum &
ſeditionem, & conſpirationem populi,
remp. dici non poſſe, idem Cicero aſe-
rit. iniuſtus enim populus, quem tyran-
num vocat, non poteſt rempub. conſti-
tuere. Nam, vt modò diximus, qui ho-
ſtili animo aduerſus rempub. vel prici-
em

a *Authen. neq; vir quod ex donat. in fine.*
b *Paul. ad Rom. 13.*
c *Quintil. declam. 286.*
d *l. minimè D. de religion. & ſumptibus funer. l. veluti. D. de iuſt. & iur.*
e *ad Heren. lib. 4.*
f *in bello Pun.*

pem eſt animatus, cùm natura ſit ciuis, voluntate ſit hoſtis, diciturq́; perduellis[a]: quo nomine hoſtes appellari ſolent[b]. Et quidem hæc duo, princeps & reſpub., ita connexa ſunt & copulata, vt illius hoſtis nemo eſſe poſſit, quin etiam ſit huius, & è conuerſo[c]. Pro patria verò mori, & ei nos totos dedere, & in ea noſtra omnia ponere, & quaſi nos conſecrare debemus, vt inquit Cicero[d]: &, vt idem ait, laudandus eſt, qui mortem oppetit pro repub., quique docet chariorem eſſe patriam nobis, quàm noſmetipſos. Omnia itaque quæ agimus, non ad noſtram vtilitatem & commodum, ſed ad patriæ & principis ſalutem conferre debemus. quo nomine Demarathus Lacedæmonius, Ariſtides, Phocion & Themiſtocles Athenienſes; Tarquinius Collatinus, Camillus & Rutilius Romani, maximam laudẽ meruerunt: qui omnes iniurias à patria illatas, æquiſsimo animo tulerunt, & nullam vindictã, quamuis non deeſſet facultas, moliti ſunt. quin Themiſtocles, ſumpto veneno, mori maluit, quàm Perſarum regi, à quo magnis honoribus & præmijs erat affectus, operam ſuam ad bellum patriæ, licet ingratæ, inferẽdum præſtare. & Camillus, vir optimus, & de patria optimè meritus, in exilium actus, patriæ in extremo periculo, immemor iniuriæ, opem tulit,

a *in l. vlt. D. ad leg. Iul. maieſt.*

b *l. quos nos, D. de verbor. ſignific.*

c *d. l. vltim.*

d *de legibus lib. 2.*

eamque, hoſtibus expulſis, reſtaurauit. Inobedientia* autem ſubditorum, & re- 23
bellio in principem, grauiſsimum crimen habetur, & hæreſi comparatur[a]: & inobediens dicitur infidelis[b]. Quomodo enim, inquit D. Hieronymus, fidelis eſſe poterit in ſubſtantia Dei, qui carnali domino fidem adhibere non potuit[c]? ideoque ob quantumuis grauia onera à rege ſubditis impoſita non licet rebellare. nam melius eſt omnia mala pati, quàm malo conſentire[d]. & quamuis onus à ſuperiore impoſitum ſit difficile, nihilominus tamen ferendum eſt, & pia deuotione tolerandum[e], propter bonum obedientiæ. generale enim pactum eſt ſocietatis humanæ, obtemperare regibus ſuis[f]. Quare quamuis Roboam, filius & ſucceſſor Salomonis, nollet vel minimum Iſraëlitis, de iugo duriſsimo ipſis impoſito per Salomonē, minuere; ſed diceret, quòd graui iugo, à patre impoſito, grauius ſuperadderet; ideoque decem tribus Iſraël ſciſſæ à tribu Iudæ & Beniamin, relicto rege ſuo, Hieroboā feciſſent regem[g], non tamen ex eo extra culpam fuerūt. nam indignatus eſt Dominus omni ſemini Iſraël, & demoliuit eos, & dedit eos in direptionem, donec abijceret eos à facie ſua: quia ſcilicet ab vnitate diſsipati, alterum ſibi regē conſtituiſſent[h]. Similiter quamuis Nabuchodo-

a c. ſciendum. 8 quæſt. 1. c. ſi Papa. 40. diſtinct.

b c. nullus. 38. diſtinct.

c c. ſi apud. 23. quæſt. 5.

d c. ita nec. 32. quæſt. 5. cap. Lotharius. 31. q. 2.

e c. in memoriam. 19. diſt.

f c. quæ contra. diſt. 8.

g 3. Reg. 12.

h Cypr. lib. 1. epiſt. 6. c. denique. 7. q. 1.

chodonoſor rex eſſet infidelis, & plurima mala faceret[a], & ſtatuã ſuam auream adorari præciperet, & eos, qui non adoraſſent, mitti in fornacẽ ignis ardentis[b]; tamen dixit ei Daniel: Tu rex regũ es, & Dominus cæli regnũ & fortitudinem & imperium dedit tibi[c]. & Dominus per Prophetam Hieremiã ait: Dedi omnes terras iſtas in manu Nabuchodonoſor regis Babylonis, ſerui mei: inſuper & beſtias agri dedi illi: & ſeruient illi omnes gentes, & filio eius, & filio filij eius, donec veniat tempus terrę eius, & ipſius: & ſeruient ei gẽtes multę, & reges magni[d]. Et Propheta Baruch: Orate, inquit, pro vita Nabuchodonoſor regis, & pro vita Balthazaris filij eius, vt ſint dies eorum ſicut dies cæli ſuper terrã[e]. & Ezechiel Propheta grauiter inuehitur in Sedechiam regem Iudæ, accuſans eius perfidiam & rebellionem cõtra regem ſuum Nabuchodonoſor[f]. Sed & Dauid rex Hebræorũ diuina auctoritate deſignatus, tamen Saulem (qui per legem diuinam regno erat priuatus) regnantem, & illi infenſum, ſemper eſt honore regio proſecutus: & cùm poſſet eundẽ, in ſpeluncam, in qua latebat, ingreſſum, ſolum paruo negotio obtruncare, noluit, negans ſe extẽſurum manum in chriſtum Domini[g]. iuſsit quoque Dauid occidi illum, qui nunciabat ſe occidiſſe Saulem,

a Hier. 39.
b Daniel. 3.
c Daniel. 2.
d Hier. 27.
e Baruch c. 1.
f 2. Paral. 36.
g 1. Reg. cap. 24. & 26.

inquiens: Quare non timuiſti mittere
a 2.Reg. c. 1. manum tuã in chriſtum Domini[a]? Reges ergo & principes, ſi boni ſunt, tanquam à Deo miſsi ad vindictam malorum, laudem verò bonorum, vt inquit
b epiſt. 1. c. 2. Petrus[b], ſumma pietate coli debent; ſin mali, patiẽter tolerari. principum enim & regum peccata ferẽda ſunt, & ad Dei iudicium reijciẽda, cui placet interdum populos, ob ipſorum peccata, iniquitatẽ principum affligi. nam, vt eſt in ſacris li-
c Iob cap. 14. teris[c], Deus regnare facit hominem hy-
d Alphon. de Caſt. contra hæreſ. in verb. Poteſtas. pocritã propter peccata populi[d]. nulla autem poteſtas niſi à Deo, vt Paulus teſtatur[e], qui nos principibus obedire iu-
e ad Rom. 13. f ad Tit. 3. bet[f]. & Petrus etiam dyſcolis dominis
g epiſt. 1. c. 2. nos parere vult[g]. & idẽ docet honorandos eſſe reges: cùm tamen tunc nullus adhuc rex Chriſti fidem accepiſſet, ſed omnes eſſent infideles, & in Chriſtianis perſequendis crudeliſsimi. neque enim Neronis & Domitiani, & aliorum crudelitatem, tot ſcriptorũ literis celebratam, quiſquam ignorat: iiſdem tamen Chriſtiani ex precepto Dei obediebant, quatenus nihil preciperetur quod Deum offenderet: qui ſciebant magis obedien-
h Actor. 1. dum, quàm hominibus[h]. Ex his certè *24
liquet, quòd quamuis tyrãnum, qui per vim & illegitimè principatum occupauit, ſi tyrannis aliter tolli non poſsit, occidere cuilibet licitum ſit; & per legem

Vale-

Valeriam ſacrum eſſet cum bonis caput eius, qui conſilia regni occupandi iniјſſet [a]: illum tamen, qui iure ſucceſsionis electioniſve princeps eſt, quamuis iniquè & crudeliter agat, priuato non licere occidere, neque populo eum reijcere, vel ab eo deficere [b]. idque Concilio Conſtantienſi [c] deciſum eſt: quo etiam hæretici declarãtur contrariæ ſententiæ
25 aſſertores [d]. legitimus * enim princeps, quamuis crudelis & iniquus, tyrannus
26 dici non poteſt. cumq; lege * regia, imò ex ordinatione Dei, omne imperium & poteſtas principi in populum ſit collata; illum iudicare populus non poterit. non enim poteſt inferior iudicio ſuperiorem ligare [e]. Quò ſpectat quod Propheta ait [f]: Nunquid gloriabitur ſecuris cõtra eum qui ſecat in ea? aut exaltabitur ſerra contra eum qui trahit eam? ex quibus luce clarius eſſe Nicolaus Papa reſcripſit, non poſſe quemquam qui minoris auctoritatis eſt, eum qui maioris poteſtatis eſt, iudicijs ſuis addicere, aut proprijs definitionibus ſubiugare [g]. Itaque rectè M. Aurelius Imperator populo magiſtratum, magiſtratui regem, regi verò Deum iudicem conſtitutum dixit. Et quidem ſi princeps, qui poteſtatem à Deo habet, indicta cauſa, neminem punire aut condẽnare poteſt [h]: qua auctoritate ſubditi, qui nullam poteſtatem acceperunt,

a *Plut. in vita P. Valerij. & Dion. Hal. lib. 5.*

b *Felin. in c. cùm nobis. ex. de præſcript. Brix. in reper. in verbo Tyrannus. Domin. à Soto de iuſt. & iur. lib. 5. q. 1. art. 8.*

c *ſeſs. 15.*

d *Alphon. de Caſt. contra hæreſ. in verbo Tyrannus.*

e *c. inferior. 21. diſt. l. nam magiſtratus. D. de recep. arb.*

f *Eſaiæ 10.*

g *in d. c. inferior.*

h *Clement. paſtoralis de cenſib. & re iudic.*

ceperunt, principem, cuius in poteſtate & imperio ſunt, & cui obedire iubentur, ſuo arbitrio expellere aut reijcere poterunt? cùm ne tyrannus quidem, lege Solonis, indicta cauſa occidi poſſet: & cùm iuri naturali repugnet, vt inferior habeat imperium in ſuperiorem, & vt idem ſit accuſator & iudex. Grauibus ergo pœnis coërcetur, ex primo capite legis Iuliæ, non ſolùm qui principem occidit, ſed etiam cuius operâ, dolo malo, conſilium occidendi initum fuerit, vel quid contra maieſtatē imperij machinatum [a]. Sed & ſi quamcunque infamiam, quæcunque pericula, mortem denique, ſi res ita poſtulat, pro ſalute principis & patriæ ſubire, iura diuina & humana cogunt, quæ iuſta rebellandi cauſa eſſe poteſt? Quemadmodum enim videmus in corpore humano omnia membra capiti, tanquā parti nobiliori, obedire, qualiacunque tandem præcipiat, & pro eius ſalute nullum recuſare periculū: ſic quoque ſubditi, qui ſunt membra reipub. ſalutem principis, qui reipubl. caput eſt, proprio commodo præferre debent. & huius quoque ſentētiæ aſſertores fuere, qui inter Hebræos præcipui habiti ſunt, Eſſęi vocati, id eſt, executores legis diuinæ: qui reges & principes, qualeſcunq; tandē ſint, ſubditis inuiolabiles eſſe debere, dixerunt, tanquam à Deo miſſos.

a l. 1. D. ad l. Iul. maieſt. l. quiſquis. eod. titulo.

Neque

Neque quemquam mouerit exemplum Tarquinij Superbi, qui regno pulſus eſt, propter ſua ſcelera: tum quia nõ rex, ſed verè tyrannus fuit: (non enim legitimè, ſed per vim, nefario ſcelere occiſo Tullio ſocero ſuo, regnum adeptus eſt [a]) tum etiam quia, vt I.C. ait, nõ quid Romæ fiat, ſed quid legitimè fieri debeat, ſpectandum eſt [b]. errant enim, vt inquit Cicero, qui, quod exemplo fit, id etiam iure fieri putant. Et hæcquidem ita procedunt, ſi ſummum imperium ſit apud vnum principem; ſin verò ſit apud populum, vel optimates, certè hoc caſu ſine dubio licebit cum tyrãno iure agere, ſi tempora permittãt; ſin minùs, licebit eum vi opprimere, & quauis ratione tyrannum è medio tollere. Itaque ſenatus priorẽ viam ſecutus eſt in Nerone tollendo, poſteriorem in Maximino. Sciendum eſt enim, Imperatores Romanos non habuiſſe ſummum imperiũ, quamuis plerique id ſibi tyrannicè vſurpauerint [c]. idque indicant hæc Suetonij verba in Caligula: Parũ abfuit, inquit, quin ſpeciem principatus in regnum conuerteret. non enim erant imperatores aliud quàm principes, imperium verò erat apud populum [d]. Reges verò imperio
27 abutẽtes* poterit ſummus Pontifex varijs modis coërcere, & compellere vt adminiſtrent iuſtitiam [e]. gerit enim vices

a *Dion. Hal. libro 4.*

b *l. ſed Lex. D. de off. præſ.*

c *Appianus in proœm. l. 1*

d *Bodin. de rep. lib 1. c. 8.*

e *c. adminiſtratores. 23. quæſt. 5.*

Dei

Dei in terris, à quo vtrumque gladium accepit, ſpiritualem & temporalem, ad reipub. Chriſtianæ quietem & conſeruationem [a]. Itaque Nicolaus Papa Lotharium reprehendit propter ſua peccata [b]: & Gelaſius Anaſtaſio minabatur [c]. Innocentius, eius nominis primus, Arcadium Imperatorem, eo quòd ſanctum Ioannē Chryſoſtomum è ſede ſua pelli permiſerat, excommunicauit [d]. Sed &, ſi Reip. Chriſtianæ omnino conueniat, non ſolùm coërcere poterit, ſed etiam deſtituere. quemadmodum Deus (cuius vicarius eſt Pontifex) Saulem regno priuauit, & Dauidem in locum eius ſurrogauit [e]. ſicque Zacharias Pontifex Childericum eius nominis tertiū Francorum regem deſtituit, & Francos iuriſiurandi religione exſoluit [f]. Innocentius quartus Fredericum II. Imperatorem, propter ſua ſcelera primùm excommunicauit, &, cùm nihil proficeret, indignū imperio iudicauit, & ſubditos à vinculo ſacramēti liberauit [g]. & idem Innocentius, Luſitaniæ regi, propter ſuam negligentiam, fratrē ipſius, Comitem Bononienſem, collegam dedit [h]. Hanc verò poteſtatem populo tribuere, vt nonnulli voluerunt [i], non ſolùm abſurdum eſt, & iniquum, ſed etiam ad reipub. euerſionem ſpectat. non enim rex, ſi aliquantulum contra voluntatem populi imperat, pro-

a *c. nouit. de iudic. c. vnam ſanctam. ex. de maior. & obed.*
b *in c. ſcelus. 2. quæſt. 1.*
c *in c. alius. 15. quæſt. 6.*
d *c. duo ſunt. diſt. 96.*
e *1. Reg. c. 6.*
f *c. alius. 15. quæſt. 6.*
g *cap. ad Apoſtolicæ. de ſent. & re iud. in 6.*
h *c. grandi. de ſupplend. negligent. prælat. lib 6.*
i *Fer. Vazq. illuſt. quæſt. lib. 1. c. 5. num. 10. Hotom. in Frācogallia. Bernard. de Girard. in hiſt. Frāc. l. 3.*

protinus iniquus & tyrannus dicendus eſt, nam iſta ratione nulli ſint reges. ac Moyſes ipſe iuſtiſsimus & ſapiẽtiſsimus princeps, idem tyrannus iudicaretur: quòd omnia ferè iuberet ac prohiberet contra populi voluntatem. Sed nec monarchia vel regia poteſtas dicenda eſt, cùm arbitrio populi reſpub. gubernatur à rege: quoniam ſtatus reipub. pendet à populo. quo nihil ſtultius, nihil intemperantius, &, cùm in bonos exarſerit, nihil furioſius. Multitudinis namque, vt rectè Liuius, ea eſt natura, vt humiliter ſeruiat, aut ſuperbè dominetur. & Xenophon, idem imperator bonus ac Philoſophus, popularem potentiam virtutibus inimicam eſſe teſtatur: nec aliter ſtabiliri poſſe, quàm bonis omnibus eiectis. quod Seneca paucis verbis complexus eſt: Quis enim, inquit, placere poteſt populo, cui placet virtus? Sic certè legimus, apud Athenienſes & Romanos, longè præſtantiſsimos ciues, & de republ. optimè meritos, oſtraciſmo, exilio, morte, per inuidiam, iniuſtè à ſtulta & ingrata plebecula multatos fuiſſe. Præclarè autem Anacharſis Scytha Athenienſium rempub. breui perituram prædixit: quòd ſapientes in ea conſultarent, ſtulti verò iudicarent. videbat enim ſenatum, reipub. cõſilia, quibus nihil ſanctius eſſe debet, à populo petere:

id eſt, à ſtulto & inſano prudétiam. Neque verò tam abſurdum erat, quamuis abſurdiſsimum, omnes omnium opes, quàm ſummum imperium, inter ciues ęquare: quòd, vt rectè Bodinus,[a] opibus quiſque frui poteſt; imperandi verò prudentia pauciſsimis eſt à natura tributa. Et quidem ſi metuendus eſt tyrannus, multò magis metuenda eſt tyrannorum multitudo. Qui autem populare imperium Rom. laudant, non ſatis illorũ hiſtorias legiſſe videntur, neq; perpendiſſe calamitates tot ſeditionũ, ſeceſsionum, contentionum, & bellorum ciuilium, quæ rempubl. toties afflixerũt. quorum omnium certè, cõmunio imperij, quod ex æquo partiri difficile eſt, cauſa fuit: ſed de his pluribus agere inſtituti noſtri ratio non permittit. Vt ergo iuſtas* belli 28
cauſas proſequamur, bellũ aduerſus infideles, ex eo ſolùm quòd infideles ſunt, ne quidem auctoritate imperatoris, vel ſummi Pontificis, indici poteſt [b]. infidelitas enim non priuat infideles dominio quod habent iure gentium. nam non fidelibus tãtùm rerum dominia, ſed omni rationabili creaturæ data ſunt. Domini enim eſt terra, & plenitudo eius; orbis terrarum, & vniuerſi qui habitãt in eo [c]. & Dominus ſolẽ ſuum oriri facit ſuper bonos & malos [d]. Itaque quamuis Nabuchodonoſor eſſet infidelis, tamẽ Dominus

a in method. hiſt. cap. 6.

b l. Chriſtianis. C. de pagan. & ſac. & templ. cor. c. diſpar. 23. queſt. 8.

c Geneſ. c. 1.

d Matth. 5. in fin. & c. 6. in princ.

minus dedit illi regnum & imperium, vt
modò diximus. & hæc ſententia pleriſq;
probatur, vt oſtendit Couarruuias[a]. Sed
nec ex eo capite bellum dicetur iuſtum
cum infidelibus, quòd puta imperatori
29 * tanquam totius mundi domino parêre
récuſent, ex receptiſsima interpretũ ſen-
tentia [b]. nam communem hanc opinio-
nem falſam eſſe, & imperatorẽ non eſſe
totius mundi dominum, à viris doctiſsi-
mis apertè oſtenſum eſt [c]: quos refert &
ſequitur Couar. [d] & Ferd. Vázq. [e] Vnde
ex hac cauſa non poterit imperator iu-
ſtum bellum inferre infidelibus, qui eius
imperio ſubditi non ſunt. ſiquidem ne-
mo punire poteſt eum, quem non habet
in ſua poteſtate [f]. Nec itẽ ex auctoritate
ſummi Pont. poterit dici iſtud bellum
iuſtum. nam is in infideles iuriſdictionẽ
non habet, nec temporalem, nec ſpiri-
tualem: niſi quatenus ea neceſſaria eſt ad
Chriſtianæ reipub. quietẽ & vtilitatem.
& ad Eccleſiam non pertinet, punire in-
fideles, qui nunquã Chriſti fidem ſuſce-
perunt, ſecundũ illud Pauli ad Corint. [g]
Quid mihi de his qui foris ſunt, iudica-
re? Vbi Thomas dicit, prælatos Eccleſiæ
accepiſſe poteſtatem tantùm in eos, qui
ſe fidei Chriſtianæ ſemel ſubiecerunt.
30 vnde hæreticis *, qui à fide Chriſtiana
defecerunt, iuſtum bellum infertur. Qua
de re pulchre Alphon. à Caſt. [h] Conten-
ditur

a in l. peccatũ. de reg. iur. in 6. 2. par. relect. §. 9.

b *in l. bene à Leone. C. de quadr. præſcript. in l. deprecatio. D. ad leg. Rhod. de iact. in l. cunctos populos. C. de ſumma Trinit. & fide Cath. in l. hoſtes. D. de captiu.*

c *Card. Alb. Fulg. Alc. Chaſ. Domin. à Soto, & aliis.*

d *in d. l. peccatum. d. §. 9.*

e *q. illuſt. l. 1. c. 20. & ſeq.*

f *l. vlt. D. de iuriſ. omn. iud. c. vlt. de cõſtitut. in 6. l. 1. & toto tit. C. vbi de crimin. agi opor.*

g *cap. 5.*

h *l. 2. de iuſt. hæret. pun.*

ditur verò iuſto bello cum infidelibus, ex cauſis, ex quibus cũ aliis quibuſcunque bellum gerere licet [a]. tum etiam ex eo quòd fortè fidem Chriſtianam blaſphemiis prauíſque perſuaſionibus impediant, atque item legis Euangelicæ liberam prædicationem: quia fit iniuria Chriſtianis, qui habent ius prædicandi Euangelij per vniuerſum orbem. Et hæ quidem iuſtæ belli gerendi cauſæ, perpẽſo iudicio principibus ac regibus (penes quos eſt belli auctoritas atque conſilium [b]) ſunt æſtimandæ: qui ſi fortè humana cupiditate bellum gerant *, non nocebit militibus, qui obedire debent principi. Itaq; inquit D. Auguſtinus [c]: Vir iuſtus, ſi fortè ſub rege homine etiã ſacrilego militet, rectè poteſt illo iubẽte bellare, ciuicæ pacis ordinem ſeruás. cui quod iubetur, vel non eſſe contra Dei præceptum certũ eſt, vel, vtrùm ſit, certum non eſt: vt fortaſſe reum regem faciat iniquitas imperandi, innocentem autem militem oſtẽdat ordo ſeruiendi. Vnde & Chriſtiano * militi etiam ſub imperatore pagano militare permiſſum eſt. nam & Iulianum Cæſarẽ apoſtatam milites Chriſtianos habuiſſe legimus: quibus cùm diceret, Producite aciẽ pro reipub. defenſione, obediebant: cùm autem diceret, Producite aciẽ in Chriſtianos, agnoſcebant imperatorem cæli [d].

31

32

a c. diſpar. 23 q. 1. Innoc. & DD. in cap. quòd ſuper his de voto. Tho. 2.2. q. 10. a. 8.

b c. quid culpatur. 23. q. 1.

c lib. 22. contra Fauſtum Man. c. 75. d. c. quid culpatur.

d c. Iulianus 11. quæſt. 3.

quos

quos cùm idē imperator donatiuo dato
ad ſacrificia deorum gentilium pellicere
tentaſſet, donatiuo imperatori reddito,
Chriſtianiſmū liberrimè profeſſos, cum
martyrij deſiderio, exauctoratos fuiſſe
tradunt [a]. Legimus quoq; Marcum Au-
relium Antoninum, Chriſtianorum, qui
ſub ipſo merebant, precibus (quibus ſibi
pluuiam, hoſtibus fulmina à Deo impe-
trarunt) bellum Marcomanicum, Sar-
matis, Vandalis, Quadis deuictis, con-
feciſſe [b]. Ex quibus docemur, ſub impe-
ratore pagano, vel etiam hæretico, ſub-
ditis licere militare, niſi liquidò conſtet
bellum iniuſtum eſſe: nam Deo magis
ſeruiendum, quàm hominibus [c]. Quam-
33 uis enim etiam infideli regi *, & iniquo,
parendum eſſe doceamur [d]: tamen habet
hæc obedientia ſuos limites. vnde licet
filijs Iſraël præceptum eſſet à Deo, vt o-
bedirent regi Nabuchodonoſor; tamen
cùm idem rex iuſsiſſet, vt ſtatuam ſuam
auream adorarent (quod præceptum fi-
nes excedebat poteſtatis regiæ) tum po-
tius habuerunt, qui optimi erant inter
filios Iſraël, in fornacem ardentem con-
ijci, quàm ei præcepto regis obedire.
quorum voluntatem ſic Deus approba-
uit, vt illæſos ab igne conſeruauerit [e].
Quò ſpectat quod Chriſtus ait in Euan-
gelio [f]: Reddite quæ Cæſaris ſunt, Cæ-
ſari; & quæ Dei, Deo. quod & Paulus

a *Sozom. l. 5. c. 17. Caßiod. lib. 6. tripart. hiſt. c. 30. Niceph. lib. 10. cap. 23.*

b *Paul. Oroſ. lib. 7. c. 15. Euſeb. libro 5. Eccl. hiſt. c. 5. Nicep. l. 4. c. 12*

c *Act. 5. c. vlt. 15. q. 6. & d. c. Iulianus.*

d *1. Pet. c. 2.*

e *Dan. 3.*

f *Matth. 22.*

Apoſtolus [a] planiſsimè expreſsit, cùm
ait: Reddite omnibus debita; cui tribu-
tum, tributum; cui vectigal, vectigal; cui
timorem, timorem; cui honorem, hono-
rem. Ex ſuperioribus quoque colligere
licet, quòd quæ hactenus de iuſtis belli
cauſis dicta ſunt, magis ad ęquum & bo-
num, & viri boni officium, quàm ad iu-
ris effectus referri debent. cùm enim
ſummis tantùm principibus, qui ſupe-
riorem non habent, belli gerendi ius ſit,
de æquitate cauſæ diſceptare non con-
uenit. hinc certo modo iuſtum * po- 34
terit dici bellum, etſi non ex iuſta cauſa
geratur. iuſti enim variæ ſunt ſignifica-
tiones: vt annotauit Budæus [b]. neque
ſemper æquitatem & iuſtitiā deſignat,
ſed aliquādo etiam plenitudinem quan-
dam ſignificat. quo ſenſu dicuntur iuſtæ
nuptiæ [c], iuſtum matrimonium [d], iuſta
ætas [e], iuſta perſona litem inſtituendi [f],
iuſtus filius [g], iuſta libertas [h]: eoque ſen-
ſu iuſtum prælium dixit Liuius [i]. ſimili-
ter iuſtum bellum dicitur, quod publicè
legitimeque geritur ab ijs, qui bellige-
randi ius habent. Itaque Vlpianus [k]:
Hoſtes, inquit, ſunt, quibus publicè po-
pulus Roman. bellum decreuit, vel ipſi
populo Romano: ceteri verò latrunculi
vel prædones appellantur. Et Pompo-
nius [l]: Hoſtes, dicit, ſunt, qui nobis, aut
quibus publicè nos bellum decreuimus:
ceteri

a ad Rom. 13.

b l. 3. D. pro ſocio.

c inſt. de nupt. in prin. in l. nuptiæ. l. & nihil. D. de ritu nuptiar.

d in l. Claudius. D. de his quib. vt indig. l. 1. D. vnde vir & vxor. Quintil. l. 5. cap. 10.

e in l. 2. §. 1. D. de vacat. mun. l. ait Diuus. D. de iure fiſc.

f in l. in vniuerſis. C. qui dar. tutor. vel curat. poſ.

g in l. 2. D. de adopt.

h Cicer. in Topic. l. 1. D. ſi quis teſt. lib. l. generaliter. D. qui & à quib. manu.

i libro 49.

k in l. hoſtes. D. de captiu.

l l. hoſtes. D. de verb. ſignific.

ceteri verò latrones aut prædones ſunt. Vnde hoc bello, licet non ex iuſta cauſa geratur, iura belli, captiuitatis & poſtliminij, quæ hoſtibus cõueniunt, locũ habebunt. quod ex eo ſatis probatur, quòd cùm Romani nõ niſi iuſtis ex cauſis bellum mouerent, quod iure feciali diligenter cautum erat [a]: tamen hoſtes eorum, qui iuſtam belli cauſam habere non potuerunt, quę vtrinquę iuſta eſſe non poteſt, capta hoc bello etiam iure Romanorum ſibi acquirebant, & captos in ſeruitutem redigebant [b]. idq; verum eſt, etiamſi liquidò conſtaret de iniquitate hoſtiũ. quod Paulus I. C. ſatis indicat [c], cùm ait; Naturali æquitate indictum eſſe, vt qui per iniuriam ab extraneis detinebatur, is vbi in fines ſuos rediſſet, priſtinum ius ſuum reciperet: iure ſcilicet poſtliminij. Ex quibus apparet, captum ab hoſtibus etiã ex iniuſta cauſa bellum gerentibus, fieri ſeruum. nam alioqui non eſſet opus fictionibus poſtliminij: ſicut nec opus eſt, cùm quis à latronibus captus fuit, cùm non fuerit ſeruus [d]. Sufficit itaque, quod ad effectus iuris, & vt iura belli locum habeant, attinet, bellum geri ab iis, qui hoſtium numero ſunt definiti, & belligerãdi ius habent [e]. Quo ſenſu videtur defendi poſſe Alciati opinio [f], & Fulgoſij [g]: qui vtrinque

35 iuſtum * bellum eſſe poſſe aſſerunt, contra

a Dion. Hal. libro 2.

b l. poſt liminij. D. de captiu.

c d. l. poſtliminij. in princ.

d l. qui à latronibus. D. de teſtam. l. poſtliminium. §. à piratis. l. hoſtes. D. de capt. & poſt. reuer.

e Fulg. & Iaſon in l. ex hoc iure. D. de iuſt. & iur. Petrus Anchoran. in regul. peccatũ. col. 13. verſ. Tertiò quæro. Aretinus in l. qui à latron. D. de teſtam. Albericus de Roſa in l. cũctos populos. col. 6. C. de ſumm. Trinit. Abb. in c. ſicut de iureiurãd. quos allegat & ſequitur Natta conſil. 284.

f in 2. parad. cap. vlt.

g in d. l. ex hoc iure.

tra receptam interpretum ſententiam; quæ ſi ad iuſtam belli cauſam referatur, æquiſsima eſt. cùm enim hoſtes contrarij ſibi ſint, contraria iura neceſſe eſt habeant: & vna eademque belli cauſa hinc inde iuſta eſſe non poteſt. Ceterùm cùm pecuniam * neruum belli eſſe plerique 36
exiſtiment (quò ſpectat illud T. Quintij Flaminij, qui Philippomeni Achæorum prætori, multis equitibus ac grauis armaturæ militibus inſtructo, pecuniæ autem inopi, illudens, manus eum dicebat habere & crura, ſed ventre carere: nam & corporis eo habitu prætor erat [a]) quæri ſolet, cuius impenſis * bellum ge- 37
ri debeat, vtrùm principis, an populi, Et quidem ſi princeps reditus regales habeat à ciuibus aſsignatos, certè ipſius principis impenſis bellum geri debere plerique exiſtimant [b]. quod maximam rationem habet. omnes enim omnino principatus, regna, imperia ob publicam ipſorum ciuium vtilitatem, non ob eorum qui reipub. præſunt commoda, inducta eſſe, communi frequentiſsimaque Philoſophorum & Legumlatorum ſententia proditum eſt. Itaque Cicero [c]: » Omnino, inquit, qui reipubl. præſunt, » duo Platonis præcepta teneant. vnum, » vt vtilitatẽ ciuium ſic tueantur, vt quic- » quid agant, ad eam referant, obliti com- » modorum ſuorum, alterum, vt totum »

cor-

a *Plut. in apophth.*

b *Angel. in l. turres. per illũ text. C. de op. public. Iaſon in l. diuortio. §. impẽdia, & ibi Zaſius, D. ſol. matr. Guil. de Cunec. Bald. & Cyn. in l. neminem. C. de ſacroſ. Eccleſ.*

c *offic. lib. 1.*

« corpus reipubl. curent, ne cùm partem
« aliquam tuentur, reliquas deſerant. vt
« enim tutela,ſic procuratio reipub.ad v-
« tilitatem eorum qui cõmiſsi ſunt, non
« ad eorum quibus commiſſa eſt, gerenda
eſt. Quam ſententiam latè proſequitur
Ferdinand.Vazq.[a] Si verò princeps ido-
neos reditus nõ habet, totius regni im-
penſis bellum geri debet [b]. Neque hîc
certus tributi modus præſcribi poteſt.
nam vt Cleobulus belli dux,ſociis Athe-
nienſium in bello cõtra Philippum cer-
tam tributi ſummam definiri poſtulan-
tibus reſpondit, bellum finiri non po-
teſt [c]. & huc facit,quòd ex ſentẽtia Ca-
tonis in republ. bene conſtituta debet
eſſe domi induſtria,ærarium opulẽtum,
tenues res priuatæ: qui corruptiſsimis
moribus vitium contrarium poſuit,pu-
blicè egeſtatem, priuatim opulentiam.
vnde luxu & deſidia ciuitas facilè cor-
rumpitur, vt ex Salluſtio refert & pro-
bat D.Auguſt. [d] Meminiſſe tamen de-
bent principes, modeſtiſsimi illius re-
ſponſi Tiberij Cæſaris, qui theſaurariis
onerandas tributo prouincias dicenti-
bus reſpõdit,boni paſtoris eſſe, tondere
pecus, & non deglubere. Memorabilis
38 quoque eſt Traiani * ſententia:qui cor-
reptus ab vxore Põpeia Plotina, quòd
calumniis ſuorum procuratorum pro-
uinciæ diuexarẽtur, deteſtari cœpit im-

a quæſt. illuſt. cap. 1. & ſeq.

b Bald. in l. ſi aliquam. D. de offic. procõſ. Boerius in tract. de cuſt. clau.

c Plut. in vita Demoſth.

d de ciuit. Dei lib. 5. cap. 12.

probas exactiones, & inſigni vſus eſt ſi-
militudine, fiſcum appellans lienem.
ſicut enim, creſcente in corporibus no-
ſtris liene, artus reliqui tabeſcunt: ita
turgente principis fiſco, marceſcunt ce-
tera reipub. membra, & grauiter ægro-
tant[a]. Ex ſuperioribus deducitur, ciuem
non teneri propriis ſumptibus princi-
pem ad bellum ſequi: ſed ſtipendium illi
à principe vel repub. conſtitui debere[b].
Si tamen maxima vrgeat neceſsitas, vt-
pote pro defenſione regis, vel reipubl.,
omnes tenentur ad hoc bellum concur-
rere, cuiuſcunque ſexus vel conditionis
ſint: grauibusque pœnis ex conſtitutio-
nibus regni Hiſpaniæ afficiuntur, qui
hoc bellum detrectauerint[c]. Quò ſpe-
ctat, quòd more Gallorũ *, initium bel- 39
lorum erat armatum cõcilium indicere,
quò lege communi omnes puberes ar-
mati conuenire conſueuerant: & qui
ex his nouiſsimus conueniſſet, in con-
ſpectu multitudinis omnibus cruciati-
bus affectus necabatur[d]. Vaſallus quo-
que feudatarius tenetur dominum ſuum
in bello iuſto, etiam propriis ſumptibus,
iuuare[e]. Sed an dãna *, in quæ quis belli 40
cauſa fortè incidit, reſarciri debeat, quæ-
ri poteſt. Et certè, ſi quis pro defenſione
reipub. ſine ſtipendio ad bellum iuerit,
videtur damnũ illi ex hac cauſa illatum
meritò repẽdi debere[f]. at militi qui ſti-
pendium

a *Sex. Aur. Vict. in Iul.*
b *Aret. in §. præiudiciales. inſtit. de actionib. Bart. in l. mœnia. §. 1. per illũ tex. D. de ann. legat. Oldr. conſil. 234. Caſ. in cõſuet. Borg. tit. de tuſt. §. 4. Boërius deciſ. 303.*
c *Reg. l. 3. & 5. tit. 19. par. 2.*
d *Cæſar de bello Gall. l. 5.*
e *Argumento l. ſuo victu. D. de oper. lib. Specul. in Tit. de feu. §. quoniam ver. 12. Bald. in c. 1. quibus mod. feud. amit. Ludouic. Rom. in l. recuſare. §. ſi quis alio. col. 1. & 2. D. ad S.C. Treb.*
f *Arg. l. 1. & ibi Angel. D. ad l. Rhodiam de iact.*

pendium meretur, non refunduntur damna bello accepta[a]: niſi quòd ex conſtitutionibus regni Hiſpaniæ ex præda fortè facta iſtiuſmodi damna reſarciri ſoleant[b]. Et quidem ad iniuſtum bellum vocatus, neque ad ſtipendia, neque ad damna reſarcienda actionem habet. nam ex cauſa turpi nulla datur actio.[c]

a *argum. l. 2. §. ſi conſeruatus. D. ad l. Rhod. de iact.*

b *Reg. l. 4. tit. 25. part. 3.*

c *l. generaliter, & l. ſeq. D. de verbor. oblig. l. ſi remunerandi. §. rei turpis. D. mãdat. Innoc. in c. ſicut, & infrà de iureiurand.*

DE DVELLO, SEV SINGVLARI CERTAMINE.

1 *Duellum quare prohibitum.*
2 *Duellum ex cauſa læſæ famæ illicitum.*
3 *Duelli vſus antiquiſsimus in Hiſpania.*
4 *Duellum fuit in vſu apud quoſdam populos.*
5 *Conſuetudo duelli non valet.*
6 *Conſuetudo duelli aliena à Græcorum & Romanorum inſtitutis.*
7 *Duellum cum hoſte licitum.*
8 *Dauid ſingulari pugna proſtrauit Goliath.*
9 *Singulare certamen magni momenti in bello.*
10 *Duello nonnunquam belli finis impoſitus.*
11 *De pugna Horatiorum cum Curiatijs.*
12 *Non eſſe tutum belli euentum duello redimere.*
13 *De Metio Suffetio.*

CAP.

CAP. TERTIVM.

DVelli vſum vt deteſtabilem, & fabricáte diabolo inductum, ſumma ratione ſacri canones, & cócilia Patrum, variis cenſuris & pœnis, tam in eos qui decertant, quàm eos quorũ auctoritate, & conſilio, atque etiam præſentia iſtiuſmodi certamina ineuntur, ſtatutis exterminandum & abolendum eſſe cenſuerunt [a]. quòd ſcilicet* hoc genere cer- 1 taminis ordo iudiciorum, & legũ omnis auctoritas, quæ actiones conſtituit, quibus vnicuique ius ſuum in iudicio proſequi licet, peruertatur: & iniquum ſit, vt quis auctoritate propria ſibi ius dicat [b]. ideo enim latæ ſunt leges, & creati magiſtratus, vt licitũ ab illicito diſcernant, & ius ſuum cuique tribuant [c]. tum etiam quòd hac decertandi ratione ipſa iuſtitia violetur. nam quã plurimi, quorum cauſa iure & ęquitate optima erat, ſtolidiſsimi deorum Martis arbitrio pugnantes occubuêre [d]. præterea quòd Deus tentari non debeat: quod fit, cùm ad manifeſtationé veritatis, vt plerunque fit, duellum initur [e]. denique cùm homicidiũ diuino & humano iure prohibeatur, duellum, per quod plerunque ad homicidium deuenitur, eſſe prohibitum etiam dicendum eſt. cùm enim aliquid prohibetur, prohibitum etiam

cenſe-

a *c. monomachiam. 2. q. 4. c. 1. & toto tit. de purg. vul. & tit. de cler. in duel. pug. & concil. Triden. ſeſſ. 19.*

b *l. exſtat. D. quod met. cauſ.*

c *l. 1. D. de inſt. & iur.*

d *c. ſignificantibus. de purg. vul.*

e *d. c. monomachiam. c. porrò de cler. in duel. pug.*

cenſetur omne id, per quod eò deueni-
2 tur [a]. Sunt tamē* qui exiſtimēt, ex cauſa
læſæ famæ hoc genus pugnæ iniri poſſe:
Quia, inquiunt, crudelis eſt, qui negligit
famam ſuam [b]. fama enim cōmodo præ-
ferenda eſt [c], & vitæ æquiparatur [d]. ſed
eorum ſententiam non probo. idcirco
enim, vt inquit Imperator [e], iudiciorum
vigor, iuriſque publici tutela eſt in me-
dio conſtituta, ne quiſquam ſibi ipſi per-
mittere valeat vltionem. & non poteſt
dici honoris ſui prodigus, vel negligens,
qui ſuam ſuorúmue iniuriam auctori-
3 tate iudicis perſequitur. Porrò conſtat *
hoc genus pugnæ, tam ad oſtētationem
virtutis, quàm ad cōtrouerſias deciden-
das, antiquiſsimum fuiſſe, præſertim in
Hiſpania. nam cùm Scipio Carthaginē
nouam, ad vota ſoluenda diis, munusq́;
gladiatorum, quod mortis cauſa patris
patruique parauerat, rediiſſet, ſpectacu-
,, lū, inquit Liuius [f], fuit nō ex eo genere
,, hominum, ex quo laniſtis comparare
,, mos eſt, ſeruorū delectu, ac libertorum,
,, qui venalem ſanguinem habent: volun-
,, taria omnis & gratuita opera pugnan-
,, tium fuit. nā alij miſsi à regulis ſunt, ad
,, ſpecimen inſitæ genti virtutis oſtentan-
,, dum: alij, ipſi profeſsi ſe pugnaturos in
,, gratiam ducis: alios æmulatio ad certa-
,, men, vt prouocarent, prouocatiq́; haud
,, abnuerent, traxit: quidā quas diſceptan-
do

a Argumento l. oratio. D. de ſponſ.

b *Bald. in c. 1. col. 5. de pace tenend. Cagn. Decius Curt. ſen. Curt. Inn. & alii, quos refert Ferdinan. Vazq. quæſt. illuſt. 1 lib. 1. c. 49.*

c *l. Iulianus. D. ſi quis omiſ. cau. teſt.*

d *l. iuſta cauſa. D. de manu. vind.*

e *in l. nullus. C. de Iud.*

f *lib. 8.*

do controuerſias finire nequiuerant,aut »
noluerant,pacti inter ſe,vt victorem res »
ſequeretur, ferro decreuerunt. nec ob- »
ſcuri generis homines,ſed clari illuſtreſ- »
que Corbis & Orſua, patrueles fratres, »
de principatu ciuitatis, quã Iben vocãt, »
ambigentes, ferro ſe decertaturos pro- »
feſsi ſunt. Corbis maior ętate erat. Or- »
ſuę pater princeps proximè fuerat,à fra- »
tre maiore poſt mortem eius principatu »
accepto. cùm verbis Scipio diſceptare »
vellet, ac ſedare iras, negatum id ambo »
dicere communibus cognatis,nec alium »
deorum hominúmue, quàm Martem, ſe »
iudicem habituros: robore maior, mi- »
nor flore ætatis ferox.mortem in certa- »
mine,quàm alter alterius imperio ſubij- »
ceretur,præoptantes. Cùm ab tanta ra- »
bie dirimi nequirent,inſigne ſpectaculũ »
exercitui præbuere, documentumque »
quantum cupiditas imperij malum inter »
mortales eſſet. Maior vſu armorum,& »
aſtu,facilè ſtolidas vires minoris ſupera- »
uit. Hactenus Liuius.Et hęc quidẽ de-
certandi ratio *,etiã poſterioribus tem- 4
poribus,ad lites dirimendas, certis caſi-
bus & legibus apud Hiſpanos(quamuis
eandem iniquiſsimam ſcirent [a])permiſſa
fuit [b]. Apud Longobardos quoque mo-
ribus receptum fuit, vt quoties coram
iudice defectus quiſpiam eſſet, aliquid-
que ad plenam intentionis fidem iudici
fa-

a Reg. lib. 8. tit. 14. par. 3.
b tit. 4. de las lides, part. 7.

faciendam deeſſet, duello certis caſibus controuerſia definiretur [a]. Conſtituit & Fredericus Ænobarbus imperator, vt aliquando duello res decideretur [b]. Neq; à Longobardorum legibus Gallorum conſuetudo multùm diſsidet, vt liquet ex eorum legibus, quas Salicas vocant. & exſtat apud eos quoque hæc Philippi
„ conſtitutio: Si quis occulti criminis ca-
„ pitaliſque reus ſit, atque ita de eo con-
„ ſtet, vt quæſtioni ſubijci poſsit, condem-
„ nari non poſsit; is, arbitratu accuſatoris, duello experiatur. cuius conſtitutionis meminit Ioann. Faber [c]: eamque refert Guido Papæ [d]: qui adducit quoque & interpretatur aliam quandam conſtitutionem imperialem de modo duelli, & qua ratione indici debeat [e]. Solet quoq; hæc conſuetudo duelli admodum frequens eſſe in Italia, præſertim pro conſeruatione honoris [f]. Vnde multi hanc rem anxiè tractauerunt. vtpote quibus de cauſis duellum inire liceat: vter prouocatoris vel prouocati vices ſuſtineat: qui ad duellum admittantur: quãdo detrectari duellum poſsit: quando optionem, quem vulgo campionem vocant, dare conceſſum ſit: de electione armorũ & loci: de iuramento calumniæ à pugnantibus præſtãdo: & ſic de ceteris controuerſijs, quæ in hoc genere pugnæ incidere ſolent. Non ignorauerunt tamen viri

a *in ll. Long. tit. qual. quis ſe defend. deb. & tit. de purg. rei. & tit. de hom. lib. hom.*

b *c. 1. de pace tenend. §. ſi quis hominem, & §. ſi miles. in vſib. feud.*

c *in §. per contrarium. inſtit. de hered. quæ ab inteſt.*

d *deciſ. 617.*

e *deciſ. 191.*

f *deciſ. conſil. 97. Curt. Iun. conſ. 173. Curt. ſent. in repetit. l. admonendi. D. de iureiurand. Cagnol. & alij quos refert Ferdin. Vazq. quæſt. illuſt. lib. 1. cap. 40.*

viri doctiſsimi hāc conſuetudinē, quippe iuri contrariā, non* valere [a]: præſertim cùm expreſsè iure canonico ſit prohibita, cui ſtandum eſt in vtroque foro, cùm agitur de peccato [b]. ſed quia de facto ſeruari ſolet, perinde de huiuſmodi corruptela diſputauêre, atque ſi valeret: quia quæ facto fiunt, quādoque ad cauſam iuris trahuntur [c]. Et quidem conſuetudo iſta *, inter ciues ſocios & commilitones ſingulari pugna cōtrouerſias decidendi, non ſolùm à Chriſtianis inſtitutis abhorret, ſed etiam plurimùm abfuit à veteri tum Græcorum, tum Romanorum diſciplina; qui turpiſsimum cenſebant, belli ſocios, quos oportet ope mutua cauſam communē defendere, ſtulta, vt ſæpe fit, ac pernicioſa ambitione pugnare, aut velle ſuas priuatas controuerſias ferro potiùs dirimi, quàm communibus legibus diiudicari. quod à ratione admodum alienum eſt. non ſecus quàm ſi duo Philoſophi aut Iureconſulti inter ſe, vter doctior ſit, gladijs decertent. Neque enim de omnibus iniuſtitiæ generibus vllū turpius aut maius eſſe poteſt, quàm vt imbecillis ac tenuis, accepta iniuria, ſit infamia dignus, niſi cum aduerſario, quantumcunq; viribus præſtet, armis decertauerit, ac vitā periculis obiecerit: præſertim cùm natura ſic cōparatum ſit, vt qui minimum ratio-

5 6

a l. 2. C. quæ ſit long. tem. conſuet. l. non dubium. C. de legibus.

b c. nouit. de iud. c. 1. & 2. de noui oper. nūc.

c l. mulier. §. 1. D. de cond. iuſt. l. qui habebat. D. de man. teſt. Alexan. conſil. 107. col. 6.

rationis, plurimum roboris habeant, vt
de Scythis refert Bodinus [a]. Qua certè
ratione etiam fortiſsimi viri, ſi cum bel-
luis; quæ robore præſtant, conferantur,
iure infames ſint. priùs itaque omnia ex-
periri, quàm armis decertare, ſapientem
7 decet. Ceterùm qui hoc genus * pugnæ
non cauſa vindictæ, aut priuati odij, ſed
pro bono publico ſubeunt, extra culpam
ſunt: cùm etiam laudem mereantur [b].
Itaque ſi quis iuſſu vel ſaltem conſenſu
ducis (cùm alioqui extra ordinem pug-
nare non liceat) cùm hoſte publico ſin-
gulari certamine congrediatur, non ſo-
lùm non peccat in leges, & ſtatuta Pon-
tificum, ſed exemplo Torquati, Corui-
nij, Marcelli, Scipionis, Æmiliani, & a-
liorum, maximam inde gloriam referre
debet. eadem enim ratio quæ bellum
iuſtũ admittit, in quo pro patriæ vel Ec-
cleſiæ defenſione mori glorioſiſsimum
eſt [c]; hæc quoque certamina licita eſſe
oſtẽdit. nam cum hoſte pugnare vtcun-
que in bello, non eſt tẽtare Deum, quod
lex diuina vetat; nec hoſtem tollere, eſt
homicidium patrare, naturæ lege pro-
hibitum, ſed officio fungi boni militis [d].
8 Vnde non minùs * licuit Dauidi Phili-
ſtęum Goliath ſingulari pugna proſter-
nere, quàm ſi hoc idem conferto mul-
torum prælio feciſſet [e]. Et certè hæ pu-
9 gnæ * non parum ſæpe ad totius belli

a in method. hiſt. c. 5.

b l. t. §. quæ operas. D. de poſtul. Hieron. Cagnol. in l. fauorabiliores D. de reg. iur.

c c. omni timore. 23. q. 8. c. omnium. 23. q. 5. Reg. hiſ. libr. 3. tit. 25. part. 2.

d c. miles. c. homicidium. 23. quaſt. 5.

e 1. Reg. c. 17.

a Libro 5. euentum faciunt. Itaque Liuius [a] de pugna illa Torquati cum Gallo tractans: Tanti, inquit, ea dimicatio ad vniuerſi ,, belli euentum momenti fuit, vt Gallo- ,, rum exercitus, relictis trepidè caſtris, in ,, Tiburtem agrum, mox in Campaniam ,, trãſierit. Similiter bello ſociali, cùm in- ,, gens Gallus ex Gallicis auxilijs, quæ L. Cluentius cum Sylla decertaturus aſſumpſerat, procurrens, inuitaſſet ad ſingulare certamen ex Romanis aliquem, & eum paruæ ſtaturæ Numida cõfeciſſet: territi Galli confeſtim terga verterunt: iamq; turbata acie, nec alij Cluentiani perſtiterunt, ſed Nolam perfugerunt trepidè [b].

b Appian. de bell. ciuil. l.1.

Committuntur * quoque 10 nonnunquam iſtiuſmodi certamina, à ſummis principibus: vel ab vno, aut pluribus hinc inde à principibus pari numero electis, quorum euentus bello finem imponat. quod olim à Tullo Hoſtilio Romanorum rege, & Metio Suffetio rege Albanorum, factum fuiſſe legimus. quum enim pari robore frequentibus prælijs vtrimque cõminuerentur, miſſo in compẽdium bello, vt inquit L. Florus [c], Horatijs *, Curiatiisque, trige- 11 minis hinc atque inde fratribus, vtriuſque fata commiſſa ſunt, ſolemni priùs fœdere inter vtrumque regẽ & vtrumque populum percuſſo, & legibus dictis, quibus victi victoribus dederentur [d].

c libr.1.c.3.

d Liuius l.1.

Quod

Quod genus pugnæ non quidem illicitum eſſe cẽſeo: nam & D. Thomas [a], exæquans duellum iudicio ſortis, illicitum quidem eſſe dicit, ſi fiat ad probationẽ vel reuelationem rei occultæ; nõ autem ſi fiat ad diuiſionem rerum, vel controuerſiæ definitionem: quale fuit certamen Dauidis cum Philiſtæo, quod approbatum fuit Deo. quod equidem admitto inter ſummos principes; vel eorum auctoritate, qui belli gerendi ius habent, vt ſcilicet bellorum calamitates vitẽtur. Quo caſu etiam à Romanis Pontificibus nonnunquam duellum conceſſum fuiſſe legimus. itaque Carolus Andegauenſis, & Petrus Tarraconenſis, cùm de Sicilia diu bellum geſsiſſent, auctoritate Martini Põtif. ſingulari certamine controuerſiam finire decreuerunt [b]. Sed hãc

12 rationẽ controuerſias decidendi * (cùm valde temerarium ſit, ſummam rerum periculo vnius aut alterius committere) non omnino tutam, neque etiam ſemper bello finẽ imponere exiſtimo. quod euentus pugnæ trigeminorum ſatis oſ-

13 tendit. nam Metius Suffetius*, fortunã & euentum totius belli, & virtutem ſui exercitus, fortunæ aut virtuti Curiatiorum cõmittendo, regnum & libertatem tam propriam, quàm ſuorum, pro qua tuenda multis annis contenderant, momento amiſit; & Romanis fortunę arbi-

a 2.2. q. 95. art. 8.

b *Vide Froſſard. lib. 1.*

trio (cui temere ſe ſubiecerant) victoribus, non omnino tuta victoria fuit. nam quamuis Metius Suffetius victus, protinus ſe ſuaque omnia ſubmitteret Romanis; poſtea tamen in expeditione Veientana, exſpectata occaſione, ſuæ temeritatis pœnitens, Romanum exercitum prodere conatus eſt [a]. Quare vbi de omnium ſalute & libertate, vel de tota poſſeſſione agitur, nō niſi totis viribus contendendum eſt. aliàs enim non ſolùm victus temeritatem ſuam incuſabit, ſed nec victor omnino ſecurus erit. eius enim animus, vt inquit Liuius, in perpetuum vincitur, cui cōfeſsio expreſſa ſit, ſe neque arte, neque caſu, ſed totis viribus cominus collatis, iuſto ac pio bello ſuperatum eſſe. Neque credi poteſt, vllum populum aut hominem denique (vt ſenatus Romanorum in cauſa Priuernatium ſenſit) in ea conditione, cuius eum pœniteat, diutius quàm neceſſe ſit, manſurum.[b]

a *Liuius lib.* 1.

b *Liuius lib.* 8.

DE PIGNERATIONIBVS, QVAS REPRESALIAS VOCANT.

1 *Pignerandi poteſtas antiquiſsima conſuetudine permiſſa.*
2 *Pignerationes quomodo hodie permiſſæ.*
3 *Conſuetudo pignerandi an iure probata ſit.*

4 *Nonnunquam ex cauſa etiam ſine culpa quem puniri.*
5 *Etiam ſine culpa poteſt quis affici pœna bonorum, non etiam pœna corporali.*
6 *Pignerationes ad offenſionem perſonarum innocentium illicitæ.*
7 *D. Ambroſius Theodoſium imperatorem increpuit.*
8 *Ex qua cauſa ſit condita l. vindicari, C. de pœn.*
9 *In pignerationibus innocentes ex accidenti occidi poſſunt.*
10 *Pignerationes non alio modo licitæ quàm quo bellum.*

CAP. QVARTVM.

1 PIgnerandi poteſtatem*, quam Greci Androlepſiam vocant, antiquiſsima conſuetudine permiſſam fuiſſe conſtat. moris enim fuit antiquiſsimi, vt qui homicidium perpetraſſent, ſi, cùm in externam vrbem profugiſſent, ad pœnam expoſciti non dederentur ijs, ad quos facinus admiſſum pertinebat, ipſis vt permitteretur pignerandi poteſtas. ſic enim ſancitũ fuiſſe legimus: Si quis violenta morte obierit, pro hoc gentilibus & cognatis Androlepſiæ ſunto, quoad iudicium cædis pœnasq; ſubierint, vel necis auctores dediderint. androlepſia verò ad tres vſque, nec eo ampliùs, eſto.

Quæ verba referuntur à Demoſthene
in orationè in Ariſtogitonem, qui iſtic
defendit, cauſæ fortaſſe inſeruiens, An-
drolepſiam lege eſſe permiſſam, nõ con-
tra profugũ ſuſcipientes, ſed contra eos
demum, apud quos cædes facta fuiſſet.
Iulius verò Pollux eam permiſſam fuiſ-
ſe ſcribit etiam contra eos, qui homi-
cidam profugum ſuſcepiſſent, nec eum
petentibus dedidiſſent, nec ad criminis
pœnam, nec ad vindictam, nec ipſi iuſtè
punirent; vt annotauit Budæus [a]. Ad
hunc ſanè modum * pignerationes hæ, 2
quas repreſalias vocant, hodie permit-
tuntur, vt ſi qua ex gente latrones, aut
piratæ, vel quicunque alij homicidia a-
liáue ſcelera perpetrauerint, iniuriam
damnúmue intulerint, nec eam paſsi
potuerint obtinere ab ijs, quibus ſcele-
rum auctores ſubijciuntur, vel qui eos
ſuſceperint, vt ijdem dedantur, vel pœ-
nas luant, tunc liceat vti pignerationi-
bus. Sed vtrùm hæc conſuetudo * iure 3
defendi poſsit, controuerſum eſt: præ-
ſertim ex eo, quòd iniquum ſit, & à iu-
ſtitia alienum, ob alterius culpam & cri-
men innocenti pœnam infligi [b]. nam
pœna ſequitur criminis auctorẽ [c]. Scri-
ptum eſt, Inſontem & iuſtum non occi-
des [d]. &, Anima quę peccauerit, ipſa mo-
rietur. filius nõ portabit iniquitatem
patris, & pater nõ portabit iniquitatem
filij.

a in l. aut facta. §. euentus. D. de pœn.

b c. Iudæi. cap. Iam itaque. 1. q. 4. l. crimen. D. de pœn. Aug. q. 8. ſuper Ioſue.

c l. ſancimus. C. de pœn. c. 2. de conſtitut. c. quæ ſunt. de his quæ fi. à ma. part. cap. Romana, in fin. de ſent. excommunicat. lege 12. tabul. C. de leg. hær.

d Exod. 23.

filij. iuſtitia iuſti ſuper eum erit, & im-
pietas impij ſuper eum [a]. &, Non occi-
dentur patres pro filijs, nec filij pro pa-
rentibus; ſed vnuſquiſque pro peccato
ſuo morietur [b]. Nihilominus tamen,
4 quandoque ex cauſa *, etiam ſi culpa ab-
ſit, quem puniri poſſe conſtat [c]. Quò
ſpectat lex illa Exodi [d]: Si animal homi-
nem occiderit, lapidibus obruatur. quod
& lege Draconis, legislatoris Athenienſis,
cautum fuit. Similiter pecus licet ratio-
ne careat, & à culpæ immune ſit, cũ ipſa
fœmina, quæ ſe ei commiſcuit, ſuſpendi
iubetur [e]: ne tali flagitio contaminatum
indignam refricet facti memoriã [f]. Præ-
terea, puer natus Dauidi ex illicito coi-
tu, ob parentis crimen à Deo extinctus
eſt [g]. & infantes Sodomę, abſq; vllo pro-
prio peccato, ſimul cum adultis peccato-
ribus igne conſumpti ſunt [h]. vnde Deus
ipſe ait: Ego ſum Deus zelotes, viſitans
iniquitatẽ patrũ in filios, vſq; ad tertiam
& quartã generationẽ [i]. Quæ quidẽ di-
uina iudicia quãuis hominibus imitari
non liceat, niſi quatenus ex manifeſtis
5 cauſis procedũt; ideoq; nulla lege *, qua-
cunque ex cauſa, quis debeat corporali
pœna affici ob alterius crimen [k]: (qua
de cauſa etiã iniquè ab Arcadio & Ho-
norio impp. [l] dictum cenſet Couarru-
uias [m], ex imperatoria lenitate & indul-
gentia ſe vitam concedere filijs eorum,

a *Ezech. 18.*
b *Deut. c. 24.*
c *c. quoniam frequenter. §. ſi verò vt lite non conteſt. c. renouantes, & ibi gloſſ. 22. diſt. cap. antiquo. de priuil. c. vergentis. c. nec huiuſmodi, de hæretic. gloſſ. in c. 2. de conſtit. & eſt elegans tex. in c. Eccl. 1. q. 4.*
d *cap. 21.*
e *Leu. cap. 20.*
f *c. mulier. 15. quæſ. 1.*
g *2. Reg. c. 12.*
h *Geneſ. c. 19.*
i *Exod. c. 20.*
k *Auguſt. q. 8. ſuper Ioſue. Thom. Card. & alij relati à Couarruuia variar. reſolut. libr. 2. c. 8.*
l *in l. quiſquis. C. ad l. Iul. maieſt.*
m *variar. reſolut. libro 2. cap. 8.*

qui crimen læſæ maieſtatis commiſe-
rat; cùm nullo iure illis vitam adimere
poſſent) tamen ex cauſis, & propter rei-
pub. vtilitatem, quoque magis homi-
nes à delictis compeſcantur, humana lex
poterit pœna pecuniaria, publicatio-
ne bonorum, vel ſimili, punire etiam il-
los, qui non deliquerunt; & ita paſsim
legibus & canonibus ſtatutum eſt: præ-
ſertim in filijs & nepotibus eorum, qui
crimen læſæ maieſtatis diuinæ vel hu-
manæ commiſerunt: qui afficiuntur
infamia, & plectuntur publicatione bo-
norum [a]. quod præclarè legibus compa-
ratum eſſe dicit Cicero [b]; vt charitas li-
berorum amiciores parentes redderet
reipub. quam ſententiam ex D. Augu-
ſtino & alijs latè proſequitur & diſcu-
tit Couarruuias [c]. Ex quibus, ni fallor,
manifeſtum eſt *; pignerationes iſtas li- 6
citas quidem eſſe (vt communi omnium
conſenſu deducitur ex D. Auguſtino [d])
ſed non quoad offenſionem perſona-
rum innocentium, & qui nullam illati
damni culpam contraxerunt; verùm
bonorum tantùm [e]. Quemadmodum
enim quis ſolo conſenſu ſe poteſt ſubij-
cere damno bonorum, non autem
membrorum, vel corporis [f]: ſic quo-
que lege vel ſtatuto, cui vnuſquiſque
conſentire præſumitur, poteſt quis ex
cauſa, licet ſine culpa, affici pœna pe-
cunia-

a d. l. quiſquis cum ſimilib.

b in epiſt. ad Brutum.

c variar. reſol. libr. 2. c. 8.

d qu. 10. ſuper Ioſue, c. Dominus, 23. q. 2. c. 1. de iureiur. in 6. & ibi Anch. Dom. & Franc. Iac. de Camb. & Bart. in tract. de repreſal. Sal. in auth. omnino. C. de act. & oblig. Innoc. in c. olim, de reſtit. ſpoliat. Iacob. de Bellou. in auth. vt non fiant pign.

e Ioan. Papon. in arreſt. lib. 5 tit. 3. num. 2.

f l. liber homo. D. ad l. Aquil. c. contingit, de ſentent. excom. gloſſ. inſig. in cap. cùm homo. 23. quæſt. 5.

cuniaria, non etiam corporali [a]. Quare
7 iuſtiſsimè D. Ambroſius * Theodoſium
imperatorem increpuit, quòd, milite
quodam in tumultu occiſo, iuſsit popu-
lum, vt quiſque obuius eſſet, cædi. po-
tuit enim imperator militis occiſores
capite punire: iniquè verò, etiam ex
cauſa ſeditionis, innocentes occidi iuſ-
ſit [b]. pro quo delicto culpam cum lacry-
mis profeſſus imperator, publicam pœ-
nitentiam in totius conſpectu Eccleſiæ
8 egit: & lege cauit*, vt ſi princeps ex ira-
cundia quē ſeueriùs puniri iubeat, ſen-
tentia ad triginta dies ſuſpēdatur [c]. Ce-
9 terùm quemadmodum in bello * non
licet ex profeſſo innocētes occidere, fe-
minas ſcilicet, nec infantes: (licet tamen
ex accidenti, ſi puta oppidum machinis
vel tormentis bellicis concutiatur, cùm
aliter bellum geri non poſsit) ſic quoq;
in hiſce pignerationibus, quamuis in-
noxij offendi non poſsint, ſed tantùm
bona eorum capere liceat, permittit ta-
men conditio rei, vt ex accidenti occi-
dantur: ſiquidem aliter pignerationes
iſtę exerceri nō poſſunt. Sciendum verò
10 * pignerationes iſtas non alio modo eſſe
licitas, quàm quo bellū iure diuino, na-
turali, & ciuili licitum cenſetur. vnde
omnino requiritur auctoritas ſummi
principis, qui belli indicēdi ius habet [d].
à iudice autem concedi non poſſunt, &

a *Gloſſ. elegās, in Rub. C. de decret. dec. lib. 10 quam gloſſam paſſim ſequūtur interpp., & commendat Bald. in l. vn. C. ne filius pro pat. Alex. in l. ſæpe, num. 10 D. de re iud. Ang. & Iaſ. in §. actiones. nu. 68. inſtit. de action.*

b *c. cùm apud Theſſalonicā. 11. quæſt. 3. D. Aug. de ciuit. Dei l. 5. c. 26.*

c *in l. vindicari. C. de pœ.*

d. c. cùm apud Theſſalonicā.

d *c. Dominus noſter. 23. q. 2.*

inter ciues locum non habent[a]. quamuis olim apud Athenienſes priuato conſilio Androlepſiã exercere liceret, multa tamen conſtituta non iure ea vtenti, vt ex Polluce annotauit Bud.[b] Itaque & hodie iuſta cauſa ſubeſſe debet: nempe, quòd ille populus, contra quem pignerationes iſtæ conceduntur, vindicare neglexerit, quod à ſuis improbè factum eſt. alioqui verò, ſi iuſta & vera cauſa deſit, conceſsio pignerandi nullius erit momenti[c].

a Authen. vt null. iud. lic. §. quoniam, & Authen. vt nõ ſi. pign.

b in l. aut facta. §. euentus. D. de pæn.

c l. cùm verò. §. ſubuentum. D de fid. commiſſ. lib. l. 1. §. hæc verba. D. ne vis fiat ei qui.

DE BELLO CAPTIS, ET IVRE POSTLIMINII.

1 *Iuſto bello capta fiunt capientium.*
2 *Alciati opinio reprobata, qui dicit omnia bella hodie eſſe ciuilia.*
3 *Differentia inter res mobiles & immobiles bello captas.*
4 *Præda omnis arbitrio ducis eſt, non militum.*
5 *Imperatores prædam nõnunquam in ærarium inferre ſoliti.*
6 *Nonnunquam militibus diuidere.*
7 *Prædæ pars debetur etiam ijs, qui non fuerunt in prælio.*
8 *Præda militibus nonnunquam edici ſolet, & eorum arbitrio permitti.*
9 *Principi & duci debetur ſua portio ex præda.*

10 *Romani partem prædæ dijs vouere ſoliti.*

11 *Non niſi deuictis hoſtibus, & ſigno dato, ad prædam diſcurrendum.*

12 *In diuiſione prædæ fraudem committens puniendus.*

13 *Fugienti in bello non debetur pars prædæ.*

14 *Iubendi ſunt milites prædam vendere, ne impedimentis grauentur.*

15 *Res ſacræ non cedunt prædæ.*

16 *Naturane, an inſtituto hominum, ſeruitus ſit inducta.*

17 *Seruitus non tollit libertatem naturalem.*

18 *Nulla vis, quæ facti eſt, ſeruitutem inducit, quæ iuris eſt.*

19 *Capti hodie inter Chriſtianos non fiunt ſerui, niſi militent infidelibus.*

20 *In bello captus, & ad ſuos reuerſus, priſtinam libertatem recipit.*

21 *Niſi iurauerit ſe rediturum ad hoſtes.*

22 *Transfuga non habet poſtliminium, niſi ſit ſeruus.*

23 *Qui ſe hoſtibus dedunt, non habent ius poſtliminij, licet armis victi ſint.*

24 *Controuerſia inter veteres in cauſa Mancini.*

25 *In bello etiam mulieres capi poſſunt, & pueri.*

26 *Iuſto bello captus, tenetur ad precium redemptionis, quod promiſit.*

27 *Captiui cuius ſint.*

28 *Pri-*

28 *Priuatæ auctoritate non licet captiuum occidere.*
29 *Precium conuentionis, de quo conuenit, non debet augeri.*
30 *Qui pro captiuo ſoluit precium redemptionis, quæ remedia habeat.*
31 *Redemptio captiuorum fauorabilis.*
32 *Negligens redimere captiuum.*
33 *Agri redeunt poſtliminio.*
34 *Quæ præterea redeant poſtliminio.*
35 *Res ſemel ab hoſtibus captæ, & ab iiſdem recuperatæ, an ſint reſtituendæ priori domino.*
36 *Res quæ ſunt hoſtium, non ſunt in commercio, niſi ſint eius generis, quæ poſtliminio redire poſſunt.*
37 *Præda quando ſit facta hoſtium.*
38 *Capta à piratis non fiunt eorum: ideoq́; recuperata, priori domino reſtituendæ ſunt.*
39 *Licet aliud conſtitutionibus regni Hiſpan. ſtatutum ſit.*
40 *Res furtiua bello capta, an priori domino reſtitui debeat.*
41 *Res incorporales an bello capi poſſint.*
42 *Quæſtio inter Thebanos & Theſſalos.*
43 *Vniuerſitas non perit, quamdiu vnus ſupereſt.*

CAP. QVINTVM.

PRimum iuſtitię munus eſt, vt inquit Cicero[a]; vt ne cui quis noceat, niſi laceſsitus

a *off. libr.* 1.

ceſsitus iniuria. quę cauſa eſt etiam iuſti belli fundamentum, vt ſuperiùs latè oſtendimus [a]. Quam Ciceronis ſententiam quamuis refutet Lactantius [b]; vt quæ duorum verborum adiectione corrupta ſit; non enim addi debuiſſe, niſi laceſsitus iniuria; Socratem ſecutus, qui dicebat vltionem eſſe iniuſtam, eo quòd malum inferre iniuſtũ ſit: ſummum tamen principem, qui non ex animi morbo, ſed ex amore iuſti, vt hoſtiũ improbitatem coërceat, & ſuos defendat, acceptam iniuriam bello vindicat, extra culpam eſſe omnino dicendum eſt. non enim eſt iniuria, vt inquit Seneca, pati quod prior feceris. Vnde dominiũ eorum, quæ iuſto bello capimus, in nos transfertur: eſtque hic iuſtus modus acquirendi dominij [c]. quod & Cicero indicat, cùm ait: „ Sunt autem priuata nulla „ natura; ſed aut veteri occupatione, vt „ qui quondam in vacua venerunt; aut vi„ ctoria, vt qui bello potiti ſunt; aut lege, „ aut pactione, conditione, ſorte [d]. idque iure gentium inductum eſt [e], & iure diuino [f], canonico [g], & ciuili comprobatum [h]. Cuius iuris æquitas non tam ad ſatisfaciendum ei qui iniuriam accepit, quàm ad coërcendam improbitatē eorum, qui iniuſta bella gerunt, ſpectare videtur: vt ex D. Auguſtino in pręfatione huius operis dictum eſt. Neque Al-

ciato

a ſuprà c. 2.
b lib. 6. c. 18.
c §. item ea quæ ab hoſtibus. inſtit. de rer. diuiſ.
d offic. lib. 3.
e l. ex hoc iure. D. de iuſt. & iur. c. iuriſgentiũ. diſt. 1.
f 1. Reg. c. 30.
g d. c. iuriſgẽtium, & c. ius militare. diſt. 1. & c. dicat. 23. q. 5. c. ſicut & infrà de iureiurand.
h d. §. item ea quæ ab hoſtibus. l. ſi quid bello. D. de captiu. l. naturalem. §. vlt. l. transfugam. D. de acq. r. r. dom.

ciato * aſſentior [a], qui bello inter Chriſtianos capta, non fieri capientium, hoc argumento probare conatur: quòd ſcilicet omnes, qui in orbe Romano erant, Antonini conſtitutione ciues Romani effecti ſint [b]. vnde hodie omnes Chriſtianos populum Romanum eſſe, & Chriſti lege fratres [c]: ideoque quæ inter eos mouentur bella, plus quàm ciuilia eſſe: & per conſequens, ius belli, quo capta fiunt capientium, inter Chriſtianos locum non habere [d]. Quod ſi verum eſſet, nullum iuſtum bellũ inter Chriſtianos eſſe poſſet. quod falſum eſſe, ex ijs quę alio loco diximus [e], ſatis cõſtat: vnde & capta hoc bello fient capientium. niſi quòd antiquiſsima cõſuetudine introductum eſt inter Chriſtianos, vt capti vtcunque iuſto bello, libertatem non amitterent. de quo mox dicemus. Neq; ciuile bellum dici poteſt, quod inter duos ſummos principes, aut populos liberos, geritur. non enim ſunt ciues, qui non ijſdem imperijs ac iuſsis tenentur [f]. ſed etſi cum ſubditis & ciuibus rebellibus ſit bellum, non protinus ceſſabunt iura belli, quibus dominium eorum, quæ ab hoſtibus capimus, nobis acquirimus. nã qui hoſtili animo contra imperij maieſtatem quid machinatur, ex ciue fit hoſtis [g]. Itaque multis rationibus docet Cicero, iuſtũ eſſe bellũ quod inferretur Antonio,

a in l.hoſtes. D.de verbor. ſignific.

b l.in orbe. D. de ſtatu hominum.

c c.ad mẽſam 11.q.3.

d l.ſi quis ingenuam.§.in ciuilibus. D.de captiu.

e ſuprà de bello iuſto, c.2.

f latè Bodin. in method. hiſtor. cap.6.

g l.nihil intereſt. l.poſtliminium. §. transfugæ. D. de capit. l.amiſsione. §. qui deficiunt. D. de capit. minut.

tonio, hoſti reipub.; iniuſtũ verò quod ipſe Antonius gerebat: ideoq; iura belli, quę hoſtibus tãtùm conueniunt, ipſi non conuenire[a]. qua de re alibi latiùs tractauimus[b]: quæ huc referri poſſunt. Porrò
3 illud quidẽ verum* eſt dominium rerum iuſto bello captarum, in victorem transferri: ſed diſtinctione facta inter res mobiles & immobiles. immobilia enim, vtpote agri, publicantur[c]. quãuis olim non ſemel agros bello captos militibus ob bene nauatã operã diuiſos fuiſſe legimus[d]: idq; à Romulo inſtitutũ fuit[e]. Alexãder autẽ Seuerus agros captos ab hoſtibus, limitaneis ducibus ac militibus donauit: ita vt eorum eſſent, ſi heredes quoq; militarẽt, neq; ad priuatos trãsferrẽtur: attentiùs illos militaturos exiſtimans, ſi ſua iura defenderent[f]. Sed cùm hi agri non militibus, ſed principi acquirantur, ſolius principis arbitrio, quid de ijs fieri placet, relinquetur. ex conſtitutionibus quoque regni Hiſpaniæ, non ſolùm agri, ſed etiam naues bellicæ, bello fortè nauali captæ, regi acquiruntur[g]. Quod verò ad reliquam prædam rerum mobilium attinet, nec ea quidem militibus acquiri ſolebat, & ne dux quidem vllum ius in eam habebat: ſed quæſtoris erat eam vendere[i], & pecuniam in ærarium referre. quod lege cautum fuiſſe tradit Dion. Halic[h].; & hac potiſsimũ de cauſa

a *Philipp.* 8.
b *ſupra de bello iuſto, c.* 2.
c *l. ſi captiuus.* §. *expulſis. D. de capt.*
d *l. in agris. D. de acq. rer. domin. l. item ſi verberatũ.* §. *item ſi. D. de rei vend.*
e *Dion. Halic. ant. Rom. lib.* 2.
f *Aelius Lãpr. in vita Alex. Seuer.*
g *Reg. l.* 19. *tit.* 26. *part.* 2.
h *libro* 7.

ſa Marcium Coriolanum, quòd præda ex Volſcis militi diuiſa, hanc legem violaſſet, à populo condemnatum fuiſſe. eoq́; ſpectat, quod D. Ambroſius dicit, diſciplinam militaré docere, vt regi ſeruentur omnia, exemplo Abrahæ, qui ceſſit omnem prædam regi Sodomorum [a]. Poſtea tamen apud Romanos prædam omné arbitrio ducis*fuiſſe, certum eſt [b]: 4
idq́ue ex aliquot Liuij locis apertè ſatis liquet. Itaque refert, cùm Phocenſes, portis apertis, pacti ne quid hoſtiliter paterentur, ſe Romanis dedidiſſent; & nihilominus milites ad diripiendam vrbem diſcurrerent; L. Æmilium reſtitiſſe, & reuocaſſe milites, dicendo, captas, non deditas vrbes diripi: & in his tamen arbitriũ eſſe imperatoris, nõ militum [c]. & alibi idem Liuius dicit, Camillũ Veios obſidentem, cùm iam in manibus videret victoriam, vrbem opulentiſsimam capi, tantumq́ue prædæ fore, quantum non omnibus in vnum collatis antè bellis fuiſſet; ne quam inde aut militum iram, ex malignitate prædæ partitæ; aut inuidiam apud patres, ex prodiga largitione caperet; quid de præda fieri placeret, ad ſenatum reieciſſe [d]. Solent autem imperatores*nonnunquam prædam totam, vel parté eius, in ærarium per quæſtores referre [e]. Itaque L. Furius pretor de Gallis triumphans, trecenta viginti 5
mil-

a cap. dicat. 23. quæſt. 5.

b l. ſi quis pro redemptione. C. de donat.

c Liuius l. 37.

d Liuius l. 5.

e Cicero epiſtola 27.

millia æris in ærarium tulit, argẽti clxx. millia pondo [a]. Ingentem quoque vim auri & argenti M. Heluius & Q. Minucius ex prǽda Hiſpanienſi in ǽrarium tulerunt: & T. Quintius Philippo deuicto [b]: & lõgè maximã L. Æmilius Paulus, deuicto Perſeo [c]. & Camillo duce, fuſis Faliſcis, caſtris eorum captis, præda omnis ad quǽſtores redacta eſt, cum magna militum ira: ſed ſeueritate imperij victi, eandem virtutem & oderãt, & mirabantur, vt inquit Liuius [d]: apud quem paſsim inuenias plurimũ auri & argenti ex præda hoſtium in ærarium relatum fuiſſe.

6 Nonnunquam imperatores* vendere prædam, & militibus diuidere ſolent, donatis ante alios ijs, quorũ virtus in bello maximè eniteret: habita quoque ratione dignitatis cuiuſque, & ordinis. Sic Iulius Cæſar in Gallia militibus pro labore & tolerãtia (qui brumalibus diebus, itineribus difficillimis, frigoribus intolerandis, ſtudioſiſsimè permãſerant in labore) ducenos ſeſtertios, centurionibus duo millia nummûm, prædæ nomine condonanda pollicitus eſt [e]. & ex præda, quam L. Æmilius Paulus Perſeo victo fecerat, pediti in ſingulos centeni dati: duplex centurioni, triplex equiti [f]. M. Valerius Coruinus Samnitibus prælio victis, & C. Iunius Bouiano capto, prǽdam omnem militi dederunt [g]. & ſe-

a *Liuius l. 31.*

b *Liuius l. 34.*

c *Liuius l. 45.*

d *libro 6.*

e *A Hir. de bell. Gall. l. 8.*

f *Liuius l. 45.*

g *Liuius l. 7. & 9.*

natus prædam Epiri ciuitatum, quæ ad Perſea defecerant, exercitui dedit. Itaq; ſigno ad diripiendas vrbes dato, tanta præda fuit, inquit Liuius[a], vt in equitẽ cccc. denarij, peditibus duceni diuiderentur. & hæc prædæ diuiſio etiam iure probata videtur[b]. Ex ſacris quoq; literis conſtat, Dominum præcepiſſe Moyſi, vt ipſe & Eleazar tollerẽt vniuerſam prædam factã ex Madianitis, quos Iſraëlitæ deuicerant, & ex æquo eam diuiderent inter eos qui pugnauerant: & vt quinquageſima pars daretur Leuitis, qui excubabant in tabernaculis Domini[c]. & Dauid, Amalechitis prælio victis, collegit omnem prædam: cumque illi, qui in prælio fuerant; peterent ſibi tantùm diuidi, nec quicquam dari ijs qui cum illis non fuerant; dixit Dauid *, æquam partem habituros, qui deſcendiſſent in prælium, & qui remanſiſſent ad ſarcinas. 7 quod deinceps pro lege ſeruatum fuit in Iſrael[d]: idque etiam conſtitutionibus regni Hiſpaniæ deciſum eſt[e]. Quò ſpectat, quod C. Fabius Ambuſtus, tribunus militum, cùm ad Auxur oppugnandum acceſsiſſet, collegis ſuis, Cn. Cornelio Coſſo, & Valerio Potito, cum parte exercitus ad deuaſtandos fines, vt diſtinerent Volſcos, profectis, capta vrbe à præda militem continuit, donec collegæ cum ſuis exercitibus venirent:

a *libro 45.*

b *l. ius militare. diſt. 1. l. ſi quis pro redẽption. C. de donat. Bartol. in l. ſi quid bello. D. de captiu. Hiſp. reg. li. 1. 17. 19. & 20. tit. 26. part. 2.*

c *Num. 31.*

d *1. Reg. c. 30.*

e *reg. lib. 5. tit. 26. part. 2.*

nirent: ab illis quoque captum Auxur
dictitans eſſe, qui ceteros Volſcos à prę-
ſidio eius loci auertiſſent [a]. Solent deni-
8 que imperatores*, ad excitãdos militum
animos, nonnunquam totam prædam
militibus ante cõflictum edicere, & pati
habere quod cuique ſors belli dediſſet:
vti de præda Veiorum decreuit ſenatus,
ex ſentẽtia P. Licinij, gratius id fore di-
centis, lætiusque, quod quiſque ſua ma-
nu ex hoſte captum, domum retuliſſet,
quàm ſi multiplex alterius arbitrio ac-
ciperet: quamuis refragante App. Clau-
dio, qui largitionem nouam, prodigam,
inæqualem, inconſultam arguebat [b]. &
hæc quidem quoad illa, quæ in conflictu
& prælio acquiruntur. alioqui verò res
hoſtiles, quæ citra certamen ad quem-
cunque perueniunt, ſunt eius qui priùs
poſſeſsionẽ nactus eſt [c]. Ceterùm etiam
9 præda militibus conceſſa, principi * ni-
hilominus ſua portio debetur [d]: quæ ex
conſtitutionibus regni Hiſpan. eſt quin-
ta pars prędæ [e], quandoq; tertia [f], quan-
doque dimidia [g]. duci quoque exercitus,
ex iiſdem conſtitutionibus, debetur ſe-
ptima pars prędæ, quandoque decima [h].
Sed & ſi fortè bello nauali rex ſuppedi-
tet naues cum armamentis, & præbeat
annonam, & ſtipendia militibus ac nau-
tis: ex iiſdem conſtitutionibus, præda
omnis non ducis vel præfecti, ſed regis,

a *Liuius l. 4.*

b *Liuius l. 5.*

c *l. transfug. ♃. D. de acq. rer. dom. l. 1. in prin. D. de acquir. poſſ.*

d *c. ius militare. diſt. 1.*

e *reg. libro 4. tit. 26. part. 2.*

f *reg. l. 20. dict. tit.*

g *l. 19. tit. 26. p. 2.*

h *reg. l. 14. dict. tit.*

cui acquiritur, arbitrio eſt. nec quicquã milites vel nautæ ex ea accipient, niſi quid ex liberalitate ſua rex illis conceſ-
a Reg. 29. d. titulo. ſerit [a]. aliàs verò regi ſua portione præſtita, reliquum præfectus maris inter milites ac nautas diuidere poteſt, ex quo
b Reg. l. 30. dict. tit. ſeptima pars præfecto maris, debetur [b].
Solent * præterea Romani, vt victoria 10
potirentur, partem prædæ dijs ſuis vouere. itaque Camillus, cùm ad delẽdam vrbem Veios pergeret, decimã partem
c Liuius l.5. prædæ Pythico Apollini vouit [c]. Neque
omittendum eſt diſciplina militari * ſe- 11
ueriſsimè fuiſſe cautum, vt non niſi deuictis hoſtibus, caſtris eorũ captis, arce vel oppido omnino in poteſtatem redactis, ad prædam diſcurrere liceret: & ne tum quidẽ, niſi ab imperatore ſigno dato, vt maximè ante conflictũ prædam omnem militibus edixiſſet: ne ſcilicet auiditate prædæ, vt plerunque ſolet, hoſtis è manibus elabatur, aut prælium reſtauret; vt Samnitibus accidit: qui cùm in noctem æquo Marte cum Romanis pugnaſſent, tandem, auiditate prędę, impetum in impedimenta Romanorum (quæ procul ab armatis ſine præſidio, ſine munimento, ſtabant) facientes, à Marco Fabio, magiſtro equitum, iuſſu Cornelij Arinnæ dictatoris diſsipati, impeditique, miſerè cæſi ſunt, &
d Liuius l.8. victoriam Romanis tradiderunt [d]. præterea,

terea, ita ferme euenit, vti App. Claudius dicebat, vt ſegnior ſit prædator, vt quiſque laboris periculique præcipuam petere partem ſolet. Itaque Veijs captis, quorum prædam ſenatus militi conceſſerat, non tamen, niſi permiſſu Camilli dictatoris, ad prædam diſcurrere licuit [a]. ſicut nec ad prædam Epiri ciuitatum, quæ ad Perſea defecerant, à ſenatu exercitui datam, niſi ſigno ad diripiendas vrbes dato [b]. Carthagine quoque noua expugnata, arce demum dedita, ſigno dato, victores ad prædam verſi ſunt [c]. Atque ita rectè conſtitutionibus regni Hiſpaniæ ſancitum eſt, vt ſi quis nondum deuictis hoſtibus prædæ incumbat, partem prædæ amittat, & duplum eius quod prædatus fuerit, præſtet, & in deteriorem militiam detur. Et quidem ſi prædantium culpâ hoſtes prælium reſtituerint, & vicerint, aut regem occiderint, non ſecus quàm ſi ipſi id admiſiſſent, puniuntur [d]. Ille quoque qui in diuiſione prædæ * fraudem committit, pœna dupli, & amiſsione partis prædæ, ijſdem conſtitutionibus plectitur [e]. Qui verò prædam ab hoſtibus captam ſurripuit, lege peculatus teneri, & in quadruplum damnari, Modeſtinus reſpondit [f]. Sed nec illis *, qui in acie fugerint, aut igna-

12 (margin, beside "que qui in diuiſione prædæ")

13 (margin, beside "illis")

a *Liuius l.5.*

b *Liuius l.45.*

c *Liuius l.26.*

d *Reg. l.2.3. & 19. tit. 26. part. 2.*

e *Reg. libr. 8. tit. 28. part. 2.*

f *in l. pæn. D. ad l. Iul. peculat.*

ui & ſecordes fuerint, debetur pars prædæ. *Bald. in l. ſi quis pro redempt. C. de donat. l. omne delictum. §. qui prior. D. de re milit. reg. Hiſp. lib. 1. & 20. tit. 26. par. 2.* Itaque L. Quintius Cincinnatus dictator, cùm Lucium Minucium Conſulem, & eius exercitum, ab obſidione Æquorum liberaſſet, caſtris hoſtium captis, plenis omnium rerum, prædam omnem ſuo tantùm militi dedit, conſularem exercitum, ipſumque conſulem increpans: Carebis, inquit, parte prædæ miles, ex eo hoſte, cui propè prædæ fuiſti: & tu L. Minuci, donec conſularem animum habere incipias, legatus his legionibus præeris [a]. Sed & cùm nihil magis exercitum grauet *, 14 neque corrumpat, quàm impedimentorum multitudo; diſciplinæ militari maximè conueniens erit, iubere milites prædam omnem vendere, exemplo P. Decij: qui, expugnatis aliquot oppidis in Samnio, prædam omnẽ milites quàm primùm vendere coëgit, ne impedimentis grauibus oneraret agmen [b]. Sciẽdum verò eſt, res ſacras * prædæ non cedere. 15 cùm enim nullius ſint, hoſtiles, quæ ſolæ in præda ſunt, dici non poſſunt. quod enim diuini iuris eſt, vt inquit imperator, nullius in bonis eſt [c], & hominũ poteſtati non ſunt ſubiecta. qui itaque huiuſmodi quid rapuerit, ſacrilegij pœna,

a *Liuius l. 3.*

b *Liuius l. 11.*

c *§. nullius. inſtit. de rer. diuiſ. l. 1. D. de rer. diuiſ.*

ex lege Iulia, pro qualitate perſonæ, & rei conditione punietur [a]. Itaque Scipio, diruta Carthagine, & præda militi conceſſa, cùm multis præmijs & donis afficeret milites; eorum, qui fanum Apollinis ſpoliarant & violarãt, rationem non habuit [b]. Sed an ſacrilegium committat, qui rem priuatã in ædem ſacram depoſitam ſurripuit, olim controuerſum fuit [c]. Sed Antoninus & Seuerus actionem furti, non ſacrilegij, dari reſcripſerunt [d]: ideoque hanc rem prædæ cedere dicendum eſt. Cicero tamen in ſuis legibus [e], inter rem ſacram, & ſacro commendatam, non diſtinguit. quod & canones noſtri ſequũtur [f]. Quod vt verum ſit inter ciues, hoc tamẽ noſtro caſu non puto procedere: quia res ſacro commendata, certè ſacra dici non poteſt, quæ in nullius bonis eſt [g]. cùm itaque ſit res priuati, & in alicuius bonis ſit, & hoſtilis, eam prædæ cedere exiſtimo. vt enim res prædæ ſit, ſufficit eam hoſtilem eſſe [h]. Porrò quod dicimus iuſto bello capta fieri capientium; non ſolùm in rebus, ſed etiam perſonis liberis, iure gentium & ciuili receptum fuit [i]: vt mancipia fierent capientium, & ex perſonis res quæ ſunt in dominio [i]: vnde ſeruitus orta [k]. Inter

16 Philoſophos verò quæri ſolet [*], naturane an inſtituto hominum hæc perſonarum diuiſio, in liberos & ſeruos, primùm

a *l. ſacrilegij. D. ad l. Iul. pecul.*

b *Appian. in bell. Pun.*

c *Quint. Inſt. orat. l. 7. c. 4. Cicero de inuent. lib. 2.*

d *l. Diui. D. ad l. Iul. pec.*

e *lib. 2. de legibus.*

f *in c. quiſquis 17. q. 4.*

g *d. §. nullius.*

h *l. naturalẽ. in fine. l. trãſfugam. D. de acqu. rer. dom.*

i *l. hoſtes. & toto tit. D. de captiu.*

k *l. ex hoc iure. D. de iuſt. & iur. §. ius autem gentiũ. inſtit. de iure natur. cap. ius gentiũ. diſt. 1. cap. 1. diſt. 7.*

in mores perducta ſit: & Ariſtoteles naturalem ait[a]; Iureconſulti verò, contra naturam ſeruitutem inductá, iure gentium eſſe affirmant[b]: iure enim naturali omnes homines ab initio liberos naſci, & natura omnes æquales eſſe[c]. quod etiam Cicer. probat[d]. Nihil enim vnum vni tam ſimile, inquit, tam par, quàm inter noſmetipſos ſumus. Id tamen ſcrupulo non caret, cùm iura naturalia ſint immutabilia, & iure gentium tolli non poſsint[e]. iniuſtum quoque videtur, & à natura abhorrere, vt homines hominibus ſeruiát, quamuis id fieri reipub. fortaſſe expediat. quo potiſsimũ argumento veteres quidam olim defendere conati ſunt, id quod vulgò ferebatur, rempublicam ſine iniuſtitia ſtare augeriúque non poſſe: quorum diſputationem ſuſcipientem Philum inducit Cicero[f]: cui tamen optimè ibidem ſatisfecit Lælius, vt in præfatione hujus operis diximus: vbi oſtendimus, non eſſe iniuſtum, vt bello victi fiát ſerui. quibus adde, vt nodum hunc diſſoluamus, quòd libertas ſit quidem iuris naturalis, eo ſcilicet quòd ante conſtitutionem iuris gentium omnes liberi naſcebantur[g], & omnes homines pares & æquales habebantur[h]; non autem, quòd ius naturale ea de re aliquid præceperit, aut ſeruitutem prohibuerit[i]. Ius verò gentium, quod naturali

a in polit. libr. 1. cap. 1.
b §. ſeruitus. inſtit. de iur. perſon. §. ius autem gentiũ. inſtit. de iur. natur.
c l. quod attinet. D. de reg. iur.
d de leg. lib. 1.
e §. ſed naturalia. inſt. de iure natur.
f in libris de repub.
g l. manumiſſiones. D. de iuſt. & iur.
h l. quod attinet. D. de reg. iur.
i Thom. 1. 2. q. 94. art. 5. Præp. in c. ius gẽtium. diſt. 1.

turali ratione conſtitutum eſt[a], bella & ſeruitutes induxit[b]. Recta enim ratio naturalis, qua nihil diuinius eſt, quaque præſtamus belluis, hominum creſcente malitia, coërcendam humanam improbitatem bello, captiuitate, & ſeruitute ſuaſit[c]. Similiter cùm iure naturali, primo illo, & aureo, vt ethnici vocabant, ſęculo, communia eſſent omnia, neque cuiuſquam quicquam proprium; poſterioribus tamen ſęculis, quòd communio rerum viciatæ naturæ non conueniret, ius gentium ex naturali ratione dominia, eorumque diſtinctiones conſtituit[d]. Rerum itaque omnium communio, æqualitas hominum, & omnium vna libertas, integrę olim naturę, & primę reipub. Platonis magis, quàm ferreo ſæculo, conueniũt: ideoq; iure gentium non probantur. Quamuis itaq; ſeruitus iure naturali, quo iure omnes homines liberi erãt, & pares & æquales habebantur[e], fuerit incognita: potuit tamen iure gentium conſtitui ſeruitus, vtque capti iuſto bello fierent ſerui: præſertim cùm id reipub. conueniat, ad coërcendos eos, qui iniuſtà bella gerunt. vnde eadem ratio, quæ bella permittit, etiã ſeruitutem conſtitui ſuaſit. ſuntque in hanc ſententiam præclara D. Auguſtini verba[f], cùm
„ ait: Conditio ſeruitutis iure intelligitur
„ impoſita peccatori. nomen itaque iſtud

a l.3. l. naturalem. l. adeò. D. de acq. rerum dom.
b § ius autem gentium. inſt. de iur. natur. l. ex hoc iure. D. de iuſt. & iure.
c c. ſexto die. 25. diſt.
d l. ex hoc iure D. de iuſt. & iure.
e l. manumiſſiones. D. de iuſt. & iure. l. quod attinet. D. de reg. iur.
f de ciuit. Dei libr. 19. c. 15.

culpa meruit, non natura. & deinde ſub-
dit: Nullus autem natura, in qua priùs
Deus hominem condidit, ſeruus eſt ho-
minis, vel peccati: verùm pœnalis ſerui-
tus ex lege ordinatur, quæ naturalē or-
dinem conſeruari iubet, perturbari ve-
tat. quia ſi contra illam legem non eſſet
factū, nihil eſſet pœnali ſeruitute coër-
cendum. Itaque Apoſtolus ſeruos mo-
net ſubditos dominis ſuis eſſe debere, &
ex animo ſeruire[a]. & propter peccatum,
Chanaan ſeruus pronunciatus eſt à Noë
patre, vt ſeruiret fratribus ſuis[b]. Suadet
tamen idem Apoſtolus, vt Domini ali-
quid de iure ſuo remittant: & in quibuſ-
dam pares omnes eſſe dicit[c]. Sciendum
autem eſt *, hāc ſeruitutem perſonarum 17
tollere quidem libertatē; ſed non illam
naturalem, quæ in faciendo conſiſtit.
nam ſeruus, vt maximè dominus iubeat,
poteſt nolle adire hereditatem[d]: ſed il-
lam, quæ ad iuris effectus eſt comparata,
& iure gentium inuenta[e]. Sed nec vlla
vis *, quæ facti eſt, ſeruitutē inducit, quæ 18
iuris eſt. nam non niſi iuſto bello capti,
fiunt ſerui: nō etiam capti à latronibus,
vel prędonibus, & ijs qui iuſti hoſtes nō
ſunt[f]. Et quidē inter Chriſtianos * lau- 19
dabili & antiqua conſuetudine intro-
ductum eſt, vt capti hinc inde, vtcunque
iuſto bello, non fierent ſerui: ſed libe-
ri ſeruarentur, donec ſoluāt precium re-
dem-

a ad Epheſ.6. ad Tim.1.c.6 ad Titum c.2. ad Colloſ.c.3.
b Geneſ.c.9.
c ad Gal. 5. ad Epheſ. c. vlt. ad Coloſſ. cap.4.
d l. cum pro-ponas. C. de hered. inſtit.
e l. manumiſ-ſiones. D. de iuſt. & iur. §. ius autē gen-tium. inſt. de iur. nat. l. qui-dam. D. de pœn.
f l. poſtlimi-nium. §. à pi-ratis. l. hoſtes. D. de captiu. l. 1. in prin. D. de leg. 3. l. qui D. de teſtam. à latronibus.

demptionis, quod Græci λύτρον vocãt[a]. Romulus verò, vt ciuitatem ſuam augeret, & ex parua magnam faceret, bello captos necari, vel etiam venundari vetuit: ſed in partem agri hoſtilis colonos Romanos miſit, & multis populis deuictis ius ciuitatis dedit[b]. Si tamen qui Chriſtiani militent Saracenis & infidelibus contra Chriſtianos, eiſve auxilium quoquo modo præbeant, capti à Chriſtianis fient ſerui: incidũtq; in excommunicationem ipſo iure[c]. non enim iam Chriſtianorum, ſed infidelium, quibus ſe adiunxerunt, numero habendi ſunt[d]: non tamẽ alijs, quàm Chriſtianis, vendi poterunt[e]. at verò ſi bellũ geratur cum infidelibus & paganis, certe hinc inde capti eius erunt conditionis, cuius ſecundùm ius ciuile capti ab hoſtibus: idque cõſtitutionibus regni Hiſpaniæ deciſum videtur[f]. atque ita locus erit legis Corneliæ & poſtliminij fictionibus[g]. Quàm autem non conueniat, quamque periculoſum ſit reipublicæ, numerum ſeruorum augeri, indicant tot bella ſeruilia, coniurationesque ſeruorum, quæ rempubl. Romanam aliquoties afflixerunt, & in ſummum diſcrimen adduxerunt; vt latè oſtendit Bodinus[h]. Porrò
20 liberæ perſonæ* in bello captæ, & in ſeruitutem redactæ, ſi ad ſuos reuertantur, quocunque modo poteſtatem hoſtium eua-

a Boërius deciſ. 178. Bald. in l. hoſtes. D. de captiu. Alciat. in l. hoſtes. D. de verb. ſign. reg. Hiſp. l. 1. tit. 29. p. 2.

b Dion. Hal. ant. Rom. l. 2.

c c. ita quorũdam. c. ad liberandum. de Iud. reg. Hiſp. l. 4. tit. 21. p. 4. reg. libro 9. tit. 29. part. 2.

d text. eleg. in l. 3. §. vlt. D. ad l. Corn. de ſic. & l. proditores. D. de re mil. l. tranſfugam. D. de acq. rer. dom.

e l. vnica. C. de Chriſt. mand. d. reg. lib. 9.

f reg. lib. 2. tit. 21. part. 4. reg. l. 1. tit. 29. p. 2.

g Alciat. in l. hoſtes. D. de verb. ſignific. Claud. Cant. in §. item ead. inſtit. de rer. diuiſ. Couarr. in c. peccatũ. de reg. iur. in 6. 2. p. elect. §. 11.

h de republ. l. 1. cap. 5.

a l. nihil interest. D. de capt.
b §. feræ autẽ. inſt. de rer. diuiſ. l. naturalem. D. de acq. rer. dom.
c l. poſtliminium. in prin. D. de capt.

euaſerint, priſtinã libertatem recipiũt [a], quemadmodum fera animalia, deſinunt eius eſſe qui cepit, vbi eius cuſtodiam euaſerint [b]. Recuperant pręterea ab hoſtibus reuerſi omne ius, quod captiuitate amiſerant: iure ſcilicet poſtliminij [c]. niſi tamẽ iurauerint * ſe redituros ad hoſtes, 21
vel non abituros. quo caſu, ad ſuos reuerſi non poſſunt dici redijſſe poſtliminio: vt in cauſa Attilij Reguli, & illorũ, quos poſt Cannenſem cladem iuratos ad ſenatum miſit Annibal, in caſtra redituros, niſi de captiuis redimendis impetraſſent, reſponſum eſt [d]. non enim ſatis eſt, corpore domum redijſſe, niſi etiam mente & animo ſis reuerſus. vnde & illi, qui ea mẽte venit, vt ad hoſtes reuertatur, non eſt poſtliminium [e]. Transfuga quoque * nullum habet poſtliminium. 22
nam, vt ait Paulus [f], qui malo cõſilio & proditoris animo patriam relinquit, hoſtium numero eſt habendus: ſiue fœmina, ſiue maſculus ſit, ſiue filiusfamilias, ſiue paterfamilias. Neque enim pater filiumfamilias trãsfugam poſtliminio recipit: quia pater ſic illum amiſit, vt idem Paulus ait, quemadmodũ patria; & quia diſciplina caſtrorum antiquior fuit parentibus Romanis, quàm charitas liberorum [g]. Aliud tamen eſt in ſeruo tranſfuga, in quo dominus habet poſtliminium: nẽ ſcilicet cõtrarium ius non tam ſit

d in l. poſtliminiũ. §. vlt. D. de captiu. reg. Hiſp. in lib. 9. tit. 29. part. 2. Cicero offic. lib. 3.
e l. nihil intereſt. D. de captiuit.
f in l. poſtliminium. §. trãsfugæ. D. de captiu.
g d. l. poſtliminium. §. filius.

ſit ſeruo iniurioſum, quã domino dam-
noſum [a]. Sciendum eſt autem omnibus
hominibus eſſe poſtliminium, cuiuſcun-
que ſexus, ætatis, vel conditionis ſint [b].
Militibus verò vt ſit poſtliminium, do-
cere debent ſe bello captos fuiſſe [c]. nam
23 illi * qui armis victi ſe hoſtibus dedunt,
carent poſtliminio [d]. Etenim apud Ro-
manos ignominioſiſsimum habitũ fuit,
non vi, ſed per deditionem in poteſtatem
hoſtium venire. Itaque ſenatus octo illa
millia Romanorum, qui non quidem in
acie capti fuerant, ſed in caſtris relicti,
poſt cladem Cannenſem ſe Annibali de-
diderant, poteſtate ſibi facta, redimere
noluit: vt ſcilicet inſitum eſſet Romanis
militibus, aut vincere, aut emori [e]: qua
de re alio loco latiùs dicẽdum erit [f]. Sed
militi bello capto, & poſtliminio reuer-
ſo, non deberi ſtipẽdia, & donatiua eius
tẽporis, quo apud hoſtes fuit, Antoninus
imp. reſcripſit [g]. ſi tamen expleto militię
tempore captus ab hoſtibus redeat, vt
veteranum reſtituendum, & emerita re-
cipere, Arrius Menander reſpondit [h]. Sed
an ij, qui decreto ſenatus, vel iuſſu po-
puli, per feciales hoſtibus dediti eſſent,
ad ſuos reuerſi priſtinum ſtatum recipe-
rent, inter Brutum & Scæuolam variè
tractatum eſt. eoque ſpectat nobilis illa
24 cauſa Mancini *, de quo, cùm ob pacem
minùs legitimè cum Numantinis factã,

ex

a d. l. transfugæ.
b d. l. poſtliminium. in fine.
c l. non omnes. §. à barbaris. D. de re milit.
d l. poſtlimin D. de captiu.
reg. Hiſpan. libr. 9. tit. 29. part. 2.
e Liuius l. 32. Cicer. off. l. 3.
f infrà lib. 3. cap. 15.
g in l. 1. C. de re milit. l. 12.
h in l. 2. §. in qui ad hoſtes. in l. nõ omnes. §. pœn. D. de re militari.

ex S. C. hoſtibus deditus eſſet, eumque illi non accepiſſent, an ciuis Romanus maneret, quæſitum eſt; quibuſdam exiſtimantibus non manere. quare P. Rutilius, M. filius, trib. pleb. eum de ſenatu, in quem domum reuerſus introire non dubitarat, iuſsit educi; quòd eum ciuem eſſe negaret: quia memoria ſic eſſet proditum, quē pater ſuus aut populus vendidiſſet, aut paterpatratus dedidiſſet, ei nullum eſſe poſtliminiū [a]. Neque referre videtur, quòd hoſtes eū non receperint: nam ciuis eſſe deſinit, quem ciuitas repudiauit, licet ab hoſtibus nō ſit acceptus [b]. nō ſecus quàm is, cui aqua & igni interdictū eſt, vel hoſtis declaratus, vel in inſulā deportatus eſt [c]. cui ſentētiæ Modeſtinus accedere videtur [d], qui reſpondit, hoſtibus deditū, & reuerſum, niſi eſſet à ſuis receptus, ciuē non eſſe. ſed Mācinus, licet non fuerit acceptus ab hoſtibus, eū ciuem mãſiſſe, alijs viſum fuit. quod etiā Ciceroni probatur [e]: deditum enim dici non poſſe, qui nō ſit acceptus. nam neq; donationem, neq; deditionē ſine acceptione intelligi [f]. Pomponius tamen de Mancino legem poſtea latā fuiſſe, vt eſſet ciuis Romanus, ſcribit [g]. vnde videtur adhuc locus eſſe reſponſo Modeſtini, etiam in eo, quem hoſtes non acceperūt, vt ſcilicet reuerſus, non aliter ſit ciuis, quàm ſi à ſuis receptus ſit. nam alioqui quid

a Cicero de orat. lib. 2.

b argumento l. 1. §. ſi vir. l. quod meo. §. ſi à furioſo. D. de acq. poſſ.

c l. amiſsione. §. 1. D. de cap. minut. inſt. de cap. diminut. in prin.

d in l. 4. D. de capt.

e in topic. & pro A. Cæcina, in fin.

f l. abſenti. D. de donat. l. nec ambigi. C. de donat. facit. l. ſi me in vacuam. D. de acqu. poſſeſſ.

g in l. vlt. D. de legation.

quid erat opus legem ferre de Macino?

25 Porrò in bello nō ſolùm viri*, ſed etiam mulieres capi poſſunt [a]. ſic legimus vxorem Darij, cum matre, totaque familia, captam ab Alexandro; Sophonisbam, vxorem Syphacis, à Maſaniſſa; Cleopatram ab Auguſto. maximam tamen clementiæ famā ſibi conciliauit Scipio per totam Hiſpaniam, quòd capta Carthagine, Allucio, Celtiberorum principi, ſponſam ſuam eximia forma, quā captiuam habebat, intactam gratis reſtituit [b]. Sed nec pueri in bello tuti ſunt, & capi poſſunt [c]. licet Camillus, laudabili exēplo, nobiliſsimos Faliſcorum pueros, quos ludimagiſter ipſorū in caſtra Camilli per aſtum perduxerat, non accepit: ſed proditorem nudum, manibus poſt tergum religatis, cædēdum ac reducendum Faliſcis pueris tradidit, inquiens:

» Nobis, quæ pacto fit humano, cum Fa-
» liſcis ſocietas non eſt: quam ingenerauit
» natura, eſt, eritque. ſunt & belli, ſicut &
» pacis iura: arma habemus; non aduerſus
» eam ætatem, cui etiā, captis vrbibus, par-
» citur, ſed aduerſus armatos.

qua beneficentia prouocati Faliſci, ſe ſpōte Romanis dediderunt [d]. Certè ſæuire in fœminas, vel pueros, admodū fœdum ſemper habitum fuit: quos ſexus ipſe, & ætas, periculis bellorum, & ſæuitię victorum, eximit. itaq; lege diuina præcipitur quidem

a *l. 1. l. fœliſsime. l. praeſes. et l. ſeq. l. commercio. C. de poſt. reuerſ. l. non vt à patre. l. mulier. D. de capt.*

b *Liuius l. 26.*

c *l. lex Cornelia. D. de vulg. & pupill. l. pater in prin. l. quod ſi filius. D. de captiu.*

d *Liuius l. 5.*

dem Iſraëlitis, vt hoſtes reſiſtentes, & pacem nolentes, omnes occidant, ſed vt parcãt mulieribus, & paruulis: quos tamen prædæ cedere voluit, & in ſeruitutẽ redigi [a]. Canones verò iubẽt parci preſbyteris, monachis, conuerſis, peregrinis, mercatoribus, & ruſticis [b]. ſed hoc contrario vſu abrogatum eſſe dicit Panormitanus [c]. non tamen credo abrogatum quoad Eccleſiaſticos: in quos manuũ iniectio eſt interdicta, ſub graui anathematis pœna [d]. niſi fortè ſe ingerant rebus bellicis: quia priuilegium amittit, qui eo abutitur [e]. Eſt quoque notatu dignum, quòd inter duos populos bello exorto, qui ex hoſtibus apud vtrumq; populum fuerint, capi poſsint, licet in pace venerint: nam & olim ſerui efficiebantur [f].
Iuſto autem bello captus *, qui pro ſua 26
redemptione moderatum precium promiſit, non eximitur ab obligatione, ex eo fortè, quòd vi metúve dicat ſe id precium promiſiſſe. nam edictum prætoris, quo per metum geſta reſcinduntur, ad eum metum, qui iure licito alicui infertur, non pertinet [g]. Præterea, hîc nõ tam metus infertur, vt precium promittatur, quàm timor mortis iuſtè imminẽtis iſta promiſsione aufertur: præſertim cùm precium redemptionis in locum ſeruitutis ſucceſſerit [h]. Quod autẽ ad acqui-
ſitionem captiuorũ attinet *, idem quod 27
de

a Deut. c. 20.
b c. 2. de treu. & pa.
c in d. cap. 2.
d cap. ſi quis ſuadente diabolo. 17. qu. 4.
e cap. vói. 74. diſt. cap. quia fruſtra. de vſur.
f l. in bello. §. 1. D. de capt.
g Text. elegãs in l. ſi mulier. in princ. D. quod metus cauſ. Panor. in c. Abbas. col. 3. in c. cum dilectis. de his quæ vi. Felinus in c. cùm inter. nu. 20. de except. Domin. in c. ad eius verò. col. vlt. diſt. 5. Sylueſter in ver. metus. q. 6.
h Fort. in l. cõuentionum. D. de pac. fa. cit. l. Nam & Seruius. D. de neg. geſt.

de reliqua præda rerum mobilium, quæ eſt ducis arbitrio, dicendum eſt: & ita olim obtinuiſſe teſtatur Dionyſ. Halic. [a] hodie verò plerunque captiui, vt & cetera mobilia, conceduntur capientibus; niſi fortè precium excedat ſummam decem millium coronatorum; vtputa ſi captus ſit dux, comes, baro, vel alius magni nominis: quò caſu ex antiqua conſuetudine Hiſpaniæ, Galliæ, & Angliæ, eſt principis [b]. non tamen illi redimẽdi facultas adimitur, quæ etiam duci hoſtium capto cõcedi debet, ſi in eo pacis perturbatio non timetur [c]. nam, vt inquit D. Auguſtinus [d], ſicut bellanti & reſiſtenti violẽtia redditur, ita victorijs capto miſericordia iã debetur. quare bene maiores noſtri hóc comparauerũt, inquit Cicero [e], vt neminẽ regem, quem armis cepiſſent, vita priuarẽt: quia quam nobis facultatem fortuna dediſſet, iniquum erat in eorum ſupplicio conſumere, quos eadem fortuna paulo antè in ampliſsimo ſtatu collocarat. ei verò, à quo periculum reſtaurandi belli eſſe poſſet, non eſt parcendum: quę eſſet iniuſta miſericordia, vt inquit D. Ambroſius [f]. Quò ſpectat, quòd Ferrandus Diaconus, de officio pij & Chriſtiani ducis, ad Rheginum ducem ſcribẽs, inter ſeptem regulas innocentiæ, quas duci militum præſcribit, refert: Noli eſſe nimiũ iuſtus.

a *antiq. Rom. lib. 5.*

b *Bar. & Bal. in l. nam & Seruius. D. de neg. geſt. Ioan. de Ana. in c. ſignificauit. in 1. not. de Iud. Boërius deciſ. 178. Hiſ. reg. l. 5. & 8. tit. 26. par. 2.*

c *c. noli. in fine. 23. q. 1.*

d *in d. c. noli.*

e *ad Her. l. 4.*

f *offic. l. 1. c. eſt iniuſta. 23. quæſt. 4.*

Fuit itaque apud Romanos obſeruatũ, vt triumphans cum triũphali pompa de foro in capitolium deflecteret, captiuos inſignes, qui ſemina diſcordiarũ & belli auctores fuiſſent, in cuſtodiam detrudi iuberet, & exacta pompa neci daret [a].

28 Alioqui verò priuata auctoritate* nemini captiuum occidere licet; nec etiam duriùs tractare: cùm nec olim quidem licuerit, cùm fierét ſerui. ius enim ciuile dominico imperio modum adhibés, ita demum necis poteſtatẽ domino tribuit in ſeruum; ſi in facinore deprehendat: in quo repertum liberum occidere ius ſit [b]: aliàs ſeruum dominus occidere non poteſt, cui leuis tantùm coërtio permiſſa eſt [c]: & ex reſcripto Diui Pij, ſeruis cõtra nimiam ſæuitiam & intolerabilem iniuriam dominorum prouiſum eſt [d]. cui conuenit conſtitutio regni Hiſpaniæ, quoad bello captos inter Chriſtianos hinc inde; non etiam inter eos, qui diuerſæ religionis dogmata ſequuntur [e].

29 Ceterùm ſi captiuus* ſemel de precio redemptionis conuenit cum eo, cuius captiuus eſt, non poterit poſtea ad duriorem conditionẽ adſtringi, ex eo fortè, quòd is, à quo detinetur, intellexit captiuum eſſe alicuius nominis, & diuitem: neque valebit poſterior conuentio, ſed fiet reductio ad priorem [f]. Quò ſpectat quod Paulus reſpondit: Si quis captũ ab hoſti-

a *Alex. ab Alex. genial. dier. l. 6. c. 6.*

b *l. marito. D. ad leg. Iuliã. de adul. l. quid ergo ſi maiorem. §. ſi heres. D. de leg. 1.*

c *l. vnic. C. de emend. ſeru.*

d *l. 2. D. de his qui ſui vel alieni iur. ſunt.*

e *reg. l. 1. tit. 29. par. 2.*

f *Guido Papa q. 113. Papon. in areſt. lib. 5. tit. 6. in prin.*

hoſtibus emat, & pluris alij ius pignoris, quod in redemptũ habet, ceſſerit, non eam quantitatem, ſed priorem, redẽptus
30 debet [a]. Qui autem pro capto* ab hoſtibus, vt liber fieret, precium redẽptionis vel ſoluit, vel promiſit, non ſolùm habet actionem negotiorum geſtorum [b]: ſiue iuſtus ſiue iniuſtus ſit hoſtis, qui captiuum cepit [c]: ſed habet quoque redemptor ius pignoris in redemptum, donec ſoluat [d]: & edicto de libero homine exhibendo nòn aſtringitur, neque redemptus priſtinum ſtatũ recipit, donec precium redemptionis ſoluerit, vel obtulerit [e]. non erit tamẽ ſeruus, nec olim erat, cùm ſeruitus paſsim in vſu eſſet [f]: & fauore ingenuitatis, poterit ſucceſsionis iura vendicare, vt ex ſucceſsione poſsit precium pro ſe datum ſoluere [g]: & filius ei ſuccedet, etiam ſi, antequam ſe luat, moriatur. imò morte, quaſi iure pignoris finito, ab ipſo redemptore liberatur redemptus: ita vt neque heres eius teneatur ad precium redemptionis, neque fideiuſſor [h]. Sed etſi ea quæ ex pignoribus naſcũtur, pignoris vinculo obligari dicamus [i]: imperatores tamen noluerunt eos, qui poſt redemptionẽ naſcuntur, pignoris vinculo obligari [k]. & hæc quidem in liberis ab hoſtibus captis, & commercio redemptis, locum habent: at ſerui ab hoſtibus capti, & precio redempti,

a in l. poſtliminiũ. §. ſi is qui. D. de capt.
b l. nã & Seruius. D. de neg. geſt.
c per tex. eleg. in l. ſi id quod. D. de donat. inter virũ & vx. Couar. in l. 4. decret. de ſpõſ. 2. par. c. 3. § 4. nũ. 14.
d l. 2. l. liber captus. C. de poſtliminio reuerſis. l. ſenat⁹. §. vlt. D. de leg. 1. l. qui teſtamento. §. 1. D. de teſtã. l. qui ſtatus. D. de re milit.
e l. quod & lex. §. ſi quis. D. de lib. hom. exhib. iũcta l. liber capt⁹. C. de poſtl. reuerſ.
f d. l. 2. C. de poſtl. reuerſ.
g l. is qui. C. dict. tit.
h l. ſi patre redempto. D. de captiu. l. 1. §. ſi filius. D de ſuu & legit.
i l. grege. D. de pignorib.
k in l. præſes prouinciæ. C. de poſtl. reuerſ.

pti; fiunt redimentis ſerui: ſed oblato ei precio, quod dedit, poſtliminio rediiſſe, aut recepti eſſe, creduntur [a]. Porro redemptio captiuorum* eſt tam fauorabi- 31
lis, vt datum in hanc cauſam, quantumcunque ſit, repeti non poſsit, nec inſinuatione opus habeat [b]. & quamuis incertæ perſonæ, ne miles quidem quicquam relinquere poſsit [c]: imperatores tamen pietatis cauſa, & militum infortunijs moti, relictum in redemptionem captiuorum, non obſtante incertitudine perſonarum, valere voluerunt [d], etiam ſi quis totum patrimonium relinquat [e]. Pietatis quoque cauſa redépto captiuo, vtpote ſi mater filium redemerit, de repetitione precij tractare non conuenit: ſed præſumitur donatio [f]. & redimens puellam luxuriæ cauſa, vel illam proſtituens, perdit precium, & puella impunè ab eo fugere poteſt [g]. Negligens verò redimere* captiuum, non ſolùm exhe- 32
redari poteſt, ſi ſit ex liberis; ſed etiam lege, proximis agnatis, vel heredibus inſtitutis, qui in redemptione captiui negligentes fuere, denegatur ſucceſsio: quæ applicatur Eccleſiæ, expendenda in redemptionem captiuorum [h]. Diximus captis ab hoſtibus, tam liberis quàm ſeruis, & tam maſculis quàm feminis, eſſe poſtliminium. videamus nunc reliqua, quæ poſtliminio redeunt: quibus cognitis,

a l. in bello. §. ſi quis ſeruum. D. de captiu.

b l. ſi quis pro redemptione. C. de donat.

c §. legari autē. inſt. de leg.

d l. nulli. C. de epiſ. & cler.

e l. ſi quis ad declinandum: C. de epiſc. & cleric.

f l. liber captus. §. 1. D. de poſtl. reuer. reg. Hiſp. l. vlt. tit. 29. par. 2.

g l. fœdiſsimè. C. de poſtl. reuerſ.

h authent. ſi captiui. C. de epiſc. & cler. reg. Hiſp. l. 3. tit. 29. par. 2.

tis, intelligemus, quæ ſunt ea, quæ poſt-
liminio carent. contrariorum enim ne-
gantium, vt inquit Cicero[a], ea vis eſt, at-
que natura, vt altero poſito, vel cogni-
to, alterũ ſtatim ſubmoueatur, vel cog-
noſcatur[b]. Poſtliminio itaque redeunt
33 quoque agri*, eorumque vſusfructus,
vnde expulſis hoſtibus ex agris, quos
ceperãt, dominia eorum ad priores do-
minos redire, & vſumfructũ iure poſt-
liminij reſtitui, Paulus reſpondit[c],
quod verum puto, nullo quantumuis
longi temporis lapſu obſtante[d]. Itaque
Saguntum oppidum, quod iam octauũ
annum in poteſtate hoſtium fuerat, tan-
dem receptũ, cultoribus antiquis, quos
vis reliquerat belli, reſtitutum fuit[e]. &
quidem ex conſtitutionibus regni Hiſp.
imperia, regna, comitatus, aliaque do-
minia maiora, ab hoſtibus recuperata,
poſtliminio redeunt, & ne ex eo quidem
tempore, quo recuperata ſunt, vſucapi
poſſunt. quoad alia verò dominia mi-
nora, ſi quatuor annis dominus ſiluerit,
ex quo recepta ſunt, erit locus præſcri-
ptioni, niſi dominus ſit minor[f]. ijſdemq́;
cõſtitutionibus cautum eſt, vt ſi quis ex
ſubditis arcem, licet propriam, ſua culpa
amiſerit, quamuis ſua opera eandem re-
ceperit, regi tamen petenti eam tradere
34 debeat[g]. Denique* nauibus longis, & o-
nerarijs, poſtliminium eſſe, Marcellus

a *in Topic.*

b *facit tex. inſtit. de his qui ſui vel alien. iur. ſint, in princ. & l. vlt. §. vlt. D. de leg. 3. & ibi Bar.*

c *in l. ſi captiuus. §. expulſis. D. de captiu. in l. ſi ager. D. quib. mod. vſusf. amitt. l. in tantũ. in prin. D. de rer. diuiſ.*

d *c. prima actione. cum gloſ. ibid. q. 3. l. contra maiores. C. de inoff. teſtament.*

e *Liuius l. 24.*

f *reg. Hiſp. l. 10. tit. 29. par. 2.*

g *reg. Hiſp. l. 32. tit. 28. par. 2.*

reſpondit: qui equũ quoq;, & equá freni patientem, poſtliminio recipi voluit, quòd ſine culpa equitis proripere ſe potuerunt [a]. & idẽ quoq; teſtatur Cicero [b], cùm ait: Poſtliminio redeunt hæc, homo, nauis, mulus, clitellarius, equus, equa quæ frena recipere ſolet. non autẽ idẽ iuris eſt in armis, quę poſtliminio nõ redeũt, quòd non ſine flagitio amittantur [c]. de quo alio loco plura dicemus [d].

Ex ſuperioribus (ni fallor) manet expedita illa quæſtio, quæ variè admodum torſit ferè omnes interpp., vtrùm ſcilicet
* res ſemel ab hoſtibus captæ, & ab iiſdẽ 35
recuperatæ, prioribus dominis ſint reſtituendæ, nec ne. quod alij aiunt, alij negant; alij temere ſecant, & ſubſecant, & neque ſibi neque alijs ſatisfaciũt. ſunt enim qui diſtinguunt inter res mobiles & immobiles; & has reſtitui ſemper [e], illas nunquam, exiſtimant [f]. alij, quoad res immobiles, diſtinguunt rurſus, ſintne virtute bellica recuperatæ, quas nón reſtitui volunt; an verò cõmercio redemptæ, quas, oblato redemptionis precio, reſtituendas priori domino cenſent [g]. alij denique ſine vlla diſtinctione tam mobiles omnes quàm immobiles res receptas priori domino omnino reſtituendas eſſe dicunt [h]: idque contra euidens reſponſum Labeonis [i], qui ait: Si quid bello captum eſt, in præda eſt, nec poſt-

a l. 2. D. de captiu.
b in topic.
c d. l. 2.
d infrà lib. 3. c. de iis qui arm. amiſ.
e per l. ſi captiu⁹. §. expulſis. D. de capt.
f argum. l. ſi quid bell. D. de capt. Ang. Salic. Iaſ. Marr. Laud. & alij, quos refert Couar. in c. peccatũ. de reg. iur. in 6. 2. relect. §. 11.
g arg. l. ab hoſtib. 2. C. de poſtl. reuer. l. in bel. §. ſi q͂s ſeruũ D. de capt. Frãc. Ripa, in l. 1. D. de acq. poſ. Couar. dicto loco. & alij ab eo citati.
h arg. l. ab hoſtib. 2. C. de poſtl. reuer. l. id quod apud hoſtes. D. de l. 1. & l. Põp. D. de acq. rer. dom. Ioã. Andr. Alex. Pyrrh⁹. & alij quos refert Couar. in d. c. peccatum.
i in l. ſi quid b. l. D. de capt.

poſtliminio redit. & alibi [a], ita demũ ab hoſtibus capta, & à noſtris recuperata, poſtliminio redire reſpondit, ſi ſint eius generis, quę poſtliminio redire poſſunt. quam diſtinctioné etiam Marcellus probat [b]. Neque vident id quod impp. reſcripſerunt [c], ſeruos ab hoſtibus recuperatos, dominis ſuis reſtitui debere, ideo eſſe, quòd non ſolùm in liberis perſonis, ſed etiam in ſeruis ſit poſtliminium [d]. Quare etiam quod Octauenus reſpondit [e], id quod apud hoſtes eſt, legari poſſe, & poſtliminiũ eſſe; de eo haud dubiè intelligi debet, quod eius generis eſt, vt poſtliminio redire poſsit, ſecundùm diſtinctionem Labeonis [f]. His adde quòd
36 quamuis res, quæ ſunt hoſtiũ *, non ſint in commercio [g]: tamen eas res, quas hoſtes ceperunt, ſi ſint eius generis, quæ poſtliminium habent, vendi, legari, & quocunque modo alienari poſſe [h]. Quò ſpectat, quod apud Liuium legimus [i]: quòd cùm Annibal ad quartum lapidem Romam acceſsiſſet, & tanti vẽditum eſſe agrum audiſſet, in quo caſtra habebat, quanti ante aduentum eius valebat; ira percitus, vocato præcone, tabernas argentarias, quæ in foro Romano erant, vendi iuſsit. & certè agri quidẽ venditio valuit, propter ſpẽ poſtliminij [k]; non verò tabernarum, quæ nunquam fuerant hoſtium, nec erat in ijs poſtliminium [l].

a in l. vlt. D. de captiu.
b in l. 2. D. de captiu.
c in d. l. ab hoſtibus. 2.
d l. poſtl. §. vlt. l. in bello. §. ſi quis ſeruum. l. vlt. D. de captiu.
e in dict. l. id quod apud hoſtes. D. de l. 1.
f in d. l. vlt.
g l. liber hom. 1. D. de verb. oblig.
h l. itẽ Labeo. §. vlt. cum l. ſeq. D. famil. her. & dict. l. id quod apud hoſtes.
i lib. 25.
k d. l. item Labeo.
l d. l. liber homo.

Neque mouet, quod ex L. Pomponius, D. de acq. rer. dom. adducitur, vbi cùm paſtori meo lupi porcos eriperét, & hos vicinæ villæ colonus robuſtis canibus conſecutus, lupis extorſiſſet, porcos coloni non eſſe, reſponſum eſt; ſed meos manere, quamdiu à quouis recuperari poſſent: ſecus ac ſi feram beſtiá vicinus hac ratione mihi abſtuliſſet. quæ ſi poteſtatem noſtram euaſerit, & ab alio capiatur, ipſius fit. non, inquam, id mouet: nam ibi, diſertis verbis I.C. ait, porcos, aliaque animalia manſueta, quæ à lupo nobis eripiuntur, noſtra manere, quamdiu recipi poſſunt, quæ erepta ſunt [a]; quemadmodum & ea, quæ naufragio amittimus: vnde etiá furti agi poſſe dicit. aliud autē eſt in ijs, quæ ab hoſtibus nobis auferuntur, quorum dominium ſtatim in hoſtes tráſire conſtat [b]. vnde potiùs dicendum eſt, quòd, quemadmodū feræ beſtiæ vbi cuſtodiam noſtram euaſerint, dominium amittimus, & eędem à quouis poſtea captæ occupantis fiunt [c]; ſic quoque capta ab hoſtibus, quorum dominium ſtatim amittimus, eius fieri, qui recepit, nec priori domino reſtituēda eſſe: niſi ſint eius generis, quæ poſtliminio redeunt [d]. ex quibus etiá corruit eorum ſententia, qui ſine diſtinctione omnes res mobiles eorum fieri, qui eas hoſtibus eripuerunt, exiſtimant: & eorū quo-

a *§. anſerum. inſtit. de rer. diuiſ.*

b *l. ſi quid bello. l. hoſtes. D. de captiu.*

c *d. l. Pomponius, & §. ferè autem. inſt. de rer. diuiſ.*

d *l. vlt. D. de captiu.*

quoque, qui inter res bellica virtute re-
ceptas, & commercio redemptas, diſtin-
guendum putauerunt. Sit ergo ita con-
ſtitutum, vt quę res poſtliminiũ habent,
ex recuperatę ad priorem dominum, &
in priſtinum ſtatũ redeant, ſiue mobiles
ſint, ſiue immobiles[a]; ſiue etiam virtute
bellica, ſiue commercio, ſiue quocunque
alio modo recuperentur[b]. niſi quòd ea-
rum, quæ commercio ſunt redemptæ,
precium reſtituatur[c]; quæ verò poſtli-
minio carent, prædæ cedunt[d]. Illud ta-
37 men ſciendum eſt, prædam* tum demum
fieri hoſtium, vt primùm intra præſidia
delata eſt[e]. vnde ſi recuperetur antequã
intra præſidia hoſtiũ ſit delata, omninò
priori domino reſtitui debet: quia non-
dum facta fuit hoſtium, neque deſijt eſſe
eius, cuius fuit[f]. Et quidem ſi ij, per quos
præda fuit recepta, frauduléter paſsi ſint
eam priùs ab hoſtibus auferri, & intra
præſidia eorum perferri, & eam perſequi
neglexerint: non tantùm tenebuntur ad
reſtitutionem priori domino faciendam
eius quod receperunt, ſed etiam eius
quod ſeruare potuerunt; & eorum cul-
pa amiſſum, domino præſtandum erit,
vt conſtitutionibus regni Hiſpaniæ op-
timè cautum eſt[g]: & facit text. in L. Iu-
lianus[h]. Porrò huic diſtinctioni, ſitne
res ab hoſtibus capta, & per noſtros re-
cepta, eius generis, quæ poſtliminium

a l. 2. & 4. l. ſi captiuus. §. expulſis. l. vlt. D. de captiu. l. ab hoſtib. 2. C. de poſtl. reuerſ.

b per text. elegan. in l. 4. & l. nihil intereſt. D. de captiu. §. ſi ab hoſtibus. inſt. quib. mod. ius pat. po. ſolui. & d. l. ab hoſtibus.

c l. in bello. §. ſi quis ſeruum. D. de capt. l. liber captiu. C. de poſtl. reuerſ.

d l. ſi quid bello. l. vlt. D. de captiu.

e l. poſtliminij. in princ. l. poſtliminium. §. poſtlimin. D. de captiu.

f d. l. poſtliminij. in prin.

g reg. l. 26. & 31. tit. 6. par. 2. reg. l. 13. tit. 9. p. 5.

h §. vlt. D. de rei vend.

habent; &, ſitne ſemel in præſidia hoſtium delata, nec ne; non ſubiacent res captæ à piratis*, vel latronibus, & ijs qui iuſti hoſtes non ſunt. nam capta ab ijs, nunquã in dominium eorum trãſeunt [a]. quare recepta, ſine diſtinctione omnino priori domino, qui dominio eorum nunquam excidit, ſunt reſtituenda [b]. hinc mirum, cur conſtitutio * regni Hiſpaniæ hanc diſtinctionem, fueritne præda recepta, ſemel intra præſidia hoſtiũ delata, nec ne, probauerit, in his rebus, non ſolùm quæ ab hoſtibus, ſed etiam quæ à piratis nobis ablatæ ſunt [c]: cùm certè, ſi bonum & æquum inſpiciamus, dominium rerum captarum, nulla lege, neq; diuina, neque humana, à veris dominis, in eum qui iuſtus hoſtis non eſt, tranſire poſsit, vnde recuperatas huiuſmodi res omnino dominis reſtituendas eſſe, ipſa ratio & æquitas ſuadet. niſi fortè propter vtilitatẽ publicam, quo milites ſint alacriores ad perſequendos latrones & piratas, aliud ſtatui conueniat: præſertim cùm bono publico, etiam cum damno priuatorũ, conſuli poſsit [d]. Quò ſpectat, quod Tacitus ait, omne magnum exemplum habere aliquid ex iniquo, quod contra ſingulos vtilitate publica rependitur. alioqui certè iſtud ſatis durum videtur. Romani autem non ſolùm, ſi cum latronibus & piratis, ſed etiã ſi cum iniuſto

38 39

a l. hoſtes. l. latrones. l. poſtliminium. §. à piratis. D. de captiu. l. qui à latronibus. D. de teſtam.

b l. latrones. D. de captiu.

c reg. lib. 31. tit. 29. par. 2.

d l. Lucius. D. de euict. l. item ſi verberatũ. §. 1. D. de rer. vend. c. licet. de reg. iur. in 6.

ſto hoſte res eſſet, ſæpe ea, quæ in præda fortè facta inueniebantur fuiſſe ſociorũ, vel ciuium, iubebant illis reſtitui. itaque Volſcis ad deditionem cõpulſis, caſtriſque eorum captis, prædæ pars, ſua cognoſcentibus Latinis atque Hernicis, ſocijs populi Romani, reddita ſunt [a]. & Sutrinis, ſocijs populi Romani, vrbs eorum, quam per pactionẽ Hetruſcis dediderant, quòd diutius obſidionem ferre non poſſent, eodem die Camillo duce recepta, inuiolata integraque ab omni clade belli ante noctem reddita eſt [b]. Sic quoque Scipio, capta Carthagine, quæ repleta erat ſtatuis, donarijſque Græcanicis è Sicilia aduectis, edixit, vt è ſingulis vrbibus venirent, qui ſua dinoſcerent & auferrẽt [c]. Sed iſtud certè ex benignitate imperatoris, in cuius arbitrio omnẽ prædam eſſe docuimus, pendet. Verùm,

40 vtrùm res furto* à latronibus, & illegitimis hoſtibus erepta, quæ poſtea in poteſtatem eorum, qui hoſtium numero continentur, peruenerit, à ciuibus commercio vel virtute bellica redempta fuerit; vtrùm, inquã, hęc res priori domino reſtitui debeat, meritò dubites. Et quidem Iauolenus [d], ſeruum ſurreptum, quamuis poſtea in manus hoſtium venerit, ab emptore vſucapi non poſſe, reſpondit: quia ſcilicet verum eſſet, eum ſurreptum eſſe; neque quòd hoſtiũ fuiſſet,

a *Liuius l. 4.*

b *Liuius l. 6.*

c *Plut. in apophth.*

d *in l. latrones. D. de captiu.*

ſer, aut poſtliminio rediſſet, ei rei impe-
dimento eſſe: quod in ſeruo admitto,
propter ius poſtliminij; ſed in alijs rebus,
quę poſtliminio carent, id ſequi non au-
ſim: quia certum eſt, hanc rem factam
hoſtium, atque ita dominum eius do-
minio excidiſſe. quid enim refert an do-
mino, an verò furi res fuerit erepta, mo-
dò iuſto bello? Nam quod dicimus, vitiũ
furti, quod rei cohæret, non purgari, niſi
res in domini poteſtatem reuertatur:
(quod lege Atinia ſancitum fuit [a]) inter
ciues, non etiam inter hoſtes, locum ha-
bere exiſtimo. vt enim res bello capta
noſtra fiat, ſufficit rem hoſtilem eſſe [b]. &
hæc ſententia mihi videtur iuri conſen-
tanea. tamen non impedio, quo minùs
vnuſquiſque vtatur ſuo iudicio. nihilo-
minus ſi placet hanc rem furtiuam ma-
nere; illud certè æquiſsimum puto, vt nõ
aliter cum his poſſeſſoribus agi poſsit,
quàm ſi ipſe fur vel hæres ſoluendo non
ſunt [c]. Et hactenus quidem de rebus
corporalibus, & perſonis tam liberis,
quàm ſeruis bello captis, dictum eſt. ſed
quæri poteſt, vtrùm etiam res incorpo-
rales* bello capi poſsint, & in victorem 41
transferri: &, ſi poſsint, vtrùm ſint poſt-
liminij, nec ne. Quò ſpectat lis illa, quæ
fuit inter Thebanos* & Theſſalos: de 42
qua Quintilian. [d] mentionem facit. cùm
enim Thebas euertiſſet Alexander, in-
uenit

a l. 4. §. quod autem. D. de vſucap.

b l. naturalẽ. in fine. l. transfugam. D. de acq. rer. dom.

c argumento. l. 4. §. antep. D. de pecul.

d lib. 5. c. 10.

uenit tabulas, quibus centum talenta mutuò Theſſalis dediſſe Thebanos continebatur. has donauit Theſſalis; quòd eorum vſus eſſet cõmilitio. poſtea reſtituri à Caſſandro, conueniunt Thebani Theſſalos. lis omnis ex eo, quòd Alexãder eas Theſſalis donaſſe dicitur, pẽdet. & certè non videtur potuiſſe Alexandrum obligationem iſtam Theſſalis donandi animo remittere, cùm ſit iuris, & ita perſonæ cohæreat, vt ab ea diuelli nõ poſsit [a]. præterea ex eo, quòd ius, quod incorporale eſt, manu apprehendi non poſsit: id verò tãtùm fieri victoris, quod ipſe ceperit [b]: imò nõ diutius eſſe victoris, quàm quamdiu poſsidet; cùm eodẽ iure, quo ipſe cepit, ab eo auferri poſsit [c]. & aliam quoque eſſe conditionem heredis conſtat, aliam victoris: quia ad illũ ius [d], ad hunc res tranſit [e]. tum etiam ius publici crediti tranſire in victorem non potuiſſe, ex eo defendi poteſt, quòd id quod populus credidit, ab omnibus debeatur, &, quãdiu quilibet ſuperfuerit, ſit is totius ſummæ creditor; imò idem populus dicendus ſit, & eadem ciuitas, etiam ſi nemo ex ijs, qui tẽpore contractus erãt, ſuperſit, ſed alij ſucceſſerint; vt diſertè Alphenus reſpondit [f]. etenim populi ius non eſt ſitum in perſonis, ſed
43 in vniuerſitate; quæ vniuerſitas * æquè repręſentatur per ſuccęſſores, vt per eos
quí

a l. 3. & ibi Accurt. D. pro ſocio. l. quod debetur. D. de peculio.
b l. ſi quid bello. D. de captiu. §. item ea quæ ab hoſtibus. inſtit. de rer. diuiſ.
c l. ſi quid bello. D. de captiu.
d l. hereditas. D. de petition. hæred.
e d. l. ſi quid bello.
f in l. proponebatur. D. de iud. adde l. quod in rerũ. §. vlt. & l. ſi grege. D. de legat. 1.

qui ſunt hodie. eoq; ſenſu dicitur, quòd vniuerſitas non moritur, nec deſinit, quamdiu vel vnus ſupereſt[a]. Denique ad propoſitam facti ſpeciem, dici poteſt, non in tabulis fuiſſe ius, cùm ſcriptura non ſit de ſubſtantia contractus, ſed adhibeatur tãtùm ad probationem[b]: vnde tabularum apprehẽſione, & donatione, nullum ius fuiſſe acquiſitum Alexandro, neque Thebanis ademptum. Ceterùm his non obſtantibus, in propoſita facti ſpecie, verius videtur, ius publici crediti in tabulis comprehenſum, in Alexandrum tranſiſſe, atq; ita potuiſſe Alexandrum obligationem illam, qua Theſſali Thebanis tenebantur, Theſſalis remittere. quod donatione tabularum feciſſe cenſetur. cùm enim iure belli, victi in victoris poteſtatem & dominiũ tranſeant, & poſsit victor ijs, quemadmodũ velit, imperare; non ſolùm res corporales ijs adimere poteſt, ſed etiam ea, quæ ſunt iuris, & leges pro arbitrio dare, & priores tollere. vbi enim omnia ei, qui armis plus poteſt, vt ait Liuius, dedita ſunt; quæ ex ijs habere victor, quibus multari eos velit, ipſius ius atque arbitrium eſt. ſed & cùm obligatio ſit in creditoris dominio[c]; protinus ius crediti, quod victi habebãt, in victoris dominium vnà cum victis trãſit. nam qui in aliena poteſtate eſt, non poteſt quicquam habere in ſua[d].

a *l. ſicut. §. vlt. D. quod cuius vn. nom.*

b *l. contrahitur. D. de pignorib. l. cum te. C. de trãſ. l. in re. D. de fide inſtr.*

c *l. 1. §. id quod. D. ad l. Falc. l. ſed etſi damnũ. §. 1. D. de pecul. Accurt. in l. 2. C. de hered. vel act. vend.*

d *l. qui in ſeruitute. D. de reg. iur.*

Vnde

Vnde profectò videtur dominium illius obligationis, qua Theſſali Thebanis tenebantur, in Alexandrum tranſiſſe: qui cùm eandem donandi animo Theſſalis remiſerit, (nam tabulis donatis cenſetur id, quod in tabulis continetur, donatum eſſe [a]: & creditor cautionem creditori reddens, paciſci de non petendo intelligitur [b]) Theſſalos ab obligatione liberos eſſe, conſequens eſt. niſi dicamus, Thebanos, reſtitutione Caſſandri, iure poſtliminij ius crediti recuperaſſe. nam omnia quæ ſunt iuris, poſtquam quis poſtliminio redijt, perinde habentur, ac ſi nunquam in poteſtate hoſtium fuiſſent [c]. itaque dicemus, ciuitatem iure poſtliminij reſtitutam, eádem, eiuſdemque iuris & ſtatus fingi, quo antea fuerat; vt de agrorum captorum, & liberatorum proprietate diximus [d], & eorundem vſufructu [e], qui iuris eſt [f]. quo etiam modo poſtliminium fingitur in locis ſacris & religioſis [g]. Si tamen in propoſita hypotheſi fortè Theſſali Alexandro victori, in quem ius crediti tranſiſſe diximus, ſoluiſſent: non exiſtimo Thebanos per reſtitutionem Caſſandri, iure poſtliminij, ius crediti ſemel exſtinctum recuperaturos fuiſſe; vt in ſimili ferè facti ſpecie iudicatum fuiſſe tradit Ioan. Paponius [h]. ſolutio enim debitè facta fuit, quæ obligationem tollit funditus ipſo iure [a],

a *l. 1. C. de donat.*

b *l. 2. D. de pact. l. mortis cauſa. §. Titio. D. de mor. cauſ. donat.*

c *l. in bello. §. codicilli. ver. cetera. D. de captiu.*

d *l. ſi captiuum. §. expulſis. D. de capt.*

e *l. ſi ager. D. quemad. vſusfr. amit.*

f *inſt. de reb. corp. & incorp.*

g *l. cùm loca. D. de relig. & ſumpt. funer.*

h *in areſt. l. 5. tit. 6.*

iure [a], & naturaliter, vt ait Iuriſconſultus [b]. naturale eſt enim vnumquodque diſſolui, ita vt colligatũ eſt [c]. Ius autem poſtliminij nõn reſtituit ea, quę facto & naturaliter legitimè ſublata ſunt [d]. non habent namque eá quę ſunt iuris, imperium in ea quæ ſunt facti [e]. Quò ſpectat, quòd quãuis ſeruus ne naturaliter quidem obligetur [f]; tamẽ ſi quis pro ſeruo, qui mutuum accepit, ſoluat, vel ipſe ſeruus manumiſſus, ſolutũ repeti non poteſt [g]: quia ſcilicet factum facto repeditur. eſt enim apta & commoda proportio & analogia facti cum facto, non æquè iuris cum facto [h], ſed iuris cum iure maximè [i]. vnde ſi acceptilatione, pacto de non petendo, chirographi redditione, quę longè minus cautionis habent quàm ſolutio [k], liberatio contigerit, cùm nullum factum interuenerit, ius crediti ad Thebanos iure poſtliminij redire, dicendum videtur. neque enim his modis æquè tollitur obligatio, vt ſolutione, quæ obligationem tollit funditus ipſo iure [l]. neque etiam militat eadem æquitas, & bona fides: quæ non patitur, vt idem bis ſoluatur [m]. Et quidẽ, ſi hæ tabulæ, de quibus agimus, ab alio quopiam quàm ſummo principe, qualis fuit Alexãder, captę fuiſſent; equidem exiſtimo nullum ius illi acquiri potuiſſe, per ea quæ in contrariam ſentẽtiam adduximus: atque ita

non

a l. ſed etſi lege. §. certè. D. de pet. hered.
b in l. pœn. D. de ſolut. Accur. in l. ſolut. D. de ſolut.
c l. nihil tam naturale. D. de reg. iur.
d l. in bel. §. facti. D. de capt.
e l. ſi unus. §. pactus ne pet. D. de pact. l. iura ſanz. D. de reg. iur. l. cùm proponas. C. de her. inſt.
f l. nec ſeruus. D. de pecul. l. in perſonã. D. de reg. iur.
g l. naturaliter. l. ſi id quod D. de cond. Ind
h §. item per. acceptilatione. inſt. quib. mod. tol. oblig.
i l. omnia. D. de reg. iur.
k d. §. itẽ, & §. præterea. inſt. de except. & l. pecuniæ. C. de ſolut.
l inſt. quib. mod. tol. oblig. l. ſed etſi lege. §. certè. D. de petit. hered.
m l. bona fid. D. de reg. iur.

non eſſe opus poſtliminij fictione: ne quidem ſi ſint tabulæ priuati alicuius crediti. niſi fortè creditor eius, qui tabulas habet, captiuus ſit: qui olim fiebat ſeruus, qui nihil ſuum habere poterat; ſed omnia cum ipſa perſona in dominium transferebantur [a]. Verùm cùm hodie inter Chriſtianos capti non fiant ſerui, aliud dicendum videtur. cùm enim perſona non tranſeat in dominium capientis: ne quidem ius, quod perſonæ ita cohæret, vt ab ea diuelli non poſsit [b], tranſire dicendum eſt.

a *l. acquiritur. §. igitur. D. de acq. rer. dom.*

b *l. 3. & ibi Accurt. D. pro ſocio.*

DE FIDE HOSTI SERVANDA.

1 *Fidem Romani maximè coluerunt.*

2 *Fides hoſti data, ſiue publicè, ſiue priuatim, ſeruanda.*

3 *Edictum quod metus cauſa, non pertinet ad fidem hoſti datam.*

4 *Nulla latebra aut calumnia quærenda periurio.*

5 *Obſides dati an liberent à fide præſtita.*

6 *Iniuſto hoſti an ſit ſeruanda fides.*

7 *Iura belli non conueniunt iniuſtis hoſtibus.*

8 *Conuentiones per tyrannidem aut rebellionem expreſſa, non ſeruandæ.*

9 *Princeps ea, quæ ſunt iuris regij, alienare non poteſt.*

10 *Summum imperium in quibus præcipuè verſetur.*
11 *Minimè firmæ ſunt conuentiones, quæ fiunt cum ſubditis rebellibus.*
12 *Rebelles & latrones armis, non pactione, ſubigendi.*
13 *Hoſtibus non ſemper fides ſeruanda.*
14 *Iuramentum de re illicita non eſt ſeruandum.*
15 *Fides à priuato in præiudicium reipubl. data, non eſt ſeruanda.*
16 *Præſtat non dare fidem de re illicita, quàm datam fallere.*
17 *Hoſti fidem fallenti non eſt ſeruãda fides.*
18 *Induciæ an maneant, hoſte eas violante.*
19 *Induciæ etiam longi temporis eſſe poſſunt.*
20 *Fidem frangenti, fidem ſeruandam non eſſe, quomodo intelligendum.*
21 *Perfidiam perfidia vlciſci non licet.*
22 *Pactum dolo malo initum an ſeruandum.*

CAP. SEXTVM.

FIde nullam rem apud mortales maiorem aut ſanctiorem veteres ſemper exiſtimauerunt, eamq́ue Romani *in capitolio vicinam Ioui opt. max. eſſe voluerunt: quæ ſemel data, nihil firmius fuit. Itaque Aulus Gellius [a], omnibus quidem populum Romanum virtutum generibus colendis exercendiſq́ue ad tantam amplitudinē perueniſſe ſcribit; ſed

1

a noct. Attic. lib. 20. cap. 1.

ſed omnium maximè atque præcipuè fidem coluiſſe, ſanctamq; habuiſſe, tam publicè quàm priuatim. cuius rei cùm permulta exſtent argumēta & teſtimonia, tum illud perquam memorabile; quòd inter eos & Perſeam pactis inducijs, cùm ludi Circenſes celebrarentur, ingreſsi hoſtium duces curuli certamine contenderint, & victores coronati ſint. Sed & cōſules clariſsimos viros populus Rom.; confirmandæ fidei publicæ gratia, hoſtibus dedidit, vt de Poſtumio & Mancino alibi diximus[a], vnde Ptolemæus Ægypti rex, agnita Romanorum fide, populum Roman. infanti filio, cui regnum debebatur, tutorem teſtamento reliquit. & certè, vt Vlpianus ait, graue eſt fidem fallere[b]: & nihil fidei humanæ tam congruum eſt, quàm ſeruare quæ placuerunt[c]. Porrò nullum, vt inquit Cicero[d], vinculum ad aſtringendam fidem iureiurādo maiores arctius eſſe voluerunt. id indicant leges in xij. tabulis: indicant ſacra: indicant fœdera, quibus etiā cum hoſte deuincitur fides. & quidem Romani, cùm belli paciſq; iura religioſiſsimè ſemper coluerint, tum certè, ſi tēporibus adducti, hoſti quid promiſiſſent, in eo ipſo fidem ſanctiſsimè ſeruabant. Itaque præclarè Sex. Pompeius, magni Pompeij filius, (cœnātibus apud eum in naui ad Puteolos Antonio

a *ſuprà cap. 1.*
b *in l. 1. D. de conſt. pæc.*
c *in l. 1. D. de pact.*
d *offic. libro 3.*

& Octauio, cum quibus tunc ſocietatem
inierat) Menodoro, Pompeianæ claſsis
præfecto, per internuncium ſignificanti
tempus adeſſe, quo parentis & fratris
iniurias vlciſci poſſet, &, occaſione arre-
pta, paternum ſibi aſſerere imperium; ſe
enim curaturum, ne quiſquam è nauibus
euaderet: reſpondit: Vtinam Menodo-
rus hoc abſque me poſſet perficere! nam
illi periurium cōuenire, non Pompeio [a].
Sunt autē * qui exiſtiment, hoſti quidem 2
publicè fidem datam ſeruādam eſſe, non
etiam eam, quæ à priuato ſit præſtita [b].
quorū ſententia nullis ſolidis argumen-
tis fulcitur, eſtque contra veterū exem-
pla, inſtitutaque maiorum, & grauiſsi-
morum Philoſophorū ſententiā, quam
elegāter proſequitur Cicero [c], & Gell. [d]
itaque quando cum iuſto legitimoque
hoſte res geritur, non exiſtimo debere
conditiones, pactiones bellicas & hoſti-
les, perturbari periurio, etiam à priuatis
initas [e]. nam graue eſt fidem fallere [f]. &
ſunt quædam officia, vt inquit Cicero [g],
etiam aduerſus eos ſeruanda, à quibus
iniuriam acceperis. eſtque præclarum
in hanc rem M. Attilij Reguli facinus,
qui primo bello Punico captus à Pœ-
nis, cùm de captiuis commutandis Ro-
mam miſſus eſſet, iuraſſetque ſe reditu-
rum: primùm vt venit, captiuos redden-
dos in ſenatu non cenſuit; deinde cùm
reti-

a *Appian. de bell. ciuil. l. 5.*

b *Bart. & alij in l. conuētionum. D. de pact. Zaz. in apolog. contra Eckium, & de Iud. q. 3.*

c *offic. lib. 3.*

d *lib. 7. c. 18. lib. 20. c. 1.*

e *per text. in c. noli. 23. q. 2. l. poſtliminij. §. vlt. D. de capt. Fortun. & Duarenus in l. conuētionum. D. de pact. Decius in l. ea eſt natura. D. de reg. iur. Cou. in 4. lib. decr. 2 par. c. 3. §. 4.*

f *l. 1. D. de conſt. pecun.*

g *offic. lib. 3.*

retineretur à propinquis & amicis, ad ſupplicium redire maluit, quàm fidem hoſti datam fallere [a]. quod multis laudibus effert D. Auguſtinus [b]. Iacobus verò iratus fuit Simeoni & Leui filijs ſuis, quia violauerant pactum cum Sichimitis initum [c]: ideoque moriens maledixit illis [d]. Neque recipienda eſt eorum ſententia, qui exiſtimarunt, quod per vim hoſtium eſſet actum, ratum eſſe non debere. viro enim forti, vt inquit Cicero, vis adhiberi nequit: & fides, vt inquit Seneca [e], ſanctiſsimum humani pectoris bonum, nulla neceſsitate ad fallendum cogitur, nullo corrũpitur præmio. vnde Cicero: Nulla res tanta, inquit, exiſtat, vt poſsit mihi maiorem vim adhibere metus, quàm fides.
3 Edictum * quoque prætorium, quo per metum geſta in integrum reſtituuntur, ad eum metum, qui iure licito, vtpote iuſto bello, infertur, non pertinet [f]; neque ad promiſſa hoſtibus facta, ſed ciuibus. Et quidem tanti olim fuit iuſiurãdum, vt M. Pomponius Tribun. pleb. cùm diem dixiſſet L. Manlio, A. filio (quòd paucos ſibi dies ad dictaturam gerendam addidiſſet, & criminaretur, quòd Titum filium, qui Torquatus poſtea eſt appellatus, ab hominibus relegaſſet, & ruri habitare iuſſiſſet) ab adoleſcente filio, qui intelligebat negotium exhiberi patri, remotis arbi-

a *Cicero off. libro 3. Valer. Max. l. 1. c. 1.*
b *de ciuit. Dei libro 1. cap. 18*
c *Geneſ. 34.*
d *Geneſ. 48.*
e *Epiſtola 89.*
f *text. e leg. in l. ſi mulier. in prin. D. de eo quod metus cauſ. Panor. in cap. Abbas. col. 2. in c. cùm dilectus. de his quæ vi met. cauſ. Felinus in cap. cùm inter. nu. 20. de except. Dom. in d. c. ad eius verò. col. vlt. diſt. 5. Sylu. in verſ. metm. q. 6.*

arbitris, ſtricto gladio iuſiurandum dare coactus, ſe patrē miſſum eſſe facturum, quamuis nullo iure cogi poſſet, tamen à cauſa deſtiterit, Manliumque miſſum fecerit [a]. Itaque pulchre Ferrandus Diaconus, ad Rheginum ducem, de officio pij & veri Chriſtiani ducis militum ſcribens, cenſet hoſtē, vtcunque antiquum, & reip. infeſtum, non eſſe falſa iuratione fallendum: etiam ſi vita eius impediat, mors proſit paci. humanis enim diuina ſemper ſunt præponenda, &, vt Petrus Apoſtolorū princeps dicebat, Deo magis ſeruiendum eſt, quàm hominibus [b]. Quare cum quibuſcunque bella ſuſcepta ſunt, vt idem Ferrandus ait, aut nulla fide data, bello aut pace facta, inuiolata fide iuriſiurandi reſp. ſeruanda vel adiuuanda eſt. quid enim proderit eum vincere, quem diabolus vicit, vt victoriæ ſpe falſum iuraret? Propterea Pſalmiſta [c], dum canit: Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requieſcet in monte ſancto tuo? reſpondet ſibi ipſi ex perſona Dei, talibus verbis: Qui loquitur veritatem in corde ſuo, qui non egit dolum in lingua ſua, nec fecit proximo ſuo malū, & opprobriū non accepit aduerſus proximū: qui iurat proximo ſuo & non decipit. ille autē, vt idē Diaconus ait, iurat proximo ſuo, & nō decipit, qui, quodcunque iurat lingua, implet opere. ne-

a *Cicero offic. lib. 3. Liuius libro 7.*

b *Actor. 5.*

c *Pſalm. 14.*

re, neque exiſtimet quis, hoſtem, cui iurat, non debere proximum deputari. propter hoc enim iuratur, vt proximus deputetur: &, per fœdus pacis, ex hoſte fit amicus. Maximum itaque nefas eſt, falſum iurare, &, ſi altiùs conſideres, maximè inutile, & damnoſum imperatori, vel duci exercitus. nam præcipuum diſciplinæ militaris vinculum eſt ſacramenti religio: quæ ſi, exemplo ducis, leuis æſtimari incipiat, tam apud hoſtes, quàm apud milites, omnia miſceri perturbarique neceſſe eſt. neque etiam imperator fide data ab hoſte tutus erit, neq; ſuos fidos habebit. Quidquid proinde, iuramento intercedente, adhibita inuocatione nominis Dei confirmatur, (ſiue inimico gratia, ſiue reo venia, ſiuè militibus, re bene geſta, præmia promittantur) nullius vtilitatis cõſideratione, nullius periculi formidine, debet fieri irritum: ſed fixus & immutabilis ſit ſermo, cuius fidei teſtis ſit adhibitus Deus. Ca-
4 uendum * præterea, ne latebra quęratur periurio, & calumnia quadam, & nimis callida & malitioſa iuris interpretatione, iuriſiurandi fidem violemus: vt ille, qui, cùm triginta dierum pactæ eſſent induciæ, noctu populabatur agros[a]: vt Q. Fabius Labeo, quem nonnulli tradunt, cùm Antiocho prælio victo, ex fœdere dimidiam partem nauium acci-

a *Cicero offic. libro 1.*

pere deberet, omnes medias ſecuiſſe, vt
regem tota claſſe priuaret [a]: & vt vnus
ex decem, quos poſt Cannenſem cladem
iuratos ad ſenatum miſit Annibal, in ca-
ſtra redituros, niſi de redimẽdis captiuis
impetraſſent; qui, cùm paulò pòſt, quàm
egreſſus erat e caſtris, redijſſet, Romæ
manſit. reditu enim in caſtra liberatum
ſe eſſe iureiurando interpretabatur: non
rectè. fraus enim diſtringit, vt inquit
Cicero, non diſſoluit periurium. itaque
decreuit ſenatus, vt ille veterator, & cal-
lidus, vinctus ad Annibalem deducere-
tur [b]. & huc referri poſſe videtur reſpon-
ſum Cenſorini, ſi Appiano credimus [c]:
qui legatis Carthaginienſium (qui que-
rebantur, quòd cõtra fidem ipſis datam,
obſidibus traditis, atq; omnibus armis,
adhuc Carthaginem delere vellet) re-
ſpondit, per Carthaginem, quam liberã
fore promiſerant Romani, Carthagi-
nienſes intelligi, non vrbem & ſolum.
Neque verum* eſt id quod nonnulli ar- 5
bitrantur, obſidibus datis, quẽpiam à fi-
de data liberari. qua ratione Bodinus [d]
Franciſcum Gallorum regem religione
fœderis Madriciani, filijs obſidibus da-
tis, ſolutum fuiſſe contendit: exemplo
pacis Caudinæ, quam ideo irritã factam
aſſerit, quòd obſides dati eſſent; idque
contra fidem hiſtoriæ. nam ipſe Poſtu-
mus conſ. pacis auctor, ſententiam ro-
gatus,

a *Val. Max. lib.7.cap.3.*

b *Cicero offic. libro 3. Liuius libro 22.*

c *de bello Punico.*

d *de republ.l.1. cap.8.*

gatus, ideo dixit populum Romanum ſponſione, quam ipſe cum Samnitibus fecerat, non teneri, quòd iniuſſu populi facta eſſet: ſic enim ait: Neque ego infi- cias eo, P.C., tam ſponſiones, quàm fœdera ſancta eſſe, apud eos homines, apud quos iuxta diuinas religiones fides humana colitur: ſed iniuſſu populi nego quicquam ſanciri poſſe, quod populum teneat. ſe tamen ſeu turpi ſeu neceſſaria ſponſione aſtrictum affirmauit. ideoque quo populus religione liberaretur, & pax Samnitum repudiaretur, vt ipſe cum reliquis pacis auctoribus dederetur, ſuaſor & auctor fuit. cùm equites D.C. obſides dari eſſent, qui capite luerent, ſi pacto non ſtaretur [a]. obſides enim, quemadmodum fideiuſſores, & pignora, principali obligationi accedūt, quo diligentiùs cautum ſit aduerſario [b]. & tantum abeſt vt principalem obligationem tollant, vt ſine ea conſiſtere nequeant [c]. non enim magis poſsibile eſt, acceſſorium ſine principali eſſe, quàm accidens ſine ſubiecto, in quo eſt [d]. Debuit itaque Franciſcus, ſi nón publica, quoad ea fortè, in quibus populi & ordinum conſenſus requirebatur, ſaltem ſua liberata fide, potiùs in carcerem redire, quàm fidem datā fallere; exemplo Poſtumi, Mancini, Reguli, & aliorum: eoque magis, quòd princeps, cui popu-

a *Liuius l. 9. Cicero off. l. 3.*

b *inſtitut. de fideiuſ. in pr. l. 1. §. verbis. D. de oblig. & action.*

c *l. fideiuſſores obligari. in prin. D. de fideiuſſ. l. is qui promittit. D. de pign. Alciat. de ſing. cert. cap. 44.*

d *l. cùm principalis. D. de reg. iur. l. 1. D. com. pred.*

lus omne imperium in ſe poteſtatemq́;
conceſsit [a], rectè de negotijs ad remp.
ſpectantibus paciſcatur, ſiue pacem, ſiue
quamcunque conuentionem cum hoſti-
bus faciat [b]. Rectiùs itaque Ioãnes Gal-
lorũ rex, in prælio ab Anglis captus, &
fide de reuertẽdo data dimiſſus, ſi minùs
pacta implerentur; cùm omnia præſtare
non poſſet, quæ conuenerãt, ad hoſtem
redire maluit, quàm fidem violare, cùm
tamen & ipſe filium obſidem dediſſet [c].
Et hęc quidem, quę de fide hoſti ſeruan-
da diximus, inuiolabiliter tenenda ſunt,
ſi cum iuſto & legitimo hoſte res gera-
tur: ſin verò quis metu fortè compulſus,
ab eo qui iuſtus hoſtis * non eſt, fidem de 6
precio redemptionis ſoluendo, vel ſimi-
libus, dederit, eum non aſtringi, vt fidẽ
ſeruet, dicendum eſt [d]: ideoque ſi præ-
donibus, vt inquit Cicero [e], pactum pro
capite precium non attuleris, nulla fraus
erit; ne ſi iuratus quidem id non feceris.
pirata enim non eſt ex perduellium nu-
mero definitus, ſed communis hoſtis
omnium: cùm hoc nec fides eſſe debet,
nec iuſiurandum commune. & hinc eſt,
quòd latrones & prędones hoſtium vo-
cabulo non cõtineri dicant I. C. [f] Vnde
iura belli *, captiuitatis, & poſtliminij, 7
quæ hoſtibus tantùm conueniunt [g], non
poſſunt latronibus conuenire [h]: atque
ideo capti à piratis & latronibus, omni-
no li-

a l. 1. D. de conſtit. princ.

b l. conuentionum. D. de pact.

c Bodinus de rep. lib. 1. c. 8.

d per text. in c. peruenit. cap. ſicut & infra. de iureiur. c. ſolicitè, de reſt. ſpoliat.

e off. libro 3.

f in l. hoſtes. D. de capt. in l. hoſtes. D. de verb. ſignific.

g in l. poſtliminium, in princ. D. de captiu.

h d. l. hoſtes.

no liberi permanent [a]. Cùm itaque iure belli agere, ſibiq́ue acquirere ijs tantùm permiſſum ſit, qui iuſti ſunt hoſtes [b]: nullo iure ij qui non ſunt hoſtium numero definiti, quibus iura belli non ſunt conceſſa, de his, quę iuſtis tantùm hoſtibus acquirũtur, paciſci, aut ad paciſcendum metum inferre poterunt [c]. quare edicto prætoris, quo per metum geſta reſcinduntur, locus erit [d]. imò ipſo iure non tenebit, quicquid ex hac cauſa actũ vel promiſſum fuerit [e]: neque iuramento ſtabilietur: quia quod nullum eſt, confirmari non poteſt [f]. & nullũ vinculum continere dicitur iuramentum atroci & nefanda coactione extortum [g]. poterit tamen ad maiorẽ cautionem abſolutio peti, quę facilè concedi debet [h]. Non obſtat his quæ diximus, quòd leges prædoni actionem pignoratitiam depoſiti, & commodati, tribuant [i]. id enim verum eſt, ſi cum alio contrahat, quàm qui læſus eſt. quamuis enim prædo ſit, reſpectu eius cui rem abſtulit; tamen prædo non eſt, reſpectu eius cum quo contraxit. quoniam bona fides in contractibus æſtimanda eſt inter eos tãtùm, qui contraxerunt, nihil extrinſecus aſſumpto [k]. Porrò quod de latronibus & prædonibus diximus, idem & de rebellibus dicendũ eſt: qui iuſti hoſtes dici non poſſunt [l]. nam aliud eſt hoſtis, aliud rebellis [a].

a l. poſtliminiũ §. piratæ. D. de capt. l. qui à latronibus. D. de teſtam. l. 1. D. de leg. 3.

b d. l. hoſtes. & d. §. à piratis. cũ ſimilib.

c per tex. eleg. in c. ſicut & infrà. & cap. peruenit. 1. de iureiur. c. Abbas. de his quæ vi met. cauſ.

d d. c. Abbas. l. 1. D. quod met. cauſ. l. 1. C. cod.

e l. qui in carcerẽ. D. quod met. cauſa.

f l. non eſt dubiũ. C. de leg.

g c. peruenit. 1. c. verum. de iureiurand.

h d. c. peruenit. & d. c. ſicut & inf. de iureiur.

i l. ſi pignore. l. ſi prædo. D. de pig. act. l. 1. §. ſi prædo. l. bona fides D. depoſiti. l. ita vt ſi fur. D. cõmodat. l. nõ à iudice. D. de iud.

k l. bona fides §. incurrit. D. depoſiti.

l d. l. hoſtes.

lis [a]. & iniquum eſt, vt quis ex improbitate ſua lucrum ſentiat [b]. quãuis verum ſit, generali nomine, ex vſu loquendi, hoſtes vocari omnes, contra quos arma feruntur. His conſequens eſt, conuentiones illas *, quę per tyrannidem extor- 8
quentur, ſeruandas non eſſe. neque enim conſenſu (qui in omnibus contractibus requiritur [c].) factum videtur, quòd per vim exprimitur: ideoq́ue ex hac cauſa geſtum, nullius erit momenti [d]. Itaque tyrannorum leges non eſſe leges, docet Cicero [e]: neque legem Valeriam, quam L. Valerius Flaccus interrex à ſenatu proditus, deſtituta conſulibus ciuitate, Carbone & Mario interfectis, armis Syllæ oppreſſa repub. tulit; vt Sylla perpetuus dictator reipubl. conſtituendæ cauſa crearetur; & quæcunq; is, aut tanquam conſul, aut tanquam proconſul geſſiſſet, rata eſſent. quam omniũ legum iniquiſsimam, diſsimillimamq́ue legis eſſe, idem Cicero oſtendit [f]. Idem prorſus de illis cõuentionibus, quas iniuſtus populus, quem etiam tyrannum vocat Cicero, per rebellionem à principe ſuo extorquet; dicendum erit. & quidem ſi à pleriſque dubitatum eſt, an princeps ex contractu cum ſubditis obligetur [g]; quid de conuentionibus publicis dicendum eſt, quas ſubditi per rebellionẽ & ſummam perfidiam extorquẽt? etenim cùm rebel-

a ex. qui ſint rebell.
b l. ita Fullo. D. de furt.
c l. 2. 3. D. de oblig. & act.
d d. l. qui in carcerẽ. D. de eo quod met. cauſ. l. ſi per impreſsionem. C. de his quæ vi met. cauſ. c. cõuenior. 23. quæſt. 8.
e de legib. l. 1.
f in orat. 3. cõtra Rullum.
g Bartol. in l. prohibere. §. planè. D. quod vi. Bald. in c. 1. de nat. feu. in c. 1. ex. de probat. in l. vlt. C. de tranſ. Pan. in c. nouit. de iudic. Specul. in tit. de inſtr. edit. §. nunc videndũ. Anchor. conſil. 2. Felinus in c. 1. de probat. & alii, quos refert Bodinus de rep. libro 1. cap. 8.

rebelles eo ipſo, quòd in principem inſurgunt, fidem violēt, fruſtra ſibi ſeruari fidem poſtulant. de quo mox dicemus. tum etiam, quod fœdus ratum, quam fidem ſanctam apud eos fore ſperandum eſt, qui diuini humaniq́ue iuris violatores, per ſummum nefas & perfidiam, patriā prodere non ſunt reueriti? aut quomodo per Deum iurabunt, cuius ordinationi ipſi reſiſtunt? aut quæ conditio pacis eſſe poteſt, in qua ei, cum quo pacem facias, nihil concedi poteſt [a]? Sed & cùm iniuſti ſint hoſtes, iure belli agere non poſſunt, vt modò oſtendimus. nulla enim, vt inquit Cicero, iuſta cauſa videri poteſt aduerſus patriam arma capiendi: & per conſequens, aduerſus principem, qui eſt cōmunis omnium parens [b], quiq́ue poteſtatem, quam habet, à Deo accepit [c]. Præterea, cùm populus de rebus ad rempub. ſpectantibus ne quidem cum extraneis paciſci poſsit, quod ſoli principi conceſſum eſt [d], cui tota reſpublica commiſſa eſt [e], & penes quem eſt belli pacisque arbitrium [f]; multo minùs principem ad iniquas conditiones adigere poterit. princeps enim, cuius eſt leges dare populo, non accipere [g], cùm legibus ſolutus ſit [h], nullis legibus adſtringi poteſt à ſuis ſubditis. nemo enim, vt ait Vlpianus, ſibi ipſi imperare poteſt, & coacti & cogentis officio fungi [i]. & nulla

a Cicero Philipp. 12.
b auth. neque vir. quod ex donat. in fin.
c Paulus ad Roman. c. 13.
d l. conuentionū. D. de pac.
e l. 1. D. de cōſtit. princip.
f c. quid culpatur. 23. q. 1. c. Dominus. 23. quæſt. 2.
g l. 1. D. de cōſtit. princip.
h l. princeps. D. de legibus.
i l. ille à quo. §. tempeſtiuū. D. ad S.C. Trebell. l. pen. D. de arbit.

nulla obligatio conſiſtere poteſt, quæ à voluntate promittentis ſtatum capit [a]. eoque ſpectat, quod Canoniſtæ paſsim tradunt, Pontificem nunquam ſibi manus ligare. & hæc quidem multo magis obtinebunt, ſi princeps ex hoc cõtractu ſit læſus; qui vt minor reſtituitur [b]: & omnium maximè, ſi maieſtati principis quid detrahatur. ſummi enim principes *, queadmodum nullã regni partem 9
alienare poſſunt [c], (cuius ſunt tãtùm vſufructuarij, vel domini [d]: ſed non ſecus, quàm maritus eſt dominus dotis, quam alienare non poteſt [e]) ſic nec quidquã ex ijs, quæ maieſtati eorum cohærent, & ſunt iuris regij. itaque de facto alienata, ad ius priſtinũ reuocari debẽt, & ſucceſſores ex hoc contractu non obligãtur [f]. omnia enim illa, quę ſunt iuris regij, non ſunt in cõmercio, ſed coronæ annexa, ita vt ab ea ſeparari non poſsint [g]; neque per ipſum principẽ alienari, etiam ex certa ſententia, vel motu proprio [h]. eoq́; ſpectat, quod Caius reſpondit, ea quæ ſunt iuris diuini, vel publici, nullius in bonis eſſe [i]. neque etiam hic quicquam operabitur iuramentum. prohibitio enim alienationis, quæ eſt in rei conditione, facit,

a l. à Titio. §. nulla. D. de verb. obligat.
b l. reſp. C. qui ex cau. maior.
c Bald. in authen. hoc amplius. C. de fidei commiſ. latè Ioan. Papon. in areſt. libro 5. tit. 10.
d l. dice ancillam. C. de rei vend.
e inſtit. quib. alien. licet. in princip.
f l. peto. §. fratre. D. de legat. 2. l. omnes fundi. C. de fundi patrim. li. 11. l. 2. C. de apparit. proconſ. legat. lib. 12. l. 2. C. de fund. limit. libro 12.
g l. cùm ſeruus. al. apud Iulianum. §. conſtat. D. de leg. 1. l. vlt. D. vt in poſ. leg.
h l. l. omnes fundi. & dict. l. 2. & decidit Andr. Iſer. Luc. pen. Ioan. probat Omph. & alij, quos allegat & ſequitur Carolus Molinæus in conſuetud. Pariſien. titul. 1 gloſſ. 5. num. 23. Bartol. Iaſ. Cyn. & alij, quos citat Bodin. de rep. libro 1. cap. 10.
i in l. 1. D. de rer. diuiſ.

tit, vt ſit illicitum iuramentum poſtea præſtitum [a]. & quidem ſi illa, quæ ſunt reipubl. vel regni, neque alienari, neque longi temporis præſcriptione acquiri poſſunt [b]: quomodo illa, quæ ſunt regiæ maieſtati in ſignum ſupremæ poteſtatis reſeruata, illi auferri poterunt, cùm nec ſponte ſe abdicando princeps imperium amittat [c]? & ſi pactum, quo maritus paciſcitur, ne conueniatur in id quod facere poteſt, ſed in ſolidum, ſeruari oportere negat Vlpianus, tanquam contra bonos mores ſit; quippe contra receptam reuerētiam, quæ maritis exhibenda eſt [d]: quid de pacto, quo maieſtas principi diuino & humano iure debita læditur, dicendum eſt? in quam ſententiam multa à multis dicta ſunt [e]. & hinc eſt, quòd ſi quis priuatus vtatur titulis vel inſigniis regiis, capite plectatur, publicatis bonis [f]. & olim per legem Valeriam ſacrum eſſet cum bonis caput eius, qui regni occupandi conſilia iniiſſet [g]. Hinc quoque dicit Bodinus [h], priuilegium conceſſum à principe, vt liceat condemnatum reſtituere, aut à pœna liberare, nullius eſſe momenti: quia ſcilicet hoc dependet à maieſtate principis: cui ſoli hoc licet [i]. & Baldus [k] dicit, non poſſe

a c. vt ſuper. de reb. Eccleſ. non alien. c. intellecto. de iureiurand.

b d. l. omnes fundi. C. de fund. patr. lib. 11. & d. l. 2. C. de fund. limit. l. 12. cum ſimilib.

c l. legatus Cæſaris. D. de off. præſid.

d l. alia. §. 1. D. ſolut. mat.

e Bald. in c. 1. nu. 3. quæ ſint reg. Felin. in c. cùm nō liceat. in c. ad audientiam. de præſcript. Anton. Butr. in c. per venerabilem, qui ſint filii legit. Abbas in d. c. cùm nō liceat. quos refert & ſequitur Zoānet. de Rom. Imper.

f l. ſacri affatus. C. de diverſ. reſcript. l. 2. C. vt nemo priuatus tit. præd.

g Dion. Hal. ant. Rom. l. 5. b *de rep. l. 1. c. vlt.* i *l. 1 in fine. D. de q. l. ante damnū. in fin. l. relegati. l. ad beſtias. D. de pœn.* k *in authent. quas ſucceſſiones. num. 14. verſic. ex his apparet. C. de ſacroſ. Eccleſ.*

poſſe vllo tẽpore præſcribi iuri appellã-
a text. in cap. venientes: de iureiurand. di ad ſummũ principẽ [a]. porrò ſummum
imperiũ *, vt rectè annotauit Bodinus [b], 10
b in method. hiſtor. cap. 6. prȩcipuè verſatur in ſummis magiſtratibus creãdis, & officio cuiuſque definiendo, in legibus iubẽdis aut abrogandis, in bello indicendo ac finiendo, in extrema prouocatione ab omnibus magiſtratibus, & in poteſtate vitæ ac necis. neque enim ſi iudices ſupplicia de ſceleratis ſumunt, propterea necis ac vitȩ ius habẽt; cùm legibus obſtricti teneãtur, nec merentes morte liberare poſſint: quod ſummi imperij eſt, vbi clemẽtia contra leges locum habet. Itaq;, exactis regibus, quidam dolebant mutatum reipub. ſtatum, dicentes regem hominẽ eſſe, à quo impetres vbi ius, vbi iniuria opus ſit; eſſe gratiæ locum, & beneficio; & iraſci & ignoſcere poſſe: leges verò, rem ſurdam & inexorabilem eſſe; nihil laxamenti,
c Liuius lib. 2. nihil veniæ habere [c]. & Cicero veniam pro Ligario precatus à Cæſare, Apud iudices, inquit, nunquam egi hoc mo-,, do: Ignoſcite, iudices; errauit, lapſus,, eſt; non putauit; ſi vnquam poſthac. ad,, parentem ſic agi ſolet: apud iudices,,, Non fecit, non cogitauit: falſi teſtes, fal-,, ſum crimen. Sunt itaque hæc, quæ diximus, principis propria: quæ etiam populus Romanus, apud quem ſummum imperium fuit, cùm pleraque alia ſenatui com-

committeret, ſibi reſeruauit; vt multis locis oſtendit Dion. Halic[a]. præſertim quod ad magiſtratus creandi, leges ferēdi, & bellum pacémque decernendi poteſtatem attinet. prouocationem verò, & vitæ necíſue poteſtatem, populo per legem Valeriam tributam fuiſſe cōſtat[b]. & hæc quidem, iureconſultorum opinione, ita maieſtati principis cohærent, vt cum alijs communicari non poſsint. & ſuperioribus addunt pignerandi conceſsionem, vectigalium ac tributorum, nummique percutiendi poteſtatem, & alia nonnulla. ex quibus tamen quædam etiam ijs, qui non ſunt ſummi principes, tributa videmus[c]. & de his omnibus latè Ioan. Pap[d]. Porrò Bodinus, propter
11 ea*, quę hactenus dicta ſunt, dicit nullas conuentiones minùs firmas eſſe, & plus cautionis opus habere, quàm quas faciunt ſubditi rebelles cum ſuo principe: ideoque ſuadet rebellibus, ne ipſi contrahant; ſed alius princeps extraneus, & vicinus, pro eis. at ego ſuaſerim, vt redeuntes in viam, humiliter veniá orantes, pœnitentia potiùs clementiam principis demereantur, quàm iniuſtis & iniquis pactis animum irritent. nihil enim magis pungit principem, quàm paciſci cum ſuis ſubditis rebellibus, ijſdemque fidem ſeruare. itaque Philippum, vt refert Liuius[e], vna res maximè angebat:

a *ant. Rom. lib. 2. 4. & 6.*

b *Dion. Hal. ant. Rom. l. 5. Liuius lib. 2. Val. Max. l. 4. cap. 1. Plut. in vita P. Valer. Publicolæ.*

c *Guido Papa queſt. 498.*

d *in areſt. lib. 5. tit. 1. cum aliquot ſequētib. Bodin. de rep. l. 1. c. vlt.*

e *lib. 39.*

quòd cùm leges à Romanis victo imponerentur, ſæuiendi ius in Macedones, qui in bello à ſe defecerant, ademptum erat. Cùm ergo conuentiones illæ non ſubſiſtunt, per quas maieſtas principis imminuitur: quid de ijs dicendum, per quas Diuina maieſtas læditur, (cui per homines nullo contractu, longa quantumuis longi temporis præſcriptione, derogari poteſt) in aperto eſt. itaq; Themiſtocles ad Athenienſes, & Cato ad Romanos dicebant, homines nihil quicquam eorum, quæ Diuinę Maieſtati deberentur, vſucapere poſſe; neque priuatos quicquam eorũ, quæ eſſent reipub[a]. ideoque Chius, ea quæ ſunt diuini vel publici iuris, nullius in bonis eſſe reſpondit[b]. & huc ſpectat locus ille nobilis Ambroſij[c], vbi de Valentiniano imperatore loquitur: Conuenior, inquit, à » comitibus & tribunis, vt Baſilicæ fieret » matura traditio, dicentibus, imperatorē » ſuo iure vti, eo quòd in poteſtate eius » eſſent omnia. reſpondi, ſi à me peteret » quod meum eſſet, id eſt, fundum meum, » argentum meum, ius huiuſmodi meum » non refragaturum; quanquam omnia, » quæ mea ſunt, eſſent pauperum: verùm » ea quæ diuina, imperatoris poteſtati non » eſſe ſubiecta. Ceterùm, quamuis conuētiones cum latronibus, & rebellibus, ratas non eſſe docuerimus, tamen princeps,

a *Plut. in Themiſt. & Cato Vticen.*

b *in l. 1. D. de rer. diuiſ.*

c *epiſt. 33.*

ceps, quantum poteſt, ab ijs abſtinere debet: tum quòd maieſtati principis non cõueniat, tum quòd queuis mala potiùs toleranda ſunt, quàm malo conſentien-
32 dum[a]. turpiſsimum * autem iudicauere Romani, de bello, pace, vel inducijs cum piratis, latronibus, vel rebellibus paciſci. itaque eos nunquam cum ijs, qui imperio Romano ſubiecti rebellarent, fœdere aut pactione rem compoſuiſſe legimus: quin potiùs non quieuere, antequam expugnando, aut in deditionem accipiẽdo, omnes ſubigerent, vt Latinis, Campanis, alijsq; rebellantibus factum fuiſſe legimus. ideóque Cicero[b] ſuadebat Planco, ne pacem componeret inter D. Brutum & Antonium, vocans Antonianos fœdiſsimos latrones: qui aut armis poſitis pacem petere debent; aut, ſi pugnantes eam poſtulant, victoriâ pax, non pactione, pariẽda eſt. & idem dicit[c], ignorare iura belli, & exempla maiorũ, & quid populi Romani maieſtas, quid ſenatus ſeueritas poſtularet, qui legatos ad Antonium mittendos cenſerent. non enim verbis rogãdum, ſed armis cogendum eſſe. & idem vocat hoc bellum inexpiabile, negans ideo paci locum eſſe[d]. Itaq; bello ſociali, cùm ſocij populi Romani ſperantes ſe non fore ampliùs ſubditos, ſed imperij participes, bellum pararent, & legatos Romã mitterent que-

a c. ita ne. 32. quaſt. 5.
b epiſt. 6. lib. 10.
c Philipp. 5.
d Philip. 13.

ſtum, ſe nō admitti ad ius ciuitatis, cùm tamen ipſorum operâ & auxilio longè lateque imperium extēdiſſent Romani: ad hæc ſenatus ſeuerè reſpōdit, ſē, donec reſipuiſſent, non audituros legationes eorum [a]. Hinc quoque cùm Tacfarinas, nobilis latro, eò arrogantiæ veniſſet, vt legatos ad Tiberium mitteret, ſedemq́; vltro ſibi atq; exercitui ſuo poſtularet, aut bellū inexpiabile minitaretur: Non aliàs magis, inquit Tacitus [b], ſua populiq́ue contumelia Rom. indoluiſſe Cæſarem ferunt, quàm quòd deſertor, & prędo, hoſtium more ageret. ne Spartaco quidem, poſt cōſularium exercituū clades multùm Italiam vrenti, quanquam Sertorij & Mithridatis ingētibus bellis labaret reſp.; datum, vt pacto in fidē acciperetur: nedum pulcherrimo populi Romani flagitio latro Tacfarinas pace & conceſsione redimeretur. Hæc ille. ijs tamen, qui ſe, citra pactionem, fidei imperatorum dederent, parci ſolet. itaque Fabius Max. Æmilianus, Conobæ latronum duci, qui ſe ei dedidit, pepercit [c]: & Auguſtus Crocolæ, inſigni latroni in Hiſpania, cùm magno in eius caput propoſito præmio ſeſe ſponte offerret, veniam dedit, & præmium exigenti numerari iuſsit. ne ſcilicet, ſi eum ſupplicio affeciſſet, videretur voluiſſe fruſtrari promiſſo præmio, vel decepiſſe fiducia

a *Appian. de bel. ciuil. lib. 1.*

b *Ann. lib. 3.*

c *Appian. de bello Hiſp.*

iuris publici[a]. Porrò non ſolùm ſi cum
13 rebellibus, vel latronibus*, & ijs qui hoſtium numero non ſunt definiti, res ſit, ſed & ſi cũ hoſtibus, & ijs qui iuſto bello nobiſcum contendunt, agatur, non ſemper fidem ſeruare cõuenit: & in primis, ſi quis iurauerit, humana fortè infirmi-
14 tate* lapſus, ſe facturum id, quod Deum, per quem iurauit, poſſit offendere, non faciet quod iurauit. nam iuramentum non debet eſſe vinculum iniquitatis[b]: & in malis promiſſis fidem ſeruari non expedit[c]. neque obligatur quiſquam ex iuramento contra bonos mores præſtito[d]. ſed & qui rem illicitam facit, quia iurauit, accumulat peccata peccatis[e]. Eſt itaque contra officium nonnunquam, vt inquit D. Ambroſius[f], fidem ſeruare. quod & Cicero ſenſit[g], & Seneca in Hercule Oetæo, cùm ait:

Præſtare fateor poſſe me tacitam fidem,
Si ſcelere careat: interim ſcelus eſt fides.

Nam, vt inquit D. Auguſtinus, ſi ad peccatum admittendum fides exhibeatur, mirũ eſt ſi fides appellatur[h]. vnde longè iuſtiùs fecit Dauid, quòd non ſtetit iuramento de perdendo Nabal, quàm Herodes, qui propter iuſiurandum occidit virum ſanctiſsimum[i]. Meritò quoque Cicero[k] Agamemnonis factum reprehendit: qui cùm deuouiſſet Dianę quod in ſuo regno pulcherrimum natum eſ-

a *Dion. l. 56.*
b *c. inter cetera. 22. q. 4.*
c *c. in malis. de reg. iur.*
d *c. nõ eſt obligatorium. de reg. iur.*
e *c. duo mala. 13. c. mulier. 22. quæſt. 4.*
f *offic. lib. 1.*
g *offic. lib. 3.*
h *c. ſi ad peccatũ. 22. q. 4.*
i *c. eſt etiam. c. quod Dauid. c. iurauit. 22. quæſt. 4.*
k *offic. lib. 3.*

ſet, Iphigeniam immolauit. promiſſum
enim, vt idem ait, potiùs non faciẽdum,
quàm tam tetrum facinus admittendum
fuit. qua ratione etiam facinus Gedeo-
nis non probatur ſuperiori ſimile, qui, vt
votum ſolueret, Iephte filiã immolauit.
Illicitæ itaque rei iuſiurandum ſeruari
non debet, & pœna periurij, ſi qua eſt, in
eum conuertenda eſt, qui exegit [a]: idque
verum eſt, etſi tantùm agatur de peccato
veniali [b]. His conſequens eſt, quòd fides
data à priuato* in præiudicium reipub. 15
vel Eccleſiæ, non ſit ſeruanda [c]. quod ve-
rum eſt, ſi principaliter de eius præiudi-
cio agatur [d]: quia propinqua cauſa inſpi-
ci debet, non remota [e]. Itaque Themi-
ſtocles in exiliũ miſſus, cùm ad Xerxem
ſe contuliſſet, eique promiſiſſet ſe Athe-
nienſibus bellũ illaturum, & à rege mo-
neretur vt promiſſa ſeruaret; quamuis
graui iniuria affectus à ciuibus, & huma-
niſsimè exceptus à rege, tamẽ honeſtiùs
ſibi vitæ finem imponere ratus, quàm
patriæ bellum inferre, epoto veneno,
mortẽ ſibi conſciuit [f]. ſuntque præclara
in hanc rem C. Claudij verba, dum hor-
tatur App. Claudiũ, & reliquos decem-
uiros, vt tyrannidem deponerent: non
debere eos mouere, inquiẽs, ſi quas fortè
pactiones arcanas inter ſe feciſſent, fidẽ-
que

a authent. de eis. C. de nupt. facit l. reprehendenda. C. de inſtitut. & ſubſtitut.

b Gloſſ. in c. ſi aliquid. 22. q. 4. Felin. in c. ſi verò. de iureiur. Rolãd. à Val. con. 58. n. 18. Alc. ad l. pacta quæ contra. C. de pact. num. 52.

c l. iuriſgentium. §. ſi paciſcar. §. generaliter. l. ius publicum. D. de pact. l. vlt. D. de his qui ſatiſ. cogant. Gloſſ. & DD. in l. conuentionum. D. de pactis in c. licet mulier de iureiur. in 6. Bart. in l. vlt. C. quando lic. ſine iud. Alc. l. de ſing. cer. c. 44. tex. c. ſicut noſtrũ. de iureiur. in c. 1. de iureiur. in 6. reg. Hiſp. l. vlt. tit. 28. p. 2.

d l. Iuriſgentium. & ibi DD. de pact. c. quamuis. de pact. in 6.

e l. ſi mulier. D. de reb. amot.

f Plut. in Themiſt.

que dediſſent, ſponſores facientes deos; docens has conuentiones ſeruatas impias eſſe, vt aduerſum ciues & patriam; ſolutas verò, pias fore. quòd dij nō gaudent, ſe adhiberi ad rem turpem & iniuſtam [a]. Qua de cauſa etiam Vlpianus reſpondit, maleficij & rerum inhoneſtarũ nullam ſocietatē eſſe [b]. Itaque non ſeruare fidem quandoque iuſtũ eſſe docet Cic [c]. veluti non reddere gladiũ depoſitũ furioſo, vel hoſti patriæ. omnia enim
15 quæ agimus, referri debent ad fundamenta iuſtitiæ: primùm, vt ne cui noceatur: deinde, vt communi vtilitati ſeruiatur. vnde etiam iuriſiurãdi temeritatem reprehendunt poëtę in Phaëtontis fabula; & ſatius fuiſſe docēt, iuſiurandum violaſſe, quàm iuueni imperito ſolis habenas, totius mundi malo, permiſiſſe [d]. & huc facit, quod Paulus ait, ſi pactum conuentum à rę priuata remotũ ſit, non eſſe ſeruandum [e]; & Vlpianus [f], quòd generaliter, quoties pactum à iure communi remotum eſt, ſeruari non debet, etiam iuratũ. nam maior eſt auctoritas iuris, quàm iuramenti. itaque iuſiurandum contra vim legum, & auctoritatem iuris, nullius eſt momenti [g]. & hinc eſt, quòd in quolibet iuramento cenſetur excepta ſuperioris auctoritas, quoad ea quæ ad ſuperioris poteſtatem ſpectant: qui per iuſiurandum derogari non poteſt.

a *Dion. Hal. ant. Rom. l. 11.*

b *in l. quod autem. l. nec prætermittendũ. D. pro ſoc.*

c *offic. lib. 1.*

d *Ouidius metam. 2.*

e *in l. ſi vnus §. pacta. D. de pact.*

f *in l. iuriſgẽtium. §. generaliter. D. de pact.*

g *l. ſi quis inquilinos. §. vltim. D. de legat. 1. l. adigere. §. vlt. D. de iure patron. l. non dubium. C. de legib.*

ſteſt[a].non enim poteſt quis paciſci de ijs, quæ non ſunt ſui arbitrij. qua ratione Gonſaluus, prorex Neapoli, comitem Valentinum, quem in ſuam fidem acceperat, poſtea ex mādato regis Ferdinandi, ſine vlla perfidiæ nota, in carcerem coniecit[b].hinc quoque ei, qui iurauit ſe ordini non interfuturum, gratiam ſe iuriſiurandi facere, imperatores Seuerus & Antoninus reſcripſerunt[c]. imò ſi iuſiurandum ſit contra remp., ipſo iure remiſſum cenſetur:ex eo quod Paulus ait, lege Iulia remitti iuſiurandum de non contrahendis nuptijs[d]. fuit enim apud Romanos conditio, vel promiſsio, de non contrahendis nuptijs, tam odioſa, vt à teſtamētis alijsque actibus omnino remoueretur, & pro non adiecta haberetur[e].Licebit itaque, priuata fide contempta, publicæ ſecuritatis curā gerere. apud ſapientes enim, inquit Cornelius Tacitus, caſſa habentur, quę neque dari neque accipi ſalua rep. poſſunt.in quam ſententiam exſtāt egregia verba Poſtumij, quibus oſtendit populum Roman. non teneri ſponſione, quam cum Samnitibus fecerat, contranitentibus L. Liuio, & Q. Melio, Trib. pleb., qui & ipſi auctores pacis Caudinæ fuerant: &, ne hoſtibus dederentur, perſuadere conabantur, populum Rom. religione aſtrictum eſſe[f]. Ceterùm longe tutius* & 16
lau-

a c. conſtitutus. & ibi Felin. de reſcrip c. veniens. de iuretur.

b Bodinus de rep. lib. 1. c. 8.

c in l. vlt. D. de adminic.

d in l. adigere. §. vlt. D. de iur. patron.

e l. 2. C. de ind. vind. tol. l. ſed etſi hoc. §. vlt. cum l. ſeq. l. mulieri & Titio. D. de cōd. & demōſt.

f Liuius l. 9.

laudabilius erit, vt quis nõ permittat ſe vllius periculi metu ad fidem dãdam de re illicita impelli, quàm datam fallere. nam iurans ſe factur ũ rem illicitam, ipſo facto eſt periurus[a]: & quoduis malum potiùs tolerandum eſt, quàm malo conſentiendum[b]. quo nomine conſtantiam Pontij, Cęſariani militis, meritò laudes: qui pro Cęſaris partibus excubãs, à Scipionis pręſidio interceptus, cũ vno modo ſalus ei daretur, ſi ſe futurũ Cn. Põpeij militẽ affirmaſſet; ita reſpõdere non dubitauit: Tibi quidẽ, Scipio, gratias ago; ſed mihi vti iſta conditione vitę non eſt opus. Pari fiducia C. Meuius, cẽturio Auguſti, cùm Antoniano bello ſępenumero excellentes pugnas edidiſset, improuiſis hoſtium inſidijs circumuentus, & ad Antonium Alexãdriam perductus, interrogatusq́ue quidnam de eo ſtatui deberet: Iube me, inquit, iugulari: quia nec ſalutis beneficio, nec mortis ſupplicio adduci poſsum, vt Cæſaris miles eſse deſinã, & tuus eſse incipiam. ſed quo conſtantiùs vitam contẽpſit, eo faciliùs impetrauit. Antonius enim virtuti eius incolumitatem conceſsit[c]. &, ne ſingulos referam, vniuerſa Sagũtus, Hiſpaniæ ciuitas opulẽta, magnum, licet triſte, fidei erga Romanos monumentum, cùm poſt continuam obſidionem ſe diutius ab Annibale tueri non poſſet, neque Romani o-

a *c. ſicut noſtra. de iureiur. gloſſ. in c. 1. de iureiurãd. in 6.*

b *c. ita ne. 23. queſt. 5.*

c *Val. Max. lib. 3. cap. 8.*

pem ferrent; ſpretis conditionibus pacis minùs honeſtis, ſe ſuaque omnia in rogum coniecit potiùs, quàm à Romanis, cum quibus fœdus inierat, deficeret [a]. Denique hoſti fidem fallenti *, fides ſer- 17 uanda non eſt, etiam iurata [b]: & tam publicæ conuentionis, quàm priuatæ [c]: ſecundùm illud:

Fallere fallentem, fraudemq́, repellere fraude,
Exemplóq́, licet ludere quemque ſuo.

Generalis enim lex eſt omniũ conuentionum, vt nemo illis ſtare teneatur, niſi ex aduerſo, quæ conuenerunt, præſtentur [d]. nam fruſtra quis fidem ab eo præſtari poſtulat, cui fidem datam ſeruare recuſat [e]. atque dolo facit, qui id iuris in aduerſarium valere poſtulat, quod in ſe non admittit: contra quem edicto prætoris cautum eſt, vt quod quiſque iuris in alium ſtatuit, ipſe eo vtatur. neque dicendus eſt quis ex hac cauſa fidẽ violare; ſed potiùs ex noua eademq; iuſtiſsima cauſa, nempe ruptæ fidei, iure belli agere cum hoſtibus, diuini humaniq́ue iuris contemptoribus. qua de cauſa Romani cum Sabinis, Latinis, Priuernatibus, Volſcis, Hernicis, Apulis, Samnitibus, Hetruſcis, Æquis, Carthaginienſibus, alijsque quamplurimis, ruptis fœderibus bella geſſere: & ſenatus prædam Epiri ciuitatum, quæ rupto fœdere ad Perſea defecerant, muris earũ dirutis, exercitui dedit [a].

a *Liuius lib. 21. Val. Max. lib. 6. cap. 6. L. Florus lib. 2. cap. 6.*

b *c. peruenit. 2. c. ſicut & infrà. de iure-iur. l. qui fidẽ. D. de tranſ. l. Iulianus. §. offerri. D. de act. empt. l. ſi inſtituta. D. de inoff. teſt. l. cùm proponas. 2. C. de pact. l. cùm proponas. l. ſi diuerſa. C. de tranſ.*

c *per text. e-leg. in c. ſicut & infrà. §. vlt. de iureiur. gloſſ. in l. qui fidem. D. de pact.*

d *d. l. cùm proponas. 2. C. de pact.*

e *c. fruſtra. de reg. iur. l. cùm pater. §. liberis. D. de leg. 2.*

dedit [a]. iuramentum enim non extenditur ad ea, quæ poſtea accidunt: & noua cauſa ſuperueniente, poteſt quis nō implere quod iurauit [b]. Quò ſpectat, quod Cicero [c] docet: Tempore nonnunquam commutari officium; ita vt non ſeruare fidem, quandoque iuſtum ſit: veluti non reddere gladium depoſitum furioſo, vel hoſti patriæ. & in omni quoque iuramento intelligitur hæc conditio, Si mihi ſeruata fides fuerit [d]: vel niſi per aduerſarium ſteterit, quo minùs pacta ſeruentur [e]. nam cùm hoc fit, cenſetur interuenire tacita pacti remiſsio [f]: & is qui prior contrauenit, ſolus fidem fregiſſe cenſetur [g]; ita vt ſequentis factū ad violationem referri nequeat [h]. Quò ſpectat contentio illa Romuli cum Cluilio Albanorum dictatore, vter ſcilicet prior conditionibus fœderis non ſtetiſſet; eum enim ſolum fœderis violati reum eſſe [i]. vnde priorem quoque belli cauſam manere dicendū eſt. nam ſi in eo fides violetur, cuius contemplatione contractus initus eſt, corruit conuentio, & omnia in priſtinum ſtatū redeunt [k]. Itaque Vlpianus ait, non teneri actione pro ſocio, qui ideo ſocietati renunciauit, quia conditio quædam, qua ſocietas erat coita, ei non

a *Liu. lib. 35.*
b *cap. ad noſtram. 2. cap. quemadmodū. c. clericus. de iureiur. c. cum inter. P. de re. l. 1. §. ſed videndū eſt. D. de ſucceſſ. edict. l. cum Aquiliana. l. qui cum tutoribus. D. de tra ſ. l. tres fratres. D. de pact. l. ſi de certa. C. de tranſ.*
c *offic. lib. 1.*
d *c. peruenit. 2. c. quemadmodū. c. ſicut & infrà. §. vlt. de iureiuran. l. quæro. §. inter. D. loca.*
e *l. cùm proponas. C. de non fœn.*
f *c. conſtitutus. de pœn.*
g *l. aut facta. §. 1. & ibi Bart. de pœn.*
h *l. nam etſi ſub cōditione. D. de iniuſt. rup. irrit. fac. teſt. l. cùm pater. §. libertus. D. de leg. 2.*
i *Dion. Hal. ant. Rom. lib. 3.*
k *l. cùm te. C. de pact. inter empt. & vend. l. cùm proponas. C. de pac. l. & eleganter. D. de dolo.*

non præſtatur [a]. & idem integram dicit manere inofficioſi teſtamenti cauſam, ſi fides ab herede tranſactioni non præſtatur [b]. reciprocatio enim obligationis, vtrinque vinculum injicit, & ita quidem, vt alter ex ſua parte non teneatur, ſi ex aduerſo, illi quod conuenit, non præſtatur. idque verum eſt, ſiue conuentioni pœna ſit adiecta, ſiue non: neque pœna debetur [c]; & etiam ſi neceſſaria cauſa impeditus aduerſarius fidem non ſeruet [d]. quamuis enim impedimentum à mora ſeu pœna excuſet [e]: ad producendam tamen actionē ſatis momenti non habet [f]. idem erit, ſi vel in minima re fidem ſeruare neglexerit [g]. niſi tamen tam leuis momēti res ſit, vt non ſit veriſimile, eius vtrinq; magnā rationem habitam fuiſſe [h]. In tantum quoque ex parte ſua quiſque ad fidei datæ obſeruationē tenetur, vt, etiam ſi ipſa promiſsionis cauſa ceſſaret, nihilominus duret hæc obligatio [i]. Quòd ſi non conſtet, vter prior fidem datam violauerit, mutua compēſatione vterque à pœna contractus abſoluendus eſt [k]. ſolet enim dici, inter paria delicta compenſationi locum eſſe [l]. vnde receptum eſt, licere litigatori malitiā aduerſarij ſui malitiâ repellere [m], & cornicum oculos, quod aiunt, configere. quod intelli-

a *l. ſi conuenerit. D. pro ſocio.*
b *in l. ſi inſtituta. in princ. D. de inoff. teſtam.*
c *d. l. quærc. §. inter. D. locat.*
d *Alciat. ad l. cùm proponas. num. 13. C. de pact.*
e *l. ſi vehenda. §. idē iuris. D. ad l. Rhodiam.*
f *l. ſi vno. §. item cùm quidā. D. locati.*
g *Alexād. ad l. penult. C. de his quibus vt indig. Corn. cōſil. 246. lib. 3. Alc. conſil. 167. Bald. ad l. pacta conuenta. D. de contr. empt. Tiraq. lib. de iud. in rebus exig. ferend.*
h *l. 1 §. proinde. D. de ædil. edict.*
i *l. vlt. §. vlt. D. de reſcind. vend.*
k *c. conſtitutus. de pœn.*
l *l. viro. D. ſolut. matrim.*
m *gloſſ. in c. cupiētes, verſ. malignantiū, de elect. in 6.*

telligẽdum eſt, dum tamen bonam cauſam habeat [a], & fraudẽ non vtatur, quæ in criminis notam tráſeat: quale eſt falſum ſtellionatus, & id genus ſimile [b]. Et hæc quidem pleriſque probantur in pacto pacis vel fœderis, non etiam induciarum*, quas inuiolabiliter ſeruandas eſſe,
18 etiam hoſte fidem earum fallente, cenſent [c]. quorum ſententiam vt ſaniorem, & æquiorẽ, amplexos fuiſſe cameræ imperialis aſſeſſores, refert Mynſingerus, & addit rationẽ diuerſitatis, qua etiam ceteri innituntur: quòd ſcilicet finito induciarum tempore, quis ſe vlciſci poſſit. quæ certè ratio neque ſatis idonea, præſertim in bello: (vbi, vt inquit Liuius, ſi in occaſionis momẽto, cuius prę teruolat opportunitas, cũctatus paululũ fueris, nequicquam mox omiſſum queraris) neque etiam iure probata videtur. cùm enim inter pacem & inducias hoc tantùm interſit, quòd illa perpetua ſit, hæ verò ad tempus [d]; & tempus obligationem neque augeat, neque minuat [e]: quemadmodum pax alterutro fidẽ fallẽte corruit, ità & inducias diſſolui conſequens videtur: cùm vtrobique eadem ſubſit ratio, nempe ruptę fidei [f]; & nemo ex ſuo doló, vel delicto lucrari, aut alijs nocere debeat [g]. eſtque in hanc rem, niſi fallor,

a c. Domin ius 23. q. 23.
b But. in c. 3. de reg. iur. Alciat. in l. cùm proponas. C. de tráſact.
c Vinc. ioan. Andr. Ant. de Butr. Card. Angel. Caſt. Felin. Iaſ. Alciat. Laud. & duo Socyni, quos allegat Petrin. Bel. de re milit. par. 5. tit. 3. & Mynſin. cent. 4. obſer. 7. & Dec. 3. conſil. 21.
d l. poſtlimi-nium. §. induciæ. D. de captiu. Gell. lib. 1. cap. 25.
e l. obligationum ferè. §. placet. D. de act. & oblig. l. qui Romæ. §. Callimachus. D. de verbor. oblig.
f c. nouit. de iud. c. ille nouit. c. vlt. de treu. & pact.
g l. dolum. C. de per. & comm rei vend. l. nẽ fraudantur. §. nemo. D. de regul. iur. l. 3. §. 1. D. de donat. inter virum & vxorem.

fallor, elegans reſponſum Pauli[a]: qui, cùm proponeretur inter locatoré fundi & conductoré conueniſſe, ne intra tempora locationis conductor expelleretur, adiecta pœna; nihilominus tamē, ſi conductor biennij continui penſionem non ſolueret, ſine metu pœnæ eum expelli poſſe reſpondit, etiam ſi nihil de ſolutione penſionum in ſtipulatione pœnali expreſſum eſſet. quibus certè argumētis moueor, vt potiùs inclinem in ſententiā eorum, qui exiſtimauerunt idem iuris eſſe in iudicijs, quod in pace vel fœdere[b]. præſertim cùm induciæ*etiam longi 19
temporis eſſe poſsint[c]. legimus enim Veientibus à Romulo in centum, & à Seruio Tullio in xl. & in totidem annos L. Furio & C. Manlio conſull. inducias datas fuiſſe[d]. & cum populo Cæriti in cētum annos inducias factas fuiſſe proditū eſt[e]. Volſinienſibus verò bello feſſis in viginti annos induciæ datæ ſunt[f]. Tarquinienſes, metu compulſi, à Decio conſ. in xl. annos inducias petiere[g]. Æqui octo annorum inducias impetrauerunt[h]. Hetruriȩ capita, Volſinij, Peruſia, & Aretium, cùm pacem peterent, inducias in xl. annos obtinuerunt[i]. vnde legimus quoque violationem induciarum ȩquè vt fœderis, Romanis, qui iura belli religioſiſsimè ſemper conſeruarūt, cauſam belli fuiſſe. atque ita cum Samnitibus,

a in l. quæro. §. inter. D. locati.

b Pan. Imol. Alex. Decius. Alciat. Bell. Cor. quos citat Mynſingerus, cent. 4. obſer. 7. Petr. Bell. de re milit. par. 5. tit. 3.

c Gell. lib. 1. cap. 25.

d Liuius lib. 1. & 2.

e Liuius l. 7.

f Liuius l. 5.

g Liuius l. 9.

h Liuius l. 4.

i Liuius l. 11.

bus, quibus biennij induciæ datæ fuere, eodem anno, ruptis inducijs, bellatum eſt[a]. & contra Hetruſcos, qui, pacem fœdusque à Romanis petentes, inducias in triginta annos impetrauerât, paulo pòſt induciarum fide violata rebellantes, feliciter res geſta eſt: & eodẽ anno, inquit Liuius[b], cum reliquis Hetruſcorum ad Peruſiam, quę & ipſa induciarum fidem ruperat, Fabius conſ. nec dubia nec difficili victoria dimicauit, & ipſum oppidum (nam ad mœnia victor acceſsit) cepiſſet, ni legati dedentes vrbem exiſſent. & idem Liuius alio loco[c] refert, Hetruſcis (quòd cùm pax negata, & induciæ biennij datæ eſſent, aduerſus inducias pararent bellum) à Romanis bellum illatum fuiſſe. his accedit, quòd maior ſolet eſſe religio fœderis, vbi precatione res tranſigebatur, quàm induciarum, alteriúſue ſponſionis: ideoque iniuſſu populi, nec ſine fecialibus, cærimoniaque alia ſolemni, fœdus fieri non poterat[d]. inducias verò, aliasque ſponſiones, ſine fecialibus, alijsque ſolemnitatibus, ſæpe à belli ducibus iniuſſu populi factas fuiſſe legimus; vt proximo capite latiùs oſtendimus. atqui nihil quicquam ſacroſanctum eſſe potuit, inquit Cicero, niſi quod plebs populúſque ſanxiſſet, & quod aut genere ipſo, aut obteſtatione legis, aut pœnę, cùm caput eius, qui contrà

a *Liuius l. 9.*

b *lib. 9.*

c *lib. 11.*

d *Liuius l. 9.*

[a] in orat. pro l. Corn. l. al.

trà facit, conſecratur, ſacratum eſſet[a]: cùm itaque fœdus, quod ſanctius eſt, altero fallente rumpatur; multò magis induciæ. Non tamen improbandi ſunt ij, qui induciarũ tempore, quamuis iniuria prouocati, ab omni vindicta abſtinent; maximè ſi de leui & exigui tẽporis præiudicio agatur, vt omne violatæ fidei dedecus ſit penes hoſtẽ: ſed id vſu & conſuetudine potiùs receptum, quàm iure probatum, aſſerit Alexand[b]. cui conuenire videtur, quòd Scipio, quamuis non modò induciarũ fides rupta eſſet à Carthaginienſibus, ſed etiam ius gentiũ in legatis ſuis violatum, tamẽ ſe nihil nec inſtitutis populi Romani, nec ſuis moribus indignum facturum dicens, legatos hoſtium, qui eodem tempore Romæ ad eum venerant, inuiolatos dimiſit[c]. quo nomine Scipio maximam laudem meruit: licet, ſi verè iudicare volumus, nullo non iure legatis Carthaginienſiũ parcere debuit, vt maximè duplici ſcelere, vt refert Liuius, omnino ruptæ eſſent induciæ. ea enim de cauſa Scipioni ad bellum redire, quod fecit, ſine vlla perfidiæ nota licuit; non autem hoſtium legatos lædere, qui citra vllam pacis vel induciarum cõuentionem, etiam in ipſo ardore belli, ſunt inuiolabiles, & ſancti, iure gẽtium[d]. neque refert, quòd hoſtes priùs inducias fregerint, & legatos hoſtium

[b] ad l. cùm proponas. C. de pact.

[c] Liuius l. 30.

[d] l. vlt. D. de legationibus.

ſtium violauerint. nam, quod diximus
20 fidem frangenti * non eſſe fidem ſeruan-
dam, ad vnam eandemque conuentio-
nem referẽdum eſt, cuius fides rupta eſt:
& ad ea quæ vna eademque ſponſione
comprehenſa ſunt [a]: & in promiſsioni-
bus, quarum altera alterius cauſa facta
eſt [b]. connexorum enim vnum idemque
eſt iudiciũ [c]. ſecus verò eſt in ſeparatis [d].
vnde ſi quis in vnam legẽ committit, al-
terius legis beneficio non exuitur: &
heres in primis tabulis inſtitutus, & in
ſecundis ſubſtitutus, poteſt, repudiata
hereditate ex primis tabulis, adire ex ſe-
21 cundis hereditatem [e]. Quare in bello *,
etiam ſi cum perfido & fœdifrago hoſte
res ſit, & qui ſemel, iterũ, & ſæpius fidẽ
fefellit, vicisſim fidem fallere non licet:
niſi per hoſtem ſtet, quo minùs conuen-
torum fides ſeruetur, vt ſuperiùs oſten-
dimus: alioqui verò perfidiam perfidia
vlciſci ſemper turpiſsimum fuit. quo no-
mine Lucullus malè audiuit, qui Luſi-
tanos, ruptis fœderibus bella gerentes,
contra iuriſiurandi fidem dolo circum-
uentos, per ſummam immanitatem om-
nes trucidauit; barbaros imitatus, nul-
la Romanæ dignitatis ratione habita [f].
& Ser. Galba à Libone trib. pleb. pro
roſtris accuſatus fuit, quòd Luſitanorũ
magnam manum ruptis pactis rebellan-
tium, interpoſita fide, prætor in Hiſpa-

a *Alexander ad l. cùm proponas. C. de pact. l. ſi duo. & ibi Accurt. D. de dolo.*
b *Alciat. ad l. cùm proponas, num. 31.*
c *c. tranſlato. de conſtitut.*
d *l. cùm fundum. D. de vi & vi armat.*
e *l. filius. D. de vulg. & pupil.*
f *Appian. de bell. Hiſp.*

nia intereimiſſet [a]. Denique pactum *22 quoque fœderis, pacis, vel induciarum, dolo malo initum, nullius erit mométi. pacta enim conuenta dolo malo irrita, non tuetur prætor [b]: & dolus dans cauſam contractui bonæ fidei, facit contractum ipſo iure nullum [c]. quod ita verum eſt, vt tamẽ in arbitrio eius permittatur, qui deceptus eſt, velit nec ne pactis ſtari: alter verò qui dolum admiſit, audiendus non eſt [d]. nemo enim ex dolo ſuo lucrari, aut alijs nocere debet [e]: & propter malam fidem alterius contrahentiũ, poteſt contractus pendêre ex arbitrio alterius [f]. Legimus tamen in ſacris literis quòd Ioſue, licet dolo circumuentus à Gabaonitis, & deprehenſa eorum fraude, (quòd cùm finitimi eſſent, & è terra quæ à Domino Iſraëlitis promiſſa erat, aduenas ſe, & è longinqua terra eſſe, commenti eſſent, vt pacem ab Iſraëlitis impetrarent) tamen pacem, quam dederat, reuocandam non eſſe cenſuit: ne, dum alienã perfidiam redargueret, ſuam ſolueret [g]. ſed, vt inquit D. Ambroſ. [h], Veterem ibi de dolo non iuriſperitorum formulam, ſed Patriarcharũ ſententiam, ſcriptura diuina expreſsit: quæ non ad politicam neceſsitatem, ſed ad plenitudinem perfectionis Chriſtianæ pertinet. ſed & Ioſue quoque quamuis Gabaonitas liberaret de manu filiorum Iſraël, ne occi-

a Valer. Max. lib. 8. cap. 1.

b l. iuriſgentiũ. §. prætor. §. dolo malo. D. de pactis.

c l. & eleganter. D. de dolo. l. in cauſa. 2. §. 1. D. de minor.

d l. trãſactione. C. de trãſact. l. 2. D. ad S. C. Vell.

e l. dolum. C. de per. & com. rei vend. l. ſi creditoribus. C. de ſeru. pignor. d. man.

f l. qui officij. l. donum. D. de cond. empt. l. Iulianus. §. per contrariũ. D. de action. empt. l. creditor. §. Lucius D. mandat.

g Ioſue c. 9. c. innocens. 23. quæſt. 4.

h offic. lib. 3.

occiderentur; maledixit tamen eis, propter fraudem ipſorum, decreuitque vt inſeruirent cuncti populo [a]. a *Ioſue cap. 9.*

DE FOEDERIBVS ET INDVCIIS.

1 *Tria fœderum genera.*
2 *Maieſtatem comiter conſeruare, in fœderibus addi ſolitũ, quam vim habeat.*
3 *Romani nunquam cum hoſte armato fœdus facere ſoliti.*
4 *Quid inter fœdus & ſponſionem interſit.*
5 *Dux belli pacem cum hoſte, iniuſſu principis, facere non poteſt.*
6 *An dux belli, ſicut pacem, & inducias facere prohibeatur.*
7 *Princeps vtrùm vtilitatis publicæ cauſa poteſt priuatis quid detrahere.*
8 *Princeps aſtrictus legibus naturæ.*
9 *Reges quatenus ſint domini omnium.*
10 *An princeps teneatur ex fœdere icto cum principe cui ſucceſſit.*

CAP. SEPTIMVM.

QVod ad fœdera, quibus hoſti fidem obſtringimus, attinet, ſciendum eſt
1 tria * fuiſſe olim fœderũ genera, quibus integre paciſcerẽtur amicitias ciuitates, regesque; vt diſertè Menippus, Antiochi legatus, Romam de pace miſſus, T. Quintio cõſ., diſſeruit [b], vnum, cùm bel- b *Liuius l. 44.*

lo victis dicerentur leges. vbi enim omnia eij qui armis plus poſſet, dedita eſſent; quæ ex ijs habere victor, quibus multari eos vellet, ipſius ius atque arbitriũ erat. & tale fœdus fuit, quod Æneę, deſerta Troia; pacem deprecanti ab Achæis, qui eum inſequebantur, datum fuit: his conditionibus, vt Æneas & ſocij, cum ſuis rebus quas in fuga exportauerant, intra certũ tempus agro Troiano excederent, caſtellis in poteſtatem Achæorum traditis [a]: & quod Romani cum Æquis fecerũt, his legibus: Æquorum populi, ſaluis ſuis agris, Romanorũ ſubditi ſunto: Romanis nihil mittunto, præter auxilia, quoties accita fuerint, eaque ſumptu proprio [b]. Tale etiam fœdus fuit, quod Apuli à Romanis impetrarunt. non enim æquo fœdere, vt inquit Liuius [c], ſed vt in ditione populi Romani eſſent, conuenit. eiuſdem quoque generis eſt fœdus, quo Philippus ex omnibus Græcię ciuitatibus pręſidia deducere iuſſus eſt, naues & elephantes tradere, mille talentûm populo Rom. dare, extra Macedoniæ fines bellum iniuſſu Senatus gerere prohibitus [d]: & quo Antiochus, cùm omnis Aſia cis Taurum montẽ Romanis ceſſit, naues ornamentaque tradidit, duodecim millia talenta Attica in duodecim annos, penſionibus æquis, Romanis dedit [e]. Alterũ fœderum genus

a Dion. Hal. antiq. Rom. libro 1.

b Dion. Hal. antiq. Rom. libro 9.

c libro 9.

d Liuius l. 43.

e Liuius l. 48.

genus fuit, cùm pares bello, æquo fœdere in pace atque amicitia venirent, quale inter Romulum & Tatium Sabinorum regem ictum fuiſſe legimus. cùm enim iam tertiò æquo Marte, ſed maxima vtrinq; accepta clade, acie certaſſent; intercedentibus Romanorũ vxoribus, Sabini generis, (propter quas bellũ exortum erat) fœdere quàm prælio bello finem imponere potius habuerunt: conuenitq́; vt Romulus & Tatius pari poteſtate honoreque in vrbe regnarent, & vt Sabinis ius ciuitatis Romanæ daretur[a]. Solet autem in hoc fœdere de captiuis reddendis, vrbibus tradendis, & ſimilibus, æquis cōditionibus tranſigi[b]: itaq́ue inter Octauium Cæſarem, Antonium, & Pompeium conuênit, vt pace terra mariq́ue reddita, negotiatores liberè cōmeare omni loco poſſent: Pompeius ex omnibus Italiæ locis præſidia deduceret: ſeruos fugitiuos non ampliùs admitteret: Sardiniæ, Siciliæ, Corſicæq́;, & ceteris, quas tunc habebat, inſulis imperaret, & præterea Peloponneſum acciperet: Cæſar & Antonius reliqua poſſiderent[c]. & huius generis quoque eſſe videtur fœdus quo Ætolis pax data fuit à Romanis, his conditionibus: Imperium maieſtatemq́ue P. R. gens Ætolorum conſeruato, ſine dolo malo; hoſtes eoſdem habeto, quos P. R., armaq́ue in

a *Dion. Hal. ant. Rom. l. 2.*

b *l. in bello in princ. l. ſi captiuus. D. de captiu.*

c *Appian. de bell. ciuil. lib. 5.*

a *Liuius l.* 48. eos ferto, bellumque pariter gerito [a]. quamuis enim æquum fœdus iſtud dici non poteſt, tamen verum eſt, non tanquam victis leges dictas, neq; quicquam ademptum, ſed ſuis legibus liberos relictos [b]. Tertium porrò fœderum genus fuit, cùm, qui hoſtes nunquam fuerat, ad amicitiã ſociali fœdere inter ſe iungendam coibant. ij neque dicere neque accipere leges ſolent, (id enim victoris & victi erat) ſed certis cõditionibus vtrinque amicitiam & ſocietatem inibant: quale fuit fœdus, quod Latinus cum Ænea fecit, Troianis in agri partem admiſsis, pactus, vt eſſent illi in bello, quod cum Rutilo parabant, ſocij; vtq; vtrique alteros pro viribus inuicem iuuarent [c]. & huc referri poteſt fœdus, quo cum Latinis, Poſtumio Cominio & Sp. Caſſio conſſ., inſtaurata eſt amicitia. quamuis enim conſtet eos antea fuiſſe ſubditos Rom. imperio, ex Dion. Hal. [d], tamẽ propter fidelem operã, quam Romanis nauauerant, poſtea ſociali fœdere iuncti ſunt, his verbis: Romanis & Latinorum populis omnibus mutua pax eſto, dum cælum & terra ſtationem eandem obtinent: & neutri alteris bellum inferant, aut aliunde hoſtes inducant: nec bellum inferentibus iter tutũ prębeant, & bello infeſtatis opem ferãt totis viribus: prædamque & ſpolia ex æquo diuidant. Sed ijdem

b *l. non dubito. D. de capt.*

c *Dion. Hal. antiq. Rom. libro* 1.

d *libro* 3. & 4.

ijdem Latini poſtea ſæpius rebellantes,
tandem à Camillo perdomiti ſunt, & in
poteſtatem populi Romani redacti. Hu-
ius verò fœderis genus dici quoque po-
teſt, cùm prouincia vel ciuitas aliqua
tutelæ & protectioni alicuius principis
extranei ſe ſubijcit, aut regno vel rei-
publ. certis legibus accedit [a]. nã, vt Pro-
culus reſpondit [b], liber populus eſt: ſiue
æquo fœdere in amicitiã venit, ſiue fœ-
dere comprehẽſum eſt, vt is populus al-
2 terius populi maieſtatem *comiter con-
ſeruaret. hoc enim adijcitur, vt intelli-
gatur alterum populum ſuperiorẽ eſſe,
non vt intelligatur alterũ non eſſe libe-
rum. & ita quoque hanc clauſulam; ma-
ieſtatem comiter conſeruare; in fœderi-
bus adijci ſolitã interpretatur Cicero [c].
& hoc quidem tertium fœderum genus
duplex dici poteſt. aut enim initur cauſa
defenſionis tantùm; aut defenſionis &
offenſionis, vt dicunt: id eſt, tam ad ar-
cendum quàm inferendum bellum: id-
que vel contra quoſcunque, vt fœderati
eoſdem inimicos, amicoſque habeant;
vel cum quorundam exceptione. His
addi poſſunt illa fœdera, quæ tantùm
commercij cauſa ineũtur, vt liberè mer-
catores vltro citroque commeare poſ-
ſint, quæ etiã cum hoſtibus eſſe poſſunt.
fuit tamen Romanis conſtitutũ, vt nun-
quam cum hoſte armato conditionem

a *l. non dubito. DD. in l. ſi conuenerit. §. ſi nuda. D. de pig. act. Frãc. Ripa cõſil. 55. Socin. Nepos, conſil. 6. p. 1.*

b *in d. l. non dubito.*

c *in orat. pro Cor. Balbo.*

fœderis acciperent: neque cum aliquibus pacato imperio vti ſolent, niſi omnia diuina & humana tradidiſſent, & præſidiũ accepiſſent, aut denique ſocietate aut fœdere aſtricti eſſent. ſemper enim populus Romanus diligenter cauit, ne videretur hoſtiũ metu imperata facere [a]. itaque Sp. Caſsius conſ. legatis Hernicorum pacē petentibus reſpondit, priùs illis facienda, quæ victos & ſubiugatos deceret, atque ita demum petendam amicitiā [b]. & T. Largius conſ. Fidenatibus inducias petentibus, reſpondit, deponenda eſſe arma, portasque aperiendas, atque tum demũ impetraturos colloquium: alioqui nec pacem, nec inducias, nec quicquam humanum moderatumque ſperandum eis à populo Rom. [c] Sic quoque cùm Pyrrhus, Albino conſ. cum magna cæde fugato, magnis copijs aucto ſuo exercitu, admirans virtutem Romanorum, quòd nullam mentionem pacis facerent, prior, licet victor, pacem peteret æquiſsimis conditionibus, liberationem captiuorum, & auxilium ad ſubigendā Italiam populo Romano offerens; pro his nihil aliud, quàm Tarentinis ſecuritatem, ſibi amicitiam poſtulans; ex ſentētia App. Claudij Cæci, viri ampliſsimi, reſponſum eſt, vti Pyrrhus Italia excederet, tumq;, ſi è re ſua videretur, de amicitia ac ſocietate verba faceret:

a Dion. Hal. libro 8.

b Dion. Hal. ant. Rom. l. 8.

c Dion. Hal. ant. Rom. l. 5.

ceret: quoad verò in armis eſſet, populũ Romanum aduerſus eum belligeraturum, etiam ſi mille Albinos pugna ſuperaſſet [a]. Similiter Ætolis pacem petentibus, M. Fuluius conſ. reſpondit, Ætolos, niſi inermes, de pace agentes non auditurum ſe: arma illis priùs equosque omnes tradendos eſſe: deinde mille talentûm argẽti P. R. dandum [b]. Verminæ quoque Syphacis filij legatis, per quos petebat, vt rex, ſociusq;, & amicus à ſenatu appellaretur, reſponſum eſt, pacem illi priùs petendam à populo Rom. eſſe, quàm vt rex, ſociusque, & amicus appellaretur [c]. Porrò non ſemper fœdere, ſed etiam per ſponſionem nonnunquam hæ conuentiones fieri ſolent. quid autem inter hæc duo interſit *, indicant hæc T. Liuij verba [d]: Conſules profecti ad Pontium in colloquium, cùm de fœdere victor agitaret, negarunt iniuſſu populi fœdus fieri poſſe, nec ſine fecialibus, cærimoniaque alia ſolemni. itaque non vt vulgo creditur, Claudiusque ſcribit, fœdere pax Caudina, ſed per ſponſionem facta eſt. quid enim ſponſoribus in fœdere opus eſſet, aut obſidibus, vbi precatione res tranſigitur? per quem populum fit, quo minùs legibus dictis ſtetur, vt eum ita Iupiter feriat, quemadmodum à fecialibus porcus feriatur. ſpopondêre conſules, præfecti, legati, quæſtores,

a *Plut. in vita Pyrrh. Valer. Max. lib. 8. c. 13. Cicer. de ſenect.*

b *Liuius l. 48.*

c *Liuius l. 51.*

d *libro 7.*

tribuni militum, nominaque omnium, »
qui ſpoponderunt, exſtant: vbi ſi fœdere »
res acta eſſet, præterquam duorum fe- »
cialium non exſtarent: & propter neceſ- »
ſariam fœderis dilationem, obſides etiam »
DC. equites imperati, qui capite luerent, »
ſi pactis non ſtaretur. Ceterùm ſicut »
ſummi principis eſt arma mouere, bellũ gerere, exercitum cogere, & delectum habere [a]: ſic è contrario fœdera & inducias paciſci cum hoſte, ſummi quoque imperij eſt; vt ſuperiore capite oſtendimus. itaque à ducibus belli*, citra principis aut populi conſenſum, cuius nomine & auſpicijs bellum geritur, pax conſtitui non poteſt. quod olim iure feciali, & poſtea lege Iulia de prouinciis, & lege Cornelia Maieſtatis, fuit cautũ [b]. iniuſſu enim populi, aut citra ſenatus auctoritatem, (cuius poteſtas omnis in principem eſt collata [c]) nihil ſanciri poterat, quod populum teneret [d]. Et quidem ſi in ciuilibus ac forenſibus negotijs procurator, qui vel generali mãdato ad actionem cõſtituitur, tranſigendi decidendique negotij facultatem non habet [e]; conſequens eſt, eum qui belligerandi cauſa exercitui præpoſitus eſt, pacem cum hoſtibus faciendo, muneris ſui fines excedere. quod in re militari maximè vitioſum ſemper habitũ fuit [f]. quam quidem ob cauſam pacem Caudinam à

5

a *l. 3. D. ad l. Iul. mai. dixi ſuprà de iuſto bello.*

b *Cic. in Piſ.*

c *l. 1. D. de conſtit. princ.*

d *Cicero pro Cor. Balb.*

e *l. mandato generali. l. procurator tutorum. D. de procur.*

f *l. 3. §. in bello. D. de re milit.*

T. Ve-

T. Veturio, & Sp. Poſtumio, cum Samnitibus factam, & fœdus à C. Mancino cum Numantinis ictum, ſenatus ratum non habuit: ſicut nec Camillus dictator pactionem illam, qua inter Sulpitium quondam tribunum militum, & Brennum Gallorum regulum, conuenerat, vt Galli, acceptis mille pondo auri à Romanis, obſidionem relinquerēt; negans eam pactionē ratam eſſe, quæ poſtquam ipſe dictator creatus eſſet, iniuſſu ſuo ab inferioris iuris magiſtratu facta eſſet [a]. penes dictatorem enim ſumma poteſtas erat [b]. & Salluſtius, inter Aulū exercitus Romani ducē, & Iugurthā Numidarum regē, pactione facta: Senatus, inquit, vti par erat, decreuit, ſuo atq; populi iniuſſu nullum potuiſſe fœdus fieri. Ex quibus cōſtat, nemini licere, iniuſſu principis, citra crimē lęſę maieſtatis cū hoſte paciſci, cū hoc ſit ſummi principis [c]. qua potiſsimū ratione Ludouicū, ducē Aurelianēſem, iure cæſum fuiſſe exiſtimat Bodinus [d]: quòd ſcilicet iniuſſu regis Galliæ fœdus inijſſet cum duce Lancaſtri. quare etiam Duareno, quem alij ſequūtur [e], aſſentiri non poſſum: qui hanc ſententiā veram eſſe putat in eo, cui ducendi tantùm exercitus, regendiq; cura commiſſa eſt; non autem in eo, cui plena liberaque rerum omniū poteſtas eſt cōceſſa: quem etiam ius pacem cum hoſte faciendi habere

a Liuius lib. 4.

b Pomp. in l. 2. D. de orig. iur.

c l. conuentionū. D. de pact.

d de rep. lib. 7.

e in d. l. conuentionum.

bere vult [a]. quod non admitto. Nam ea quæ ſunt iuris publici, & regij, ſeparatã habẽt à iure priuato cauſam [b], & cũ priuatis cõmunicari non poſſunt; vt ſuperiore capite docuimus. vnde, quantumcunq; plena & libera duci rerum omniũ poteſtas ſit permiſſa, pacis tamẽ faciẽdæ, & cum hoſte facultatẽ non intelligi cõceſſam arbitror. nã ea, quæ ſunt iuris regij, non veniũt ſub quibuſcũq; generalibus verbis, ſed demũ ſi ſpecialiter & expreſsè concedantur [c]. & quidẽ hoc caſu imperatori vel duci ſanciẽdę pacis poteſtate expreſsè cõceſſa; quod fit extra ordinem: nec mandatũ egredi poterit, nec alteri mãdare; quia non habet eam iure magiſtratus & imperij, ſed nudam legis actionem: ideoq; nihil pro ſuo imperio agit, vt inquit Iulianus [d], ſed pro eo, cuius mandatum accepit, nam, vt iam ſæpe diximus, ius belli & pacis apud ſummum principem reſidet, & in alium transferri non poteſt: ſicq; nimirum conſules Romani, penes quos erat ſumma auctoritas, exercitu accepto, belli quidẽ gerendi poteſtatem habuerunt, vtq; pro ſuo arbitrio laceſſerẽt aut inuaderent hoſtem, ac militarem diſciplinam ſua voluntate regerẽt; bellum autẽ indicere, aut finire, niſi ex ſenatus auctoritate, & iuſſu populi, non potuerũt. itaq;, inquit Liuius [e], decreuit ſenatus, iubente populo, vt P. Sci-

a argumento l. procurator cui generaliter. D. de procuratorib. & l. 1. C. de offic. eius qui vicẽ alt. & ibi Bar. & in l. 1. §. his quibus. D. de leg. 3.

b l. 1. §. 1. D. de iuſtit. & iur. l. conuentionũ. D. de pac. pulchre Con. libro 5. cap. 1.

c text. elegans in cap. quod trãſlationem, de offic. legat. & in l. 1. & ibi DD. D. de off. eius cui mand. eſt iuriſd. & in c. vni. quæ ſint reg. Molin. in conſuetud. Pariſien. tit. 2. §. 1. gloſſ 5. facit text. in l. ne procuratores. D. de iur. fiſc.

d in l. etſi prætor. D. de off. eius cui mãd. eſt iuriſd.

e libro 40.

Scipio, ex decem legatorũ ſententia, pacem cum populo Carthaginienſi, quibus legibus ei videretur, faceret: & T. Quintio liberum arbitrium pacis ac belli cum Philippo permiſſum eſt [a]. item Hetruſcis pax data eſt, ijs legibus, quæ L. Æmilio conſ. viderentur optimæ: & Æquis ex arbitrio Q. Fabij conſulis [b]. idque ſæpius à Romanis factum fuiſſe legimus: ſciebant enim, neminem imperatore veriùs æſtimare poſſe, qua mente pax peteretur, & quo ſtatu res eſſent. Enimuero de
6 inducijs * idem quod de pace, pleriſque reſpondendũ placuit [c]: licet contrarium ſenſerit Bartol. nam & hic à præſcripto mandati, ſicut in ſuperiore caſu, receditur: quandoquidẽ in ciuilibus negotijs procuratori tempus ad ſoluẽdum dare, non minùs quàm trãſigere cum aduerſario, interdictũ ſit [d]. quod equidẽ admitto, ſi de longi temporis inducijs agatur, quæ non tam ceſſationẽ pugnæ cõcedere, quàm bello finẽ imponere videntur: quod ſummi imperij eſt. ideoque iſtiuſmodi inducias nunquam à conſulibus, alijſq; Romanorum imperatoribus, ſed à ſenatu populoque Romano conceſſas fuiſſe legimus. itaque Samnites victi, pro fœdere, quod petebant, biennij inducias impetrarunt [e]. Similiter Veientibus, Volſinienſibus, Æquis, alijſque quamplurimis, in annos aliquot à ſenatu & popu-

a *Liuius l. 41.*

b *Dion. Hal. antiq. Rom. libro 9.*

c *ad l. conuentionum. D. de pact.*

d *l. qui Romæ. §. Callimachus. D. de verbor. oblig. Duarenus in d. l. conuentionum.*

e *Liuius l. 9.*

populo inducię datæ ſunt [a]. illas verò induciás,quę in breue & in pręſens tempus fiunt,ne hoſtes inuicem ſe laceſſant, (de quibus Paulus loquitur [b]) cùm bello finem non imponant, (nam bellum manet, pugná ceſſat [c]) duces cum hoſte facere poſſe,exiſtimo:præſertim ſi tẽporis ratio, vel aliqua neceſsitas vel vtilitas, id fieri ſuadet. imperio enim duci delato,pro ſuo arbitrio laceſſere & inuadere hoſtem poteſt,& omnia ea,quæ ad bellum ſpectant,adminiſtrare.ſolent itaque Romani duces, hoſtibus pacem poſtulantibus, propria auctoritate inducias concedere,dum Romá legati ad pacem petendam mitterentur. Itaque Scipio Carthaginienſibus in tres menſes inducias cõceſsit,vt interim per legatos Romæ de pace agerent [d]. Libo quoque, & Bibulus,Pompeianarum partium, qui cum claſſe erát ad Oricum,cùm ſummis anguſtijs rerum neceſſariarum premerentur,& velle ſe de maximis rebus cum Cæſare loqui dicerent, vt de compoſitione acturi viderẽtur; interim inducias à M.Acilio & Statio Murco,legatis Cęſaris, (quorum alter oppidi muris,alter præſidijs terreſtribus præerat) impetrarunt. magnum enim,quod adferebant, videbatur,& Cæſaré id ſummè ſciebant cupere [e]. Leges quoque pacis ipſi duces dicere ſolent:quæ ſi acciperentur ab hoſtibus,

a *Liuius l.2.4.7.9.& 10.*

b *in l. poſtliminium. D. de captiu.*

c *Gellius l.1. cap. 25.*

d *Liuius l.40.*

e *Cæſar de bel.ciu.lib.3.*

ſtibus, inducias concedebant, dum de pace legatis ſuis Romá miſsis, in ſenatu agerent; vt Scipio cum Carthaginienſibus ſecundò fecit [a]: eodemque auctore, L. Scipio frater, Antiocho deuicto conditiones pacis tulit, permiſitque vt legatos de pace Romá mitteret [b]. & T. Quintius Nabidi, Lacedæmoniorũ tyranno, ſex menſium inducias dedit, vt interim cõditiones pacis, quas illi præſcripſerat, à ſenatu confirmarẽtur [c]. & idem Quintius, Philippo inducijs in duos menſes datis, vt de conditionibus pacis, de quibus inter ipſos actum erat, Romam legatos mitteret, permiſit [d]. ſoletq; ſenatus plerunque, conſilio ducis, pacem ab hoſtibus petitã dare vel negare; vt modò diximus. alij verò populi non tantam facultatẽ ſuis ducibus conceſſerunt. Legimus itaque, cùm inter Agidem Lacedæmoniorũ regem, & Thraſybulũ Alciphronemque Argiuorum duces, pactæ eſſent quatuor mẽſium induciæ, factum fuiſſe, auctore Alcibiade, vt eas Argiui ratas non haberent, & Lacedæmonios quoque eas irritas feciſſe: quos eam ob cauſam adeò in regem ſuum indignatos fuiſſe ſcribit Thucydides, vt, lege lata, duodecim conſiliarios ei adhibuerint, ſine quorum conſilio neque inducias, neque quodcunq; fœdus cum hoſtibus ferire poſſet. reges autem Lacedæmoniorum

a *Liuius l. 40.*

b *Liuius l. 47.*

c *Liuius l. 44.*

d *Liuius l. 42.*

ſiorum nullum imperium habuiſſe, neque fuiſſe ſui arbitrij, ſatis conſtat [a]. Sed cùm princeps, cui populus omne imperium in ſe poteſtatemque conceſsit [b], de negotijs ad remp. ſpectantibus rectè atque vtiliter paciſcatur, ſiue pacem, ſiue aliud quodcunque fœdus cum hoſtibus faciat [c]: quærũt iuris interpretes, an pacem cum hoſtibus faciendo, priuatorum damna * & iniurias, ob cauſam belli acceptas, poſsit remittere, vel etiam bona ciuium hoſtibus concedere [d]. & quidem quod ad res bello captas attinet, dubium non eſt; cùm etiam ſine vlla principis pactione, iure belli, factę ſint hoſtiũ: idemque dicendum eſt de alijs damnis & iniurijs iure belli illatis. quod ad alia verò, quæ non ſunt hoſtibus acquiſita, vel ab iniuſtis hoſtibus ablata; ſi aliter cõmuni omnium ſaluti conſuli non poſsit, etiam illa ciuibus adimi, & hoſtibus concedi poterunt. communis enim vtilitas, ſingulorum commodo præferri debet [e]: &, vt ait Plinius [f], oportet priuatis vtilitatibus publicas, mortalibus ęternas anteferre. Quò ſpectat quod Tacitus ait, omne magnum exemplum habere aliquid ex iniquo, quod contra ſingulos vtilitate publica rependitur. Itaq; Thraſybulus, cùm ciuitatem Athenieſem triginta tyrannorum ſęuitia liberaſſet, plebiſcitum interpoſuit, ne qua præteritarum

a Dion. Hal. lib. 2. Bodin. in meth. hiſt. cap. 6.
b l. 1. D. de conſt. princip.
c l. conuentionũ. D. de pact.
d in d. l. conuẽtionum. & in l. bene à Zenone. C. de quadr. præſcript. Ferdin. Vazq. illuſt. q. lib. 1. c. 4.
e authent. quæ res. C. com. de leg. l. actione. §. Labeo. D. pro ſocio. l. vnic. §. penul. C. de cadur. tollend.
f epiſt. lib. 7.

tum rerum mentio fieret: quę malorum obliuio, ἀμνηςία ab ipſis vocitata, concuſſum & labentem ciuitatis ſtatum in priſtinum habitum reuocauit[a]. quod & Cicero aliquando Romę, publicę quieti conſulere volens, ſequendũ eſſe cenſuit[b]. Sed hoc tum maximè neceſſarium eſſe conſtat, cùm occupata per iniuriá bona longo temporis ſpatio poſſeſſa ſunt: quæ ſi à poſſeſſoribus auferantur, reſtituanturúue dominis, multa concuti perturbarique ſit neceſſe; vt in ſpecie non abſimili conſultus à Plinio Traianus imper. prudentiſsimè reſcripſit[c]. alioqui certè niſi ex maxima neceſsitate, & pro magno reip. bono, non licet principi bona ciuium ipſis adimere: quod iuri naturali & diuino repugnat[d]. Etenim quamuis

8 princeps*legibus ſolutus ſit[e]; lege tamen naturæ, vt Pindarus dicebat, omnes reges & omnes principes tenentur: & vt maximè larga ſit principis poteſtas, tamen ad ea quę iniuſta ſunt, non extenditur: eoq; ſpectat, quod Plinius ad Traianum ſcribit[f]: Vt, inquit, felicitatis eſt,
» poſſe quantum velis; ſic magnitudinis,
» velle quãtum poſsis. vnde reſcripta principum ita intelligi debẽt, vt ſine incommodo alterius procedant[g]. & non valẽt illa reſcripta, quæ ius alterius tollunt[h]. Qua ratione donatio ducatus Mediolanenſis ab imperatore Maximiliano, Lu-

a Val. Max. lib. 4. cap. 1.
b Philipp. 1.
c lib. 10. epiſt. Plinij.
d l. nam hoc iure. D. de cond. indeb. l. ſi priuatus. D. qui & à quibus.
e l. princeps. D. de legibus.
f in Panegyr.
g l. 2. §. ſi quis à principe. D. ne quid in loc. publ. l. reſcripta. C. de precib. imp. offer.
h l. 2. C. de precib. imp. offer.

douico XII. Gallorum regi facta, cauſæ belli fuit propter ius quod Sfortiæ in eundem ducatum prætendebant: quod imperator non intelligitur voluiſſe donare, nec potuit[a]. quamuis enim reges dicantur domini omnium *, hoc quoad 9
maieſtatē & imperium debet intelligi, non quoad proprietatem & poſſeſsionem, quæ eſt ſingulorum[b]. quod eleganter Seneca expreſsit[c], cùm ait: Ad reges poteſtas omnium pertinet, ad ſingulos proprietas. & paulo pòſt: Omnia rex imperio poſsidet, ſinguli dominio: omnia ſunt in imperio Cæſaris, in patrimonio propria. Quare Aratum Sicyonium iure laudatum fuiſſe refert Cicero[d]: qui cùm oppreſſo Niocle tyranno patriam liberaſſet, quæ quinquaginta annis à tyrannis tenebatur, & plurimos exules reſtituiſſet, quorum bona alij poſſederant, & tam lōgo ſpatio multa hereditatibus, multa emptionibus, multa dotibus detineri, atque ſine iniuria neque poſſeſſoribus adimi, neq; his non ſatisfieri, quorum illa fuerant, videret; grandi pecunia à rege Ptolemæo iuuatus, adhibuit ſibi in conſilium quindecim principes, cum quibus cauſas cognouit, & eorum qui aliena detinebant, & eorum qui ſua amiſerant: perfecitque æſtimandis poſſeſſionibus, vt perſuaderet alijs, vt pecuniā accipere mallent, & poſſeſſoribus cederent;

a refert Bodin. de rep. l. 1. cap. 9.

b l. in rem actio. D. de rei vend. & toto tit. D. de acq. rer. dom.

c lib. 7. c. 4. & 5. de benef.

d offic. lib. 1.

rent; aliis vt cõmodius putarent, numerari ſibi quod tanti eſſet, quàm ſuum recuperare. itaq; perfectum eſt, vt omnes, conſtituta concordia, ſine querela decederent. Similiter Brutus & Caſsius, poſt necem Cæſaris, (quãdoquidem acta eius rata haberi è rep. viſum erat) veteribus poſſeſſoribus, quibus Sylla & Cęſar bellis ciuilibus agros ademerãt, ſaltem precium ex publica pecunia numerari debere cenſebant: quo & illis ſatisfactum, & aliis ſecurior eſſet poſſeſsio [a]. Porrò
10 quæritur, an mortuo principe*, cum quo fœdus ictũ eſt, maneat fœdus cum principe qui ſucceſsit. & quidem quamuis quoad alios contractus, diſtinguendum videatur, ſucceſſerit ne tanquam heres, qui ex facto defuncti tenetur [b]; an verò ex ſtatuto, vel per electionẽ, qui factum defuncti non præſtat; perſonalis enim obligatio non manat ad ſucceſſorem, niſi hereditariũ [c], etiam ſi quis expreſsè promiſerit pro ſe, & ſucceſſoribus ſuis [d]: tamen quoad fœdera, aliáſque conuentiones publicas, quæ non nomine proprio, ſed reip., ineuntur, (quæ æquè repræſentatur per ſucceſſores, vt per eos qui ſunt hodie [e]) principem omnino ex contractu defuncti teneri dicendum eſt, & fœderatos fœdere aſtrictos manere [f]. Non itaq; fuit legitima cauſa rebellandi Veientibus & Fidenatibus, regnãte Tullo Hoſtilio;

a Appian. de bell. ciuil. lib. 2.

b l. cùm à matre. C. de rei vendic.

c l. vlt. §. vlt. D. de contr. empt. l. 1. §. ſi heres. D. ad S.C. Treb. l. vlt. C. de her. act.

d l. ſtipulatio iſta. D. de verbor. oblig.

e l. proponebatur. D. de iud.

f c. 1. de probat. & ibi DD. c. quia iuxta. 16. q. 1. Iaſon & alij in l. 1. col. 3. D. de conſtit. princip. not. in c. vlt. ne prel. vices ſuas.

 ſtilio;

ſtilio; neque Latinis, regnãte Tarquinio Priſco, qui poſt Anci obitũ ſe religione fœderis ſolutos exiſtimabãt; neque Hetruſcis, qui defuncto Tarquinio Priſco, cuius imperio ſe ſubmiſerant, nolebant ampliùs ſtare conditionibus fœderis [a]. & iure Romani Perſeo bellũ intulerunt, qui legatis ipſorũ, fœdus cum Philippo patre ictum ad ſe nihil pertinere, reſpondit [b]. Si tamẽ per iſtiuſmodi fœdus reſp. enormiter ſit læſa, ſucceſſorẽ non teneri pleriſque viſum eſt [c], quod admitto, ſi hac conuentione quid ex ijs, quæ regiæ coronæ ſunt annexa, ſit alienatum, citra populi vel ordinum conſenſum, qui ad hoc requiritur [d]: vel ſi maieſtas principis ſit imminuta, quod in præiudicium defuncti fieri non potuit [e]. & ne ab initio quidem iſtiuſmodi conuentiones vllo modo ſubſiſtere potuerũt [f]. Ex his conſtat, omnium firmiſsimã eſſe illã fœdera, quæ inter vtrumque regem, & vtrumq; populum, hinc inde ineũtur. quò ſpectat quòd Hernici, legatis Romanorum expoſtulantibus de iniurijs & latrocinijs, reſponderunt, ſibi nunquam fœdus interceſsiſſe cum Rom. populo: quod autẽ cum rege ictum eſſet Tarquinio, iam finitũ exiſtimare morte ipſius & exilio [g]. Itaq; Eduardo eius nominis quarto regi Angliæ, regno pulſo, cùm ex fœdere auxilium regis Galliæ imploraret, reſponſum

a *Dion. Hal. ant. Rom. l. 3. & 4.*

b *Liuius l. 42.*

c *Cyn. & DD. in l. digna vox. C. de conſt. princip. Bald. in c. 1. de nat. feud.*

d *c. 1. de rer. permutat. c. non liceat. 1. 12. q. 1. latè Ioan. Papon. in areſt. lib. 5. tit. 10.*

e *c. innotuit. de elect.*

f *dixi ſuprà cap. 6.*

g *Dion. Hal. lib. 8.*

ſum fuit, antiquo fœdere vtrumque regem & vtrumque populum vtrinque obſtrictos eſſe; atque ita pulſo Eduardo, fœdus manere cum populo, & rege qui regnabat [a]. Latini verò, cùm Tarquinij in exilium acti Romanis bellũ inferrent, vtriſque auxilia negauerunt, quòd religione vetarentur, tam contra Tarquinios quàm cõtra Romanos bellum gerere; quandoquidem ex æquo vtriſque fœdere iuncti eſſent [b].

a refert Bodin. de rep. l. 1. cap. 7.

b Dion. Hal. lib. 5.

DE INSIDIIS ET FRAVDE HOSTILI.

1 *Ex inſidiis pugnare licet.*

2 *Bonus dolus quis.*

3 *Stratagemata imperatori laudem pariunt.*

4 *Romani veteres omnes fraudes aſpernati ſunt.*

5 *Veteres nonnunquam ſola opinione ſynceræ fidei plus profecere, quàm armis.*

CAP. OCTAVVM.

CVm quis bellum ſuſceperit, inquit D. Auguſtinus [c], vtrùm apertè pu-
1 gnetur, an ex inſidijs*, ad iuſtitiam nihil
2 attinet: & bonum dolum* (quod pro ſolertia accipiebant veteres) dicit eſſe Vlpianus, cùm quis aduerſus hoſtem latronémue quid machinatur [d], itaq; optimus

c in c. Dominus noſter. 23. quaſt. 2.

d in l. 1. §. non fuit. D. de dolo.

timus imperator Lyſander dicebat, vbi leonina pellis deficeret, vulpinam eſſe aſſuendam [a]. & poetę finxerunt, Herculem Nemeæi leonis pellem pro armis habuiſſe, & ſagittas tinctas felle & ſanguine Hydræ Lernæę. quo indicant bonum imperatorem calliditatem ſimul cum fortitudine coniungere debere; eoq́ue ſpectat illud Virgilianum:

Dolus an virtus, quis in hoſte requirat?

Quæ ſententia vera eſt, quatenus fides non violetur [b]. neque enim Dionyſio tyranno ſimiles eſſe debemus, qui dicebat pueros talis, viros iureiurando fallendos eſſe [c]; aut Perſas imitari, quibus fides dictis factisq́ue nulla erat, niſi quatenus expediret [d]. alioqui verò & Ioſue hoſtibus ſuis, ipſo auctore Deo, inſidias ſtruxiſſe legitur [e]. & Pittaci Mitylenęi (qui vnus ex ſeptē ſapientibus fuit) ſtratagema laudatur: qui cum Phrynone Atheniēſium duce certaturus, cui in caſſide piſcis imagúcula erat, rete in ſtadium detulit, & exclamās ſe piſcē petere, eum reti inuoluit, ſicque ſe extricare neſcientem confecit. Rectè itaq; Ageſilaus dicebat, impium quidem eſſe fidem datam violare; hoſtes autem decipere, non iuſtum modò eſſe, ſed ſuaue etiam, & lucroſum [f]. Cambyſes verò à Cyro apud Xenophontem interrogatus, qua potiſſimùm ratione vincendum eſſet, reſpondit,

a Plut. in Apophth.

b c. noli. 23. quæſt. 1.

c Plut. de fort. vel virt.

d Iuſtin. l. 12.

e Ioſue 8.

f Plut. in Apophth.

dit, ſi victoria cupitur, quacunque arte capiendi ſunt hoſtes, occultis inſidijs, dolo, fraudeque fallendi, & furto & rapinis exhauriendi. ſic opportunum aliquando mendacium imperatoris, victoriam dedit: vt illud Valerij Leuini, qui exclamauit Pyrrhum à ſe interemptum eſſe, cùm militis cuiuſdam cæde gladium cruentum haberet: quo factum eſt, vt Epirotę cõſternati, in caſtra quamprimum pauidi ac flentes ſe reciperent. Similiter T. Quintius conſ. cum Volſcis pugnans, gradum referentibus ſuis, ſalubri mendacio fugere hoſtes à cornu altero clamitans, concitauit aciẽ, & impetu facto, dum ſe putãt vincere, vicêre [a]. Quę quidem ſtratagemata * maximã imperatori laudem & gloriã dare ſolẽt. Hac autem cauendi & fallendi arte Philippus Macedo inſignis habitus fuit: gaudebat etenim longè magis decepto per dolum hoſte, quàm aperto Marte ſuperato: vt qui diceret, victoriam per dolum & calliditatem ſine ſuorum clade ſemper eſſe; illam autem, quæ collatis ſignis fieret, nunquam ſine cruore. Pœni quoque, inter quos Annibal clarus exſtitit, & Græci, plurimum hiſce calliditatis & fallendi artibus gloriati ſunt. quod improbandum non eſſet, niſi etiam fidem tam facilè violaſſent. at veteres illi Romani * omnes has fraudes & fallacias aſpernati

a *Liuius l. 2.*

3 (margin, beside "dem ſtratagemata")

4 (margin, beside "facilè violaſſent")

ſunt, & nõ niſi vera virtute, & aperta vi, Romaniſq; artibus, vt illi dicebant, vincere voluerunt. ſed poſterioribus temporibus Romani, ſpreta hac maiorum ſuorum ſententia, fallendi decipiendiq; artibus ſibi reique publicæ conſulere potius habuerunt. itaque Q. Martius, & A. Attilius, qui legati ad Perſen Macedonum regem miſsi erant, reuerſi, nulla re magis in ſenatu gloriati ſunt, quàm decepto per inducias & ſpe pacis hoſte: adeò enim apparatibus belli fuiſſe inſtructum, ipſis nulla parata re, vt omnia opportuna loca præoccupari antè ab eo potuerint, quàm exercitus in Græciam traijceretur: ſpatio autem induciarum ſumpto, venturum illum nihilo paratiorem; Romanos omnibus inſtructiores rebus cœpturos bellum. hæc, vt refert
[a] *lib.* 34. Liuius[a], vti ſumma ratione acta, magna pars ſenatus approbabat. veteres autem, quibus hæc noua minùs placebat ſapientia, moris antiqui memores, negabant ſe in ea legatione Romanas agnoſcere artes: non per inſidias, & nocturna prælia, nec ſimulatam fugam, improuiſoſque in incautum hoſtem reditus, nec vt aſtu magis quàm vera virtute gloriarentur, bella maiores geſsiſſe: indicere priùs quàm gerere ſolitos bella: denunciare etiam: interdum locum finire, in quo dimicaturi eſſent. eadem fide indi-

catum Pyrrho medicum vitæ eius inſidiantem; eadem Faliſcis vinctum traditum proditorem filiorum regis. hęc Romana eſſe, non verſutiarum Punicarum, neque calliditatis Gręcæ, apud quos fallere hoſtē, quàm vi ſuperare, glorioſius fuit. interdum in præſens tempus plus profici dolo, quàm virtute; ſed eius demum animum in perpetuum vinci, cui confeſsio expreſſa eſſet, ſe neque arte, neque caſu, ſed collatis cominus viribus, iuſto ac pio bello eſſe ſuperatos. Hæc, vt inquit Liuius, ſeniores, quorũ ſententia accepta non fuit. Legimus tamē veteres
5 illos* nonnũquam ſola opinione huius veræ virtutis, & ſynceræ fidei, plus profeciſſe, quàm inuictis Romanorum armis. idque in primis probatur exemplo Camilli: nam cùm Faliſcos obſideret, qui alioqui diuturnus videbatur futurus labor, tradēdo ludimagiſtrum, principum Faliſcorum pueros prodentem, quòd ſe non niſi Romanis artibus, virtute, opere, armis, velle vincere diceret, ita fides Romana, vt refert Liuius [a], & iuſtitia imperatoris, in foro & curia apud Faliſcos celebrata fuit, vt, conſenſu omnium, legati ad Camillum in caſtra, atque inde permiſſu Camilli Romam ad ſenatum, qui dederent Faliſcos, profecti ſint: qui in ſenatum introducti, inter cetera, hæc verba protuliſſe traduntur:

a *lib.* 5.

Euentu huius belli, duo ſalutaria exem- „ pla humano generi prodita ſunt. Vos fi- „ dem in bello, quàm præſentē victoriam, „ maluiſtis; nos fide prouòcati, victoriam „ vltro detulimus. Sic quoque Fabritius „ pari virtutis ſpecie Pyrrhum, qui armis ſuperari non poterat, vicit, prodens illi medicum vitæ eius inſidiantem: cumq; ei Pyrrhus captiuos gratis redderet, nō accepit ea cōditione, ſed totidem captiuos reddidit, ne mercedem beneficij accipere videretur, non gratia aliqua in Pyrrhum collati, ſed ne putarentur Romani dolo interficere quenquam, tanquā aperto Marte vincere non valentes. idque eius factum à ſenatu laudatū fuit, qui magnum dedecus & flagitium iudicabant, quicum laudis certamen fuiſſet, eum non virtute, ſed ſcelere ſuperatū[a]. cui ſimile eſt, quòd Dauid cum Saule bellum gerens, cùm potuiſſet illū ſemel & iterum ex improuiſo nullo negotio è medio tollere, noluit, & iurauit, niſi fortè in prælio deſcendens Saul periret, aut Dominus illum percuteret, ſe non extenſurum manum in Chriſtum Domini[b]. Porrò Q. Seruilio Cæpioni vitio datum fuit, quòd Viriatum per fraudem & inſidias & domeſticos percuſſores ſuſtuliſſet: quare dicebatur non tam victoriam meruiſſe, quàm emiſſe[c]. Fabius tamen Maximus ſummus imperator habitus

a Plut. in Apoph. Cicero offic. lib. 3.

b 1. Reg. c. 26.

c Val. Max. lib. 9. cap. 7. L. Flor. lib. 2. c. 17.

bitus fuit, quòd non quidem dolo ageret, ſed facilè celaret, taceret, diſsimularet, inſidiaretur, præriperet hoſtium conſilia[a].

a Cicer. offic. lib. 1.

DE IVRE LEGATORVM.

1 *Legati inuiolabiles.*
2 *Legatum hoſtium pulſans dedi hoſtibus ſolet.*
3 *Legati legationis munus excedere non poſſunt.*
4 *Ius legatorum hoſtibus tantùm conuenit.*
5 *Rebellis, etiam ſi munere legationis fungatur, non eſt inuiolabilis.*
6 *Ad rebelles legatos mittere, maieſtati principis non conuenit.*
7 *In legatis ſpectanda prudentia & dignitas.*
8 *Nonnunquam mulieribus legationes commiſſæ.*

CAPVT NONVM.

1 LEgati apud* omnes gentes ſemper tuti & inuiolabiles fuerunt; quod iure gentium inductum eſt[b]: & à Romanis ſancti dicti, à ſagminibus, quæ legati populi Romani ferre ſolent: ſicut legati Græcorum ferebant ea, quæ κηρύκεια vocantur, vt refert Marcianus [c]. Itaque qui
2 legatum hoſtium pulſaſſet*, aut iniuria affeciſſet, dedi hoſtibus ſolet [d]: quod & iure feciali cautum fuiſſe diximus. Sic

b l. vlt. D. de legat. c. ius gentium. diſt. 1.

c in l. ſanctū. D. de rer. diuiſ.

d d. l. vlt. D. de legation.

M. Æ-

M. Æmilio Lepido, C. Flaminio conſſ., L. Minucius Myrtibus, & L. Manlius, quòd Carthaginienſium legatis manus intulerant, iuſſu M. Claudij pr. vrbis, per feciales traditi ſunt legatis, & Carthaginem auecti [a]. & Q. Fabius & Cn. Apronius Ædilitij, quòd legatos ab vrbe Apollonia Romam miſſos, orta contentione, pulſaſſent, continuò per feciales dediti ſunt [b]. & quidem niſi dederentur qui legatos violaſſent, vel ſi publico cõſilio id factum eſſet, bellum legitimè inferri ſolet. Itaq; Fidenatibus atrox bellum illatum à Romanis, quòd legatos eorum interfeciſſent, iuſſu Tolumnij regis Veientium, ad quem defecerant [c]; & Illyricis ob legatos ſecuri percuſſos [d]. Sed & Dauid intulit bellum regi Ammonitarũ, propter deriſos legatos ſuos [e], iniuria enim facta legatis, cenſetur facta principi vel reipub. cuius legatione funguntur [f]. Sed etſi bello ſubitò exorto, qui apud vtrumque populum inueniuntur, ex hoſtibus ſerui efficiantur, licet in pace venerint [g]: tamen legatos liberos manere, Pomponius reſpondit; idque iuri gentium conuenire [h]. Et hæc certè ſumma ratione legatis tributa ſunt: vt eſſent qui vltro citroque de conditionibus pacis, fœderis, induciarum, tutò agere poſſent: qui ſæpe paruo labore maximas controuerſias tollũt. Itaque Romani,

a *Liuius l. 38.*
b *Val. Max. lib. 6. c. 6.*
c *Liuius l. 4.*
d *L. Florus l. 2. cap. 5.*
e *2. Reg. c. 10.*
f *c. accuſatio. in fin. 2. q. 7. & Reg. 3. c. 10.*
g *l. in bello. §. 1. D. de capt.*
h *in l. vlt. D. de legation.*

mani, cùm belli paciſque iura, tum potiſsimùm ius legatorum inuiolabile eſſe voluerunt: vſque adeò, vt Scipio Aphricanus, cùm onuſtã multis & illuſtribus viris Carthaginienſium nauem in ſuam poteſtatem redegiſſet, inuiolatam eam dimiſerit; quia ſe legatos ad eum miſſos dicebant: quãuis manifeſtum eſſet, illos vitandi periculi gratia falſum legationis nomen amplexos fuiſſe: ſed maluit Scipio Romani imperatoris potiùs deceptam fidem, quàm fruſtra imploratam, iudicari [a]. Itẽ cùm Tarquinij, iam regno pulſi, Romã legati veniſſent, res ablatas repetitum, occulteque cum nobilibus adoleſcentibus de rege reducẽdo tractarent: re detecta, quanquam viſi eſſent commiſiſſe, vt hoſtium loco haberẽtur, valuit tamen, vt ait Liuius [b], ius gẽtium. Similiter cùm Volſci miſiſſent aliquos exploratores, ſpecie legatorum, in caſtra Romanorum, qui explorarent eorũ numerum, & apparatum belli; quamuis conuictos & cõfeſſos, tamen Poſtumius dictator à concitata ad feriendum multitudine incolumes ſeruauit, inani legationis nomini tantum tribuens: ne ſcilicet daretur hoſtibus aliquis honeſtus belli prætextus, ſimulaturis legatos violatos, contra ius gentium [c]. quo tamen exemplo non putarem legatos ſimilia molientes omnino iure tutos eſſe, cùm legati

a *Val. Max. lib. 6. c. 6.*

b *Eil. 2.*

c *Dion. Hal. ant. Rom. l. 6.*

legati nihil extra legationis munus* 5 agere poſsint [a]. Iure itaque Galli, cùm Cluſinos inuaſiſſent, vidiſſentq; Fabios legatos Romanorum (qui ad eos miſsi erant, vt peterent ne Cluſinos ſocios offenderent) poſt exequutam legationem, arreptis armis contra ius gentium, cum Cluſinis in acie verſantes, miſsis Romá legatis ſuis, queſtũ iniurias, poſtulatumque, vt pro iure gentium violato Fabij dederentur, cùm non impetraſſent, imò, de quorum pœna agebatur, tribunos militum in ſequentem annum creatos audirent; flagrantes ira, ob honoré vltro habitum violatoribus iuris humani, eluſamq; legationem, omiſsis Cluſinis, Romam rectà perrexerunt, & Romanis acie ad Alliam fuſis, vrbem ceperunt & deuaſtarunt. quę calamitas, vt inquit Liuius [b], Romanis ſuperuenit ob violatum ius gentium. Porrò ſciendum eſt, hoc ius legatorum*, quemadmodum & reliqua iura belli, hoſtibus tantùm conuenire, non etiam latronibus, rebellibus, alijsque, qui hoſtium numero non continentur [c]. qua de re alio loco diximus ſuprà [d]. vnde Cicero [e] reprehendit, quòd tantum tributum eſſet legato Antonij, cui portas vrbis patêre ius non erat: & eidem reditum ad Antonium prohiberi debere cenſebat. Iure quoque Theodoſius imperator legatũ tyranni cuiuſdam ſibi

a l. Paulus. 1. D. de legat.

b lib. 5.

c l. hoſtes. D. de capt. l. hoſtes. D. de verb. ſignif.

d cap. 2. & 6.

e Philipp. 8.

ſibi rebellis, in carcerem coniecit: & Carolus V. imper. legatos ducis Mediolanenſis ſibi ſubditi, & bellũ machinantis, carcere cõcluſit[a]. ſed nec ciues, nec ſub-
5 diti *, qui malo conſilio & proditoris animo apud hoſtes ſunt, quos hoſtiũ loco haberi voluit Paulus[b], etiamſi munere legationis fungantur, iure gentium tuti erunt. quamuis enim loco hoſtium habeantur, non tamen iure, quo hoſtes vtuntur, vt alibi oſtendimus[c]. ſunt enim rebelles, & iniuſti hoſtes; neque ſe vlla ratione principis ſui iuriſdictioni, & poteſtati, quę vbique locorum ſubditos tenet, eximere poſſunt[d]: non magis, quàm Barbarius Philippus ſeruus, qui cùm Romę prętor factus eſſet[e], & à domino, qui eum perſequebatur, in ſeruitutem vindicaretur, precio ſe redemit; vt ex Suida refert Bodinus[f]. qua ratione etiam iure cæſi videntur à Cæſarianis Rangonus & Fregoſa, Caroli V. imper. ſubditi, legati regis Galliæ ad Turcam: quamuis iniuſſu Cæſaris id factum ſit.
6 Ad rebelles * verò legatos mittere, maieſtati principis nullo modo conuenit. itaque Cicero reſtitit, quantum potuit, ne legati mitterentur ad Antonium reipub. bellum inferentem. non enim verbis rogandum, ſed cogendũ armis: quòd non cum hoſte, ſed ciue res eſſet[g]. & quidẽ Deus ipſe adeò deteſtatus eſt rebelles,

a *refert Bodin. de rep. l. 1. c. 6.*

b *in l. postliminium. §. transfuga. D. de captiu.*

c *ſuprà de bello iuſto, & de fide hoſti ſeruanda.*

d *l. vlt. D. de decret. ab ord. fac. l. mercatores. C. de commer. c. vt annuarum. de conſtit. in 6.*

e *l. 2. D. de offic. prœt.*

f *lib. 1. cap. 6.*

g *Philipp. 5. dixi ſuprà c. 2. & 6.*

belles, & ſchiſmaticos, vt cùm homo Dei miſſus eſſet ad Hieroboam (ad quẽ decem tribus Iſraël, relicto rege ſuo, defecerant) qui ei peccata ſua exprobraret; panem apud illos edere, & aquam bibere vetaretur; & cùm non cuſtodiſſet, & cõtra præceptũ Domini prandiſſet, vltione diuina in reditu à leone necatus fuerit [a]. neque ſolùm indignũ eſt maieſtate principis, legatos ad ſubditos rebelles mittere, ſed etiam minimè tutum eſt. non enim ſperandum eſt, iura gentium ſancta fore apud eos, qui iura diuina & humana contemnunt. Ceterùm in legatis * maximè ſpectanda eſt prudẽtia & dignitas. Carthaginienſes enim cùm Romam de pace legatos miſiſſent, non impetrauerunt: quòd iuuenes & nullius dignitatis legati miſsi eſſent, & qui per ętatem non meminiſſe ſe dicerent ea quæ ſuperioribus fœderibus acta eſſent: qua de cauſa etiã ſuſpecti habiti, & Punica fraude electi putabãtur: qui veterem pacem repeterent, cuius ipſi non meminiſſent. tandem verò, cùm iam maximè attritis rebus Carthaginienſium, Hannonem Magnum, & Aſdrubalem Hędum, alioſque ætate dignitateque conſpectos, ad pacem petendam Romã mitterent; tum demũ Carthaginiẽſes verè & ex animo de pace agere dixerunt Romani, quare & pacem dederunt [b]. Scitum quoque illud

a 3 *Reg.* 13. *c. denique.* 7. *q.* 1.

b *Liuius l.* 30. *Appian. de bel. Punic.*

lud Catonis de legatis Romanorũ miſſis ad componẽdam pacem inter Nicomedem & Pruſiam: quorum vnus, ſaxo quondam in caput percuſſus, fœdas cicatrices præferebat; alius laborabat pedibus; tertius vſq; ad ſtultitiam ſimplex habebatur: ita vt Cato in illam legationem cauillaretur, eam nec mentem habere, nec pedes, nec caput[a]. In legato quoque nonnunquam prodeſt grauitas, & reipubl. cauſa ſeueritas: exemplo C. Popilij; cui cùm Antiochus venienti dextram porrigeret, tabellas ei Popilius S. C. (quo iubebatur, vt rex bello, quo Ptolemæum laceſſebat, abſtineret) continentes tradidit. quibus perlectis, cùm ſe cum amicis conſultaturum, quid faciendum ſibi eſſet, Antiochus diceret: Popilius, pro cetera aſperitate animi, virga, quam in manu habebat, circumſcripſit regem, ac, Priuſquam hinc decedas, inquit, redde reſponſum ſenatui, quod feram. quo tam violento imperio obſtupefactus rex, cùm parumper hæſitaſſet, Faciam, inquit, quod cenſet ſenatus. ac tum demum Popilius dextram regi, tanquam ſocio atque amico, porrexit[b]. Nonnunquam verò etiam mulieribus *, cum maximo fructu & reipublicæ vtilitate, legationes cõmiſſæ ſunt. itaque regnante Romulo, bello Sabino S.C. factũ fuit, quo Sabinis mulieribus,

a *Appian. de bell. Mithrid.*

b *Liuius l. 45. Valer. Max. lib. 6. cap. 4.*

filios Romę habẽtibus, facultas data eſt, relictis apud viros filijs, legationem obeundi apud Sabinos: cuius legationis princeps fuit Herſilia: quæ pacem compoſuerunt inter Romulum, & Tatium Sabinorum regẽ: quà de cauſa à regibus magni honores illis conceſsi ſunt [a]. Prętere a, cùm Marcius Coriolanus, iniquo exilio multatus, ad vindicandam iniuriam, fuſis ac cæſis aliquot exercitibus Romanorum, ad ipſa mœnia vrbis acceſsiſſet, & neque legati ad eum deprecandũ miſsi, neq; ſacerdotes cum infulis quicquam proficerent: Veturia mater, Volumniam vxorẽ eius cum liberis ſecum trahens, filium precibus ſuis & lacrymis expugnauit & exarmauit [b]. atq; ita, vt inquit Liuius [c], quam armis viri defendere vrbem non potuerunt, mulieres precibus lacrymiſq; defenderunt. Populus quoq; Romanus Mutiam, matrem Pompeij, minis adegit, vt legationem ad eum ſuſciperet: qua inſtigante, vnà cum Iulia vxore, fœdus inter Pompeium, Antonium, & Octauium Cæſarem percuſſum eſt [d]. eſtque memorabile, quod de Celtis legimus, qui conſultationibus de bello & pace mulieres ſuas adhibebant, & lites cum ſocijs ortas earum ope diſcutiebant: ex eo, quòd quondam, cùm è graui & implacabili diſcordia in bellum ciuile incidiſſent, mu-

a *Dion. Hal. ant. Rom. l. 2.*

b *Valer. Max. lib. 5. cap. 4. L. Florus lib. 1. cap. 22.*

c *libro 1.*

d *Appian. de bel. ciuil. l. 5.*

mulieres inter media arma progreſſę cõtrouerſias omnes mira quadam dexteritate compoſuerant, & concordiam ſtabiliuerant. vnde in ſuo etiam fœdere, quod cum Annibale percuſſerunt, ſcriptum fuit: ſi Celtæ haberent, quo nomine Carthaginienſes accuſarẽt, iudicium fore Carthaginienſium ducum ac præfectorum in Hiſpania: ſi verò Carthaginienſes Celtis aliquid obijcerent, cauſæ cognitionem fore penes Celtarum mulieres [a]. Ceterùm prudenter M. Cato cenſuit, non eſſe publicè audiendos tres oratores Athenienſium, Carneadem, Critholaum, & Diogenem: quòd ſciret eos tantum valere eloquentia, vt, quæcunque vellent, perſuadere poſſent, tam æqua quàm iniqua. [b]

a *Plut. de virt. mul.*

b *Pet. Crinit. de honeſt. diſcipl. lib. 22. c. 4.*

DE IVRE ET OFFICIIS BELLICIS, ET DISCIPLINA MILITARI, LIBER SECVNDVS.

DE OFFICIIS BELLICIS.

1 *Non niſi ex iuſta cauſa bellum gerendum.*
2 *Dominandi cupiditas multa mala ſecum adfert.*
3 *Ad bellum non niſi neceſſariò veniẽdum.*
4 *Nonnunquam victoria plus amittitur, quàm acquiritur.*
5 *Secunda moderatè, aduerſa fortiter ferenda.*
6 *Romani neque victores inſoleſcere, neque victi deprimi ſolent.*
7 *Duo præcepta Platonis ad officia bellica maximè ſpectant.*
8 *Vir fortis nihil pro ſua, omnia pro communi vtilitate faciet.*
9 *Quacunque ratione patriæ conſulendum.*
10 *Mori pro republica glorioſum.*
11 *Non ſunt damnandi, qui in bello ſe obyciunt mortis periculo.*
12 *Pro patriæ ſalute licet patrem vel filium occidere.*
13 *In bello non eſt ſuſcipienda defenſio eorum, quæ commodè defendi non poſſunt.*

14 Non

14 *Non temere deſerenda, quæ hoſtium impetum ferre poſſunt.*

15 *Non nimium ſæuiendum in victos.*

CAPVT PRIMVM.

CVM primum iuſtitiæ munus ſit, vt inquit Cicero [a], ne cui quis noceat, niſi laceſsitus iniuria: ad officia bellica in primis ſpectat *, vt non niſi ex iuſta cauſa bellum geratur, ne ius humanæ ſocietatis violetur; & abſit omnis dominandi cupiditas, quæ non ſolùm cùm iuſtitia pugnat, ſed ſolet etiam ſecum adferre multa incommoda *. nam, vt inquit Liuius, nulla magna ciuitas quieſcere poteſt, ſi foris hoſtē non habet, domi inuenit: vt præualida corpora ab externis cauſis tuta videntur, ſed ſuis ipſa viribus onerātur: &, vt legati Darij Alexandro dicebant, periculoſum eſt prægraue imperium; & difficile continere, quæ capere non poſſis [b]. quare D. Auguſt [c]. Quemadmodū (inquit) in corporibus hominum ſatius eſt modicam ſtaturam cum ſanitate habere, quàm ad molem aliquam giganteam perpetuis afflictionibus peruenire; nec, cùm perueneris, quieſcere, ſed quanto grauioribus membris, tāto maioribus agitari malis: ſic imperium paruum

1 (margin, beside "bellica in primis ſpectat")
2 (margin, beside "moda *. nam")

a offic. lib. 1.

b Quintus Curt. lib. 4.

c de ciuit. Dei lib. 3. cap. 10.

uum & quietum præſtat magno & inquieto. quod indicaſſe quoque videtur Calanus Indus, in philoſophiæ ſtudijs magni nominis: qui ad Alexandrum Magnum veniens, bubulam pellem aridam in medium coniecit, obambulanſque eius extrema pedibus premebat: pellis cùm ad vnam tantùm partem calcaretur, reliquis in altum attollebatur. eo facto, media deinceps firmus inſtitit, atque ita pellis vndique immota conquieuit: tali exemplo Alexandrum commonens, ne in longinquis locis tempus tereret, ſed imperij medium tueretur; ita enim in eius finibus quietura omnia [a]. idque etiam Lacedæmoniorum exẽplo ſatis docemur: qui cùm terra marique vniuerſæ Græciæ imperarent, tantaque iam dominandi cupiditate flagrarent, vt Aſiam omnem ſuo imperio ſubigere affectarent, tantum ex ea re inuidiæ atque odij contraxerunt, vt & imperiũ & libertatem amiſerint. Prudenter itaque Theopompus, Spartanorum rex, cùm primus Spartæ regibus Ephoros adiunxiſſet, exprobranti vxori, quòd filijs regnum minus, quàm accepiſſet, relicturus eſſet; reſpondit, tanto id maius eſſe relicturum, quanto firmius [b]. & hanc quoque ſententiam cõprobaſſe videtur armatus Annibal, cùm ad Scipionẽ ait: „ Optimum fuerat, eam patribus noſtris men-

a in vita Alexand.

b Plut. ad princip. erud.

„ mentem datam à dijs eſſe, vt vos Italiæ,
„ nos Africæ imperio contẽti eſſemus: ita
„ alienа appetiuimus, vt de noſtris dimicaremus [a]. Cùm itaque in omnibus negotiis, vt inquit Cicero [b], tum præſertim in bello, priuſquã aggrediare, adhibenda eſt præparatio diligens, & percipienda cogitatione futura: & aliquando antè conſtituendum, quid accidere poſsit, in vtramque partem; & quid agendum ſit, cùm quid euenerit: nec committendum aliquid, vt aliquando dicendum ſit, Non putaram: quam Iphicrates turpiſsimam eſſe vocẽ imperatoris dicebat [c]. Et quidem, vt ad ſecandũ & vrendũ medici [*],
3 ſic nos ad bella raro inuitiq; veniemus, nec vnquam, niſi neceſſariò, ſi nulla reperietur alia medicina; exẽplo Augusti, qui admodũ bella omnia execratus eſt, & non niſi ex maxima cauſa vnquã bellum alicui genti indixit. iactantis enim ingenij & leuiſsimi eſſe dicebat, ardore triumphandi, & ob lauream coronam, in diſcrimen, per incertos euentus certaminum, ſecuritatem ciuium præcipitare. Bellum quoque non ſuſcipiendum, niſi maior emolumẽti ſpes quàm damni metus oſtendatur. alioqui verò, vt Archidamus Eleos inconſideratè bellum mouentes monuit, bonum erit quieſcere [d]. nam vt idem Auguſtus dicebat, minima commoda non minimo ſectantes

a *Liuius l. 30.*
b *offic. lib. 1.*
c *Plut. in apophth.*
d *Plut. in apopb. Lac.*

diſcrimine, ſimiles ſunt hamo aureo piſcantibus, cuius abrupti amiſsique detrimentũ nullo capturæ lucro penſari poteſt[a]. quare non erit conſultum, iis, qui inopes ſunt, bellum inferre. Cuius rei exẽplo eſſe poteſt Seſoſtris rex Ægypti, qui primùm Scythis bellũ intulit, miſsis priùs legatis, qui hoſtibus parẽdi legem dicerent. quibus Scythæ reſponderunt, ſe mirari tam opulenti populi regẽ ſtolidè aduerſus inopes occupare bellum, cùm magis domi fuerit illi timendum; quòd belli certamen anceps, præmia victoriæ nulla, damna manifeſta eſſent: igitur non exſpectaturos Scythas; vt ad ſe veniatur; cùm tãto ſibi in hoſte plura concupiſcenda ſint, vltroque prodituros obuiam: quod & fecerunt, & regem in fugam verterunt[b]. Expetenda eſt itaque magis decernendi ratio, quàm decertandi fortitudo: & priùs omnia experiri, quàm armis certare, ſapientẽ decet. quare Spartanorũ mos iure laudari poteſt, qui ante hoſtium congreſſum Amori ſacra faciebant: & reges Lacedæmoni, antequam ſigna inferrent, Muſis immolabant, Clementiæ & Amicitiæ, non Marti: ſatius ducentes, pactione hoſtium animos, & pace incruenta, conciliare, quàm prælij ſubire aleam. ſed vbi tẽpus neceſsitasq; poſtulat, decertandum manu erit, & honeſtum bellum, ex Demoſthenis

a Tren. in Auguſto.

b Iuſtin. lib. 2.

ſthenis ſententia, ſemper turpi paci præferendum erit. prudenter quoque Spartana ciuitas, ſeueriſsimis Lycurgi legibus obtemperans, aliquandiu ciuium ſuorum oculos à contemplanda Aſia retraxit; ne illecebris ęius capti, ad delicatius vitę genus prolaberentur. quod eos non fruſtra timuiſſe, dux ipſorum Pauſanias ſatis oſtendit: qui magnis rebus geſtis, vt primùm ſe Aſiæ moribus permiſit, fortitudinem ſuam effeminato eius cultu, vt ait Valer. Max. [a], emollire non erubuit. Fit itaque plerumque, vt *a lib. 2. cap. 6.*
4 plus iſtiuſmodi victorijs amittatur*, quá quæratur: vt eadem Aſia teſtis eſt; quæ facta Romanorum, cum opibus ſuis, etiã vitia Romá trãſtulit [b]. Eſt verò for- *b Iuſtin. l. 36.*
5 tis * animi, qualé in bello requirimus, ſecũda moderatè, aduerſa fortiter ferre: non perturbari in rebus aſperis, nec tumultuantem de gradu deijci, vt dicitur; ſed prę ſentis animi vti conſilio: nec à ratione diſcedere, ſed in omni fortuna eũdem animum gerere. & is demũ vir erit, vt inquit Liuius, cuius animũ nec proſpera fortuna flatu ſuo efferet, nec aduerſa infringet: qualis Camillus deſcri-
» bitur, cùm ait: Nec mihi dictatura ani-
» mos fecit, neq; exilium ademit. exſtantque in hanc rem memorabilia Romanorum exempla: vt dubium ſit, an admirabiliores in aduerſis, an verò in ſecũdis
 rebus,

rebus, Romani fuerint. de quibus fertur *, Neque, ſi vincerentur, animos illis 6 minui ſolere; neque, ſi vincerẽt, ſecundis
a *Iuſtin. l.* 31. rebus inſoleſcere [a]. Itaque Albino conſule, exercitu à Pyrrho cæſo, & clade Cannenſi accepta, quæ certè grauiſsima fuit, iam tertiũ victis ab Annibale; nulla vel minima quidem abiecti animi ſigna edita, nulla mẽtio pacis Romę fuit: quin potiùs magno animo de bello reſtaurando cogitatũ, & octo millia captiuorum, quòd per deditionem, & ſine pugna, in poteſtatẽ Annibalis veniſſent, cùm paruo poſſent redimi, non placuit; ſed octo millia iuuenum validiorum ex ſeruitijs empta, publicè armata ſunt. Hic miles,
b *libro* 22. vt inquit Liuius [b], magis placuit, cùm precio minore redimendi captiuos copia fieret. Similiter Romanis prælio equeſtri victis à Perſeo Macedonũ rege, cùm Perſeus conſilio amicorum, ſuadentium vt ſecunda fortuna in conditione honeſtæ pacis vteretur potiùs, quàm ſpe vana euectus in caſum irreuocabilẽ ſe dares, ad P. Licinium conſ. legatos miſiſſet, qui pacem iiſdem conditionibus peterent, quibus Philippo data erat: ſummotis arbitris, cùm conſultarent, vicit Romana conſtantia in conſilio, inquit Li-
c *libro* 42. uius [c]; & reſponderi placuit, ita pacem dari, ſi de ſumma rerum liberum ſenatui permittat rex de ſe deque vniuerſa Macedo-

cedonia ſtatuēdi ius: victi victoribus eas leges, quæ victis pręſcribi ſolēt, ſtatuentes. ita namque tum mos erat, in aduerſis vultum ſecundæ fortunæ gerere, moderari animos in ſecundis. cui ſimile eſt factum Marcelli, qui exercitu ſuo pridie fuſo fugatoque, poſtridie, grauiter increpitis militibus, in aciē prodijt: quod cùm nunciatum eſſet Annibali, Cum eo nimirum, inquit, hoſte res eſt, qui nec bonam nec malam fortunam ferre poteſt: ſeu vicit, ferociter inſtat victis, ſeu victus eſt, inſtaurat cum victoribus certamen. Marcellus verò magna victoria potitus eſt [a]. itaq; Pyrrhus, fuſis aliquot Romanorum exercitibus, cùm videret, eorum qui ſupereſſent in reparando exercitu feſtinationem, Video me, inquit, planè Herculis ſydere creatũ, cui, quaſi ab angue Lernæo, tot cæſa hoſtiũ capita de ſanguine ſuo renaſcuntur [b]. quæ certè animi magnitudo & conſtantia Romanorum tantum potuit, vt Pyrrhum, quamuis victorē, & magnis copijs aucto eius exercitu, priorem ad pacem petendam cōpulerit. cui, licet æquiſsimas conditiones pacis petēti, auctore Ap. Claudio cæco reſpōderi placuit, vti rex Italia excederet: tum, ſi e re ſua videretur, de amicitia ac ſocietate verba faceret: quoad verò in armis eſſet, populum Rom. aduerſus eum belligeraturũ, etiāſi mille

a *Liuius l.27.*

b *L. Florus de geſt. Rom. l.1. cap.18.*

Albi-

Albinos pugna ſuperaſſet[a]. Et quidem, quemadmodum rebus aduerſis non facilè Romanorum animos conſternari ſolere ſuperioribus exẽplis oſtendimus: ſic nec proſperis inſoleſcere argumento ſit, quòd Scipio Africanus Antiocho victo, pacem petenti, reſpondit: Romani » (inquit) eoſdem in omni fortuna ani- » mos geſsimus, gerimusque: neq; eos ſe- » cundę res extulerunt, neque aduerſę mi- » nuerunt. eius rei, vt alios omittam, An- » nibalem veſtrum vobis darem teſtem, » niſi vos ipſos dare poſſem. poſtquã Hel- » leſpontum traiecimus, priuſquam caſtra » regia, priuſquam aciem videremus, cùm » communis Mars & incertus belli euen- » tus eſſet, de pace vobis agentibus, quas » paribus ferebamus conditiones, eaſdem » nunc victores victis ferimus[b]. eſtq; pro- » fectò hæc animi æquabilitas, & moderatio, non ſolùm magno viro digna, (nam vt Varro ſcribit, ſapiens & bonum ferre debet modicè, & malum fortiter, ac leniter) ſed ſolet etiam plerunq; in rebus gerendis maximi eſſe momenti. ferme enim fit, vt ſecundæ res negligentiam creent. qua fiducia L. Marcius exſtinctis Scipionibus, cum reliquijs exercituum, milites hortatus, bina caſtra Pœnorum in Hiſpania, vbi omnia neglecta & ſoluta inuenit, vna nocte inuaſit, & cepit, hoſtibus cæſis[c]. Amyntas verò, cũ prælio ſupe-

a Plutar. in Pyrrho.

b Liuius l. 37.

c Liuius l. 35.

ſuperior, Ægyptios Memphim, quam obſidebat, compuliſſet, & ſuos ad populandũ agros eduxiſſet; ab hoſtibus, eruptione facta, quòd victores palantes & victoriæ fiducia incautos viderent, cum omnibus ſuis ad internecionem cæſus eſt [a]. Prudenter itaque Q. Fabius Max. dicebat, ſe magis proſpero Minucij collegæ, quàm aduerſo euentu, aliquid timere mali: nec eum ſententia fefellit. nam ſecundis rebus elatus collega, temere cum hoſte cõflixit, & ſe cum exercitu in euidens periculum coniecit: ſed à Fabio ſeruatus fuit [b]. Sic quoque cùm Terẽtius Varro conſ., homo temerarius, in prohibendis prædatoribus, tumultuario quodam prælio ſuperior fuiſſet; haud ægre Annibal id damnũ paſſus eſt: quin potiùs credebat, velut ineſcatam temeritatem ferocis conſulis, & nouorum militum; vt certè accidit. nam ſtolida illorum temeritate, nequicquam reluctãte collega L. Æmilio Paulo, clades illa Cannẽſis Romanis illata eſt. & idem Varro, quemadmodum ante cladem ferox, ita clade accepta humilis, nimirum nudando cladem, Campanorum animos à Romanis auertit [c]. Eſt itaque viro forti maximè enitẽdum, non ſolùm vt non frangatur aduerſis, ſed etiam vt non extollatur ſecundis: eoq; magis, quòd plerumque meliùs malam quàm bonã fortunam

a *Quint. Curtius libro* 4.

b *Liuius l.* 22.

c *Liuius l.* 22. *in fine, & libr.* 23. *in princip.*

tunam

tunam ferre poſſumus. vnde Epimanondas, Leuctrica victoria potitus, poſtridie proceſsit ſqualidus & humilis, ſolitus aliàs vncto corpore & vultu ſereno videri: inquiens, ſe, quòd animo elatior pridie fuiſſet, immoderatum illud gaudium caſtigare [a]. & prudẽter Philippus, cùm Athenienſes, quibus ſe aliquot ciuitates Græcię iunxerant, magno pręlio viciſſet, ita vicit, vt victorẽ nemo ſentiret: & ita inter tacitam lætitiam, & dolorem hoſtium, temperauit, vt neque apud ſuos exultaſſe, neq; apud victos inſultaſſe videretur: cùm tamẽ illa victoria Philippo vniuerſæ Græciæ imperium dederit [b]. Porrò ad officia bellica vel maximè ſpectant duo illa præcepta Platonis *, quæ ijs, qui reipubl. præfuturi 7
ſunt, præſcribuntur: vnum, vt vtilitatem ciuium ſic tueantur, vt, quidquid agant, ad eam referant, obliti commodorum ſuorum: alterum, vt totum corpus reipublicę curent: ne, dum partem aliquam tuentur, reliquas deſerãt. vt enim tutela, ſic procuratio reipubl. ad vtilitatem eorum qui commiſsi ſunt, non ad eorum quibus commiſſa, gerenda eſt [c]. Quare cauendum erit viro forti *, vt Cicero ait, 8
ne pro ſua vtilitate potiùs bella gerat, & periculis ſeſe offerat, quàm pro vtilitate communi. nam animi magnitudo, quæ cernitur in periculis & laboribus, ſi iuſtitia

a Plut. in apopth.

b Iuſtin. lib. 9.

c Cicero offic. libro 1.

ſtitia vacat, pugnatque non ſolùm pro ſalute communi, ſed pro ſuis cõmodis, in vitio eſt. Siquidem rectè Stoici fortitudinem virtutem eſſe dicunt, pugnantem pro æquitate; nihilque honeſtum eſſe poſſe, quod iuſtitia vacat. Animus itaque paratus ad periculum, vt idem Cicero ait, ſi ſua cupiditate, non vtilitate communi, impellitur in pericula, audaciæ potiùs nomen habebit, quàm fortitudinis. Vnde Callicratidas, Lacedæmoniorum dux, meritò reprehenſus, qui claſsis quàm priuatæ gloriæ iacturã facere maluit: atque item Cleombrotus, qui inuidiam timens, temere cum Epaminonda conflixit. quãto rectiùs Q. Fabius Max., qui ſuum imperiũ minui per vanitatem populi maluit, quàm ſecunda fama malè rem gerere! idem L. Æmilium Paulum, ad bellum contra Annibalem cum C. Terẽtio Varrone collega, temerario homine, proficiſcentem monẽs, vt ſedendo cum Annibale bellum gereret, neque temere cum hoſte confligeret, ita allo-
» cutus eſt: Reſiſtes autẽ, inquit, aduerſus
» famam, rumoreſque hominum, ſi ſatis
» firmus ſteteris, ſi te neque collegæ vana
» gloria, neque tua falſa fama mouerit. à
» veritate laborare ius ſæpe aiunt; extin-
» gui nunquam. gloriã qui ſpreuit, veram
» habebit. ſiue timidũ pro cauto, tardum
» pro conſiderato, imbellem pro perito
belli

belli vocent; omnia audentē contemnet»
a Liuius l.22. Annibal, nihil temere agētem metuet [a].»
Exſtat quoque in hanc ſententiam præclara Lentuli principis viri oratio, Romanis ad furcas Caudinas incluſis, & à Samnitibus legatione accepta, non alias conditiones pacis eſſe, quàm ſi inermes cum ſingulis veſtimētis ſub iugum mitterentur; in hæc verba: Patrem meum,» inquit, conſules, ſæpe àudiui memoran-» tem, ſe in capitolio vnum non fuiſſe au-» ctorem ſenatui, rediměndæ auro à Gallis» ciuitatis, quando nec foſſa valloque, ab» ignauiſsimo ad opera ac muniēdum ho-» ſte, clauſi eſſent; & erumpere, ſi non ſine» periculo magno, tamen ſine certa perni-» cie poſſent. quòd ſi, vt illis, decurrere ex» capitolio armatis in hoſtem licuit, (quo» ſæpe modo obſeſsi in obſidentes erupe-» runt) ita nobis æquo aut iniquo loco di-» micandi tantummodo cum hoſte copia» eſſet; non mihi paterni animi indoles in» conſilio dādo deeſſet. Equidem mortem» pro patria præclaram eſſe fateor, & me» vel deuouere pro populo Rom. legioni-» buſque, vel in medios me committere» hoſtes paratus ſum. ſed hîc patriā video,» hîc quicquid Romanarū legionum eſt:» quaſi pro ſeipſis ad mortē ruere volunt:» quid habent quod morte ſua ſeruent?» tecta vrbis, dicat aliquis, & mœnia, & eā» turbā à qua vrbs incolitur. imò hercule»
pro-

diuitijs humana ſpernunt; neq; honori magno locum, neque virtuti, putát eſſe, niſi vbi effusè affluant opes. Attilium quoque, qui ad eum accerſendum à ſenatu miſsi erant, ad imperium populi Romani ſuſcipiendum, ſemina ſpargentem viderunt: ſed illæ ruſtico opere attritæ manus ſalutem publicam ſtabiliuerunt, & ingentes hoſtium copias peſſum dederũt [a]. Porrò in ſummo impera- a *Val. Max. lib. 4. cap. 4.*
6 tore*quattuor has rês eſſe oportere exiſtimat Cicero[b]; ſcientiá rei militaris, virtutem, auctoritatem, & felicitatem: vir- b *pro lege Manil.*
7 tutes autem imperatoris*præcipuas has eſſe; laborem in negotijs, fortitudinem in periculis, induſtriam in agendo, celeritatem in conficiendo, conſiliũ in prouidendo. nihil tamen quicquam magna laude dignum ſine vſu & exercitatione conſequetur. nam quemadmodum in ceteris artibus, ſic quoque in arte imperatoria tria ſpectātur: natura, doctrina, & vſus. natura ingenio, doctrina ſcientiâ, vſus fructu dijudicandus eſt. Ceterùm cùm nuſquam minùs quàm in bello euentus reſpondeant; ideoque maximæ cuique fortunę minimè credendum ſit, vt Annibal Scipioni dicebat: omnino cauẽdum erit imperatori, ne temere
8 cum hoſte confligat*, & aleam belli ſubeat, ſed cauta potiùs cum ratione quàm proſpera ex caſu ſequatur: & eum ratio

DE IVRE ET OFFICIIS BELLICIS, ET DISCIPLINA MILITARI, LIBER SECVNDVS.

DE OFFICIIS BELLICIS.

1 *Non niſi ex iuſta cauſa bellum gerendum.*
2 *Dominandi cupiditas multa mala ſecum adfert.*
3 *Ad bellum non niſi neceſſariò veniẽdum.*
4 *Nonnunquam victoria plus amittitur, quàm acquiritur.*
5 *Secunda moderatè, aduerſa fortiter ferenda.*
6 *Romani neque victores inſoleſcere, neque victi deprimi ſolent.*
7 *Duo præcepta Platonis ad officia bellica maximè ſpectant.*
8 *Vir fortis nihil pro ſua, omnia pro communi vtilitate faciet.*
9 *Quacunque ratione patriæ conſulendum.*
10 *Mori pro republica glorioſum.*
11 *Non ſunt damnandi, qui in bello ſe obijciunt mortis periculo.*
12 *Pro patriæ ſalute licet patrem vel filium occidere.*
13 *In bello non eſt ſuſcipienda defenſio eorum, quæ commodè defendi non poſſunt.*

14 *Non temere deſerenda, quæ hoſtium impetum ferre poſſunt.*

15 *Non nimium ſæuiendum in victos.*

CAPVT PRIMVM.

CVM primum iuſtitiæ munus ſit, vt inquit Cicero [a], ne cui quis noceat, niſi laceſsitus iniuria: ad officia a offic. lib. 1.
1 bellica in primis ſpectat *, vt non niſi ex iuſta cauſa bellum geratur, ne ius humanæ ſocietatis violetur; & abſit omnis dominandi cupiditas, quæ non ſolùm cum iuſtitia pugnat, ſed ſolet etiam ſecum adferre multa incom-
2 moda *. nam, vt inquit Liuius, nulla magna ciuitas quieſcere poteſt, ſi foris hoſtē non habet, domi inuenit: vt præualida corpora ab externis cauſis tuta videntur, ſed ſuis ipſa viribus onerātur: &, vt legati Darij Alexandro dicebant, periculoſum eſt prægraue imperium; & difficile continere, quæ capere non poſſis [b]. quare D. Auguſt [c]. Quemadmodū b Quintus Curt. lib. 4. (inquit) in corporibus hominum ſatius c de ciuit. Dei lib.3.cap.10. eſt modicam ſtaturam cum ſanitate habere, quàm ad molem aliquam giganteam perpetuis afflictionibus peruenire; nec, cùm perueneris, quieſcere, ſed quanto grauioribus membris, tāto maioribus agitari malis: ſic imperium par-

unum & quietum præſtat magno & inquieto. quod indicaſſe quoque videtur Calanus Indus, in philoſophiæ ſtudijs magni nominis: qui ad Alexandrum Magnum veniens, bubulam pellem aridam in medium coniecit, obambulanſque eius extrema pedibus premebat: pellis cùm ad vnam tantùm partem calcaretur, reliquis in altum attollebatur. eo facto, media deinceps firmus inſtitit, atque ita pellis vndique immota conquieuit: tali exemplo Alexandrum commonens, ne in longinquis locis tempus tereret, ſed imperij medium tueretur; ita enim in eius finibus quietura omnia [a]. idque etiam Lacedæmoniorum exẽplo ſatis docemur: qui cùm terra marique vniuerſæ Græciæ imperarent, tantaque jam dominandi cupiditate flagrarent, vt Aſiam omnem ſuo imperio ſubigere affectarent, tantum ex ea re inuidiæ atque odij contraxerunt, vt & imperiũ & libertatem amiſerint. Prudenter itaque Theopompus, Spartanorum rex, cùm primus Spartæ regibus Ephoros adiunxiſſet, exprobranti vxori, quòd filijs regnum minus, quàm accepiſſet, relicturus eſſet; reſpondit, tanto id maius eſſe relicturum, quanto firmius [b]. & hanc quoque ſententiam cõprobaſſe videtur armatus Annibal, cùm ad Scipionẽ ait: „Optimum fuerat, eam patribus noſtris men-

a in vita Alexand.

b Plut. ad princip. erud.

„ mentem datam à dijs eſſe, vt vos Italiæ,
„ nos Africæ imperio contēti eſſemus: ita
„ aliena appetiuimus, vt de noſtris dimicaremus[a]. Cùm itaque in omnibus negotiis, vt inquit Cicero[b], tum præſertim in bello, priuſquā aggrediare, adhibenda eſt præparatio diligens, & percipienda cogitatione futura: & aliquando antè conſtituendum, quid accidere poſsit, in vtramque partem; & quid agendum ſit, cùn quid euenerit: nec committendum aliquid, vt aliquando dicendum ſit, Non putaram: quam Iphicrates turpiſsimam eſſe vocē imperatoris dicebat[c]. Et quidem, vt ad ſecandū & vrendū medici*,
3 ſic nos ad bella raró inuitiq; veniemus, nec vnquam, niſi neceſſarió, ſi nulla reperietur alia medicina; exēplo Auguſti, qui admodū bella omnia execratus eſt, & non niſi ex maxima cauſa vnquā bellum alicui genti indixit. iactantis enim ingenij & leuiſsimi eſſe dicebat, ardore triumphandi, & ob lauream coronam, in diſcrimen, per incertos euentus certaminum, ſecuritatem ciuium præcipitare. Bellum quoque non ſuſcipiendum, niſi maior emolumēti ſpes quàm damni metus oſtendatur. alioqui verò, vt Archidamus Eleos inconſideratè bellum mouentes monuit, bonum erit quieſcere[d]. nam vt idem Auguſtus dicebat, minima commoda non minimo ſectantes diſ-

a *Liuius l. 30.*
b *offic. lib. 1.*
c *Plut. in apophth.*
d *Plut. in apopb. Lac.*

diſcrimine, ſimiles ſunt hamo aureo piſcantibus, cuius abrupti amiſsiq́ue detrimentũ nullo capturæ lucro penſari poteſt[a]. quare non erit conſultum, iis, qui inopes ſint, bellum inferre. Cuius rei exẽplo eſſe poteſt Seſoſtris rex Ægypti, qui primùm Scythis bellũ intulit, miſsis priùs legatis, qui hoſtibus parẽdi legem dicerent. quibus Scythæ reſponderunt, ſe mirari tam opulenti populi regẽ ſtolidè aduerſus inopes occupare bellum, cùm magis domi fuerit illi timendum; quòd belli certamen anceps, præmia victoriæ nulla, damna manifeſta eſſent: igitur nõ exſpectaturos Scythas, vt ad ſe veniatur; cùm tãto ſibi in hoſte plura concupiſcenda ſint, vltroq́ue produturos obuiam: quod & fecerunt, & regem in fugam verterunt[b]. Expetenda eſt itaque magis decernendi ratio, quàm decertandi fortitudo: & priùs omnia experiri, quàm armis certare, ſapientẽ decet. quare Spartanorũ mos iure laudari poteſt, qui ante hoſtium congreſſum Amori ſacra faciebant: & reges Lacedæmonii, antequam ſigna inferrent, Muſis immolabant, Clementiæ & Amicitiæ, non Marti: ſatius ducentes, pactione hoſtium animos, & pace incruenta, conciliare, quàm prælij ſubire aleam. ſed vbi tẽpus neceſſitasq́; poſtulat, decertandum manu erit, & honeſtum bellum, ex Demoſthenis

a *Tren. in Auguſto.*

b *Iuſtin. lib. 2.*

ſthenis ſententia, ſemper turpi paci præ-
ferendum erit. prudenter quoque Spar-
tana ciuitas, ſeueriſsimis Lycurgi legi-
bus obtemperans, aliquandiu ciuium
ſuorum oculos à contemplanda Aſia re-
traxit; ne illecebris eius capti, ad delica-
tius vitę genus prolaberentur. quod eos
non fruſtra timuiſſe, dux ipſorum Pau-
ſanias ſatis oſtendit: qui magnis rebus
geſtis, vt primùm ſe Aſiæ moribus per-
miſit, fortitudinem ſuam effeminato
eius cultu, vt ait Valer. Max. [a], emollire a *lib.2.cap.6.*
non erubuit. Fit itaque plerumque, vt
4 plus iſtiuſmodi victorijs amittatur*, quã
quæratur: vt eadem Aſia teſtis eſt; quæ
facta Romanorum, cum opibus ſuis,
etiã vitia Romã trãſtulit [b]. Eſt verò for- b *Iuſtin. l.36.*
5 tis * animi, qualẽ in bello requirimus,
ſecũda moderatè, aduerſa fortiter ferre:
non perturbari in rebus aſperis, nec tu-
multuantem de gradu deijci, vt dicitur;
ſed pręſentis animi vti conſilio: nec à ra-
tione diſcedere, ſed in omni fortuna eũ-
dem animum gerere. & is demũ vir erit,
vt inquit Liuius, cuius animũ nec pro-
ſpera fortuna flatu ſuo efferet, nec ad-
uerſa infringet: qualis Camillus deſcri-
›› bitur, cùm ait: Nec mihi dictatura ani-
›› mos fecit, neq; exilium ademit. exſtant-
que in hanc rem memorabilia Roma-
norum exempla: vt dubium ſit, an admi-
rabiliores in aduerſis, an verò in ſecũdis
 rebus,

rebus, Romani fuerint. de quibus fertur *, Neque, ſi vincerentur, animos illis minui ſolere; neque, ſi vincerẽt, ſecundis rebus inſoleſcere [a]. Itaque Albino conſule, exercitu à Pyrrho cæſo, & clade Cannenſi accepta, quæ certè grauiſsima fuit, iam tertiũ victis ab Annibale; nulla vel minima quidem abiecti animi ſigna edita, nulla mẽtio pacis Romę fuit: quin potiùs magno animo de bello reſtaurando cogitatũ, & octo millia captiuorum, quòd per deditionem, & ſine pugna, in poteſtatẽ Annibalis veniſſent, cùm paruo poſſent redimi, non placuit; ſed octo millia iuuenum validiorum ex ſeruitijs empta, publicè armata ſunt. Hic miles, vt inquit Liuius [b], magis placuit, cùm precio minore redimendi captiuos copia fieret. Similiter Romanis prælio equeſtri victis à Perſeo Macedonũ rege, cùm Perſeus conſilio amicorum, ſuadentium vt ſecunda fortuna in conditione honeſtæ pacis vteretur potiùs, quàm ſpe vana euectus in caſum irreuocabilẽ ſe daret, ad P. Licinium conſ. legatos miſiſſet, qui pacem iiſdem conditionibus peterent, quibus Philippo data erat: ſummotis arbitris, cùm conſultarent, vicit Romana conſtantia in conſilio, inquit Liuius [c]; & reſponderi placuit, ita pacem dari, ſi de ſumma rerum liberum ſenatui permittat rex de ſe deque vniuerſa Macedo-

a Iuſtin. l. 31.

b libro 22.

c libro 42.

cedonia ſtatuẽdi ius: victi victoribus eas leges, quæ victis pręſcribi ſolet, ſtatuentes. ita namque tum mos erat, in aduerſis vultum ſecundæ fortunæ gerere, moderari animos in ſecundis. cui ſimile eſt factum Marcelli, qui exercitu ſuo pridie fuſo fugatoque, poſtridie, grauiter increpitis militibus, in aciẽ prodijt: quod cùm nunciatum eſſet Annibali, Cum eo nimirum, inquit, hoſte res eſt, qui nec bonam nec malam fortunam ferre poteſt: ſeu vicit, ferociter inſtat victis; ſeu victus eſt, inſtaurat cum victoribus certamen. Marcellus verò magna victoria potitus eſt [a]. itaq; Pyrrhus, fuſis aliquot Romanorum exercitibus, cùm videret, eorum qui ſupereſſent in reparando exercitu feſtinationem, Video me, inquit, planè Herculis ſydere creatũ, cui, quaſi ab angue Lernæo, tot cæſa hoſtiũ capita de ſanguine ſuo renaſcuntur [b]. quæ certè animi magnitudo & conſtantia Romanorum tantum potuit, vt Pyrrhum, quamuis victorẽ, & magnis copijs aucto eius exercitu, priorem ad pacem petendam cõpulerit. cui, licet æquiſsimas conditiones pacis petẽti, auctore Ap. Claudio cæco reſpõderi placuit, vti rex Italia excederet: tum, ſi e re ſua videretur, de amicitia ac ſocietate verba faceret: quoad verò in armis eſſet, populum Rom. aduerſus eum belligeraturũ, etiãſi mille Albi-

a *Liuius l. 27.*

b *L. Florus de geſt. Rom. l. 1. cap. 18.*

a Plutar. in Pyrrho.

Albinos pugna ſuperaſſet[a]. Et quidem, quemadmodum rebus aduerſis non facilè Romanorum animos conſternari ſolere ſuperioribus exēplis oſtendimus: ſic nec proſperis inſoleſcere argumento ſit, quòd Scipio Africanus Antiocho victo, pacem petenti, reſpondit: Romani „ (inquit) eoſdem in omni fortuna ani- „ mos geſsimus, gerimusque: neq; eos ſe- „ cundę res extulerunt, neque aduerſę mi- „ nuerunt. eius rei, vt alios omittam, An- „ nibalem veſtrum vobis darem teſtem, „ niſi vos ipſos dare poſſem. poſtquā Hel- „ leſpontum traiecimus, priuſquam caſtra „ regia, priuſquam aciem videremus, cùm „ communis Mars & incertus belli euen- „ tus eſſet, de pace vobis agentibus, quas „ paribus ferebamus conditiones, eaſdem „ nunc victores victis ferimus[b]. eſtq; pro- „ fectò hæc animi æquabilitas, & moderatio, non ſolùm magno viro digna, (nam vt Varro ſcribit, ſapiens & bonum ferre debet modicè, & malum fortiter, ac leniter) ſed ſolet etiam plerunq; in rebus gerendis maximi eſſe momenti. fermè enim fit, vt ſecundæ res negligentiam creent. qua fiducia L. Marcius exſtinctis Scipionibus, cum reliquijs exercituum, milites hortatus, bina caſtra Pœnorum in Hiſpania, vbi omnia neglecta & ſoluta inuenit, vna nocte inuaſit, & cepit, hoſtibus cæſis[c]. Amyntas verò, cū prælio ſupe-

b Liuius l. 37.

c Liuius l. 35.

ſuperior, Ægyptios Memphim, quam obſidebat, compuliſſet, & ſuos ad populandũ agros eduxiſſet; ab hoſtibus, eruptione facta, quòd victores palantes & victoriæ fiducia incautos viderent, cum omnibus ſuis ad internecionem cæſus eſt [a]. Prudenter itaque Q. Fabius Max. dicebat, ſe magis proſpero Minucij collegæ, quàm aduerſo euentu, aliquid timere mali: nec eum ſententia fefellit. nam ſecundis rebus elatus collega, temere cum hoſte cõflixit, & ſe cum exercitu in euidens periculum coniecit: ſed à Fabio ſeruatus fuit [b]. Sic quoque cùm Terẽtius Varro conſ., homo temerarius, in prohibendis prædatoribus, tumultuario quodam prælio ſuperior fuiſſet; haud ægre Annibal id damnũ paſſus eſt: quin potiùs credebat, velut ineſcatam temeritatem ferocis conſulis, & nouorum militum; vt certè accidit. nam ſtolida illorum temeritate, nequicquam reluctãte collega L. Æmilio Paulo, clades illa Cannẽſis Romanis illata eſt. & idem Varro, quemadmodum ante cladem ferox, ita clade accepta humilis, nimirum nudando cladem, Campanorum animos à Romanis auertit [c]. Eſt itaque viro forti maximè enitẽdum, non ſolùm vt non frangatur aduerſis, ſed etiam vt non extollatur ſecundis: eoq; magis, quòd plerumque melius malam quàm bonã fortunam

a *Quint. Curtius libro 4.*
b *Liuius l. 22.*
c *Liuius l. 22. in fine, & libr. 23. in princip.*

tunam

tunam ferre poſſumus. vnde Epimanondas, Leuctrica victoria potitus, poſtridie proceſsit ſqualidus & humilis, ſolitus aliàs vncto corpore & vultu ſereno videri: inquiens, ſe, quòd animo elatior pridie fuiſſet, immoderatum illud gau-
a Plut. in apopth. dium caſtigare [a]. & prudēter Philippus, cùm Athenienſes, quibus ſe aliquot ciuitates Græciȩ iunxerant, magno prȩlio viciſſet, ita vicit, vt victorē nemo ſentiret: & ita inter tacitam lætitiam, & dolorem hoſtium, temperauit, vt neque apud ſuos exultaſſe, neq; apud victos inſultaſſe videretur: cùm tamē illa victoria Philippo vniuerſæ Græciæ imperium
b Iuſtin. lib. 9. dederit [b]. Porrò ad officia bellica vel maximè ſpectant duo illa præcepta Platonis *, quæ ijs, qui reipubl. præfuturi 7
ſunt, præſcribuntur: vnum, vt vtilitatem ciuium ſic tueantur, vt, quidquid agant, ad eam referant, obliti commodorum ſuorum: alterum, vt totum corpus reipublicȩ curent: ne, dum partem aliquam tuentur, reliquas deſerát. vt enim tutela, ſic procuratio reipubl. ad vtilitatem eorum qui commiſsi ſunt, non ad eorum
c Cicero offic. libro 1. quibus commiſſa, gerenda eſt [c]. Quare cauendum erit viro forti *, vt Cicero ait, 8
ne pro ſua vtilitate potiùs bella gerat, & periculis ſeſe offerat, quàm pro vtilitate communi. nam animi magnitudo, quæ cernitur in periculis & laboribus, ſi iu-
ſtitia

ſtitia vacat, pugnatque non ſolùm pro ſalute communi, ſed pro ſuis cōmodis, in vitio eſt. Siquidem rectè Stoici fortitudinem virtutem eſſe dicunt, pugnantem pro æquitate; nihilque honeſtum eſſe poſſe, quod iuſtitia vacat. Animus itaque paratus ad periculum, vt idem Cicero ait, ſi ſua cupiditate, non vtilitate communi, impellitur in pericula, audacię potiùs nomen habebit, quàm fortitudinis. Vnde Callicratidas, Lacedæmoniorum dux, meritò reprehenſus, qui claſsis quàm priuatæ gloriæ iacturā facere maluit: atque item Cleombrotus, qui inuidiam timens, temere cum Epaminonda conflixit. quãto rectiùs Q. Fabius Max., qui ſuum imperiũ minui per vanitatem populi maluit, quàm ſecunda fama malè rem gerere! idem L. Æmilium Paulum, ad bellum contra Annibalem cum C. Terẽtio Varrone collega, temerario homine, proficiſcentem monẽs, vt ſedendo cum Annibale bellum gereret, neque temere cum hoſte confligeret, ita allocutus eſt: Reſiſtes autẽ, inquit, aduerſus famam, rumoreſque hominum, ſi ſatis firmus ſteteris, ſi te neque collegæ vana gloria, neque tua falſa fama mouerit. à veritate laborare ius ſæpe aiunt; extingui nunquam. gloriã qui ſpreuit, veram habebit. ſiue timidũ pro cauto, tardum pro conſiderato, imbellem pro perito belli

diuitijs humana ſpernunt; neq; honori
magno locum, neque virtuti, putát eſſe,
niſi vbi effusè affluant opes. Attilium
quoque, qui ad eum accerſendum à ſe-
natu miſsi erant, ad imperium populi
Romani ſuſcipiendum, ſemina ſpargen-
tem viderunt: ſed illæ ruſtico opere at-
tritæ manus ſalutem publicam ſtabili-
uerunt, & ingentes hoſtium copias peſ-
ſum dederũt [a]. Porrò in ſummo impera- *a Val. Max.*
6 tore* quattuor has rès eſſe oportere exi- *lib. 4. cap. 4.*
ſtimat Cicero [b]; ſcientiã rei militaris, vir- b *pro lege*
tutem, auctoritatem, & felicitatem: vir- *Manil.*
7 tutes autem imperatoris* præcipuas has
eſſe; laborem in negotijs, fortitudinem
in periculis, induſtriam in agendo, cele-
ritatem in conficiendo, conſiliũ in pro-
uidendo. nihil tamen quicquam magna
laude dignum ſine vſu & exercitatione
conſequetur. nam quemadmodum in
ceteris artibus, ſic quoque in arte impe-
ratoria tria ſpectitur: natura, doctrina,
& vſus. natura ingenio, doctrina ſcien-
tià, vſus fructu dijudicandus eſt. Cete-
rùm cùm nuſquam minùs quàm in bel-
lo euentus reſpondeant; ideoque maxi-
mæ cuique fortunę minimè credendum
ſit, vt Annibal Scipioni dicebat: omni-
no cauẽdum erit imperatori, ne temere
8 cum hoſte confligat*, & aleam belli ſub-
eat, ſed cauta potiùs cum ratione quàm
proſpera ex caſu ſequatur: & eum ratio
N ducat,

ducat, nõ fortuna, quę fallax eſt, & paruis momentis magnas rerum commutationes efficit. Itaq; Cæſarem legimus, extremo vitæ tempore cunctátiorem ad dimicãdum factum: quo ſæpius viciſſet, hoc minùs experiẽdos caſus exiſtimans: neque ſe tantum acquiſiturum victoria, quantum auferre calamitas poſſet[a]. Et quidẽ ſicut felicitas rerum geſtarum, vt inquit Cæſar, exercitus beneuolẽtiam: ſic res aduerſę, odia cõciliant: quare conſultius, tutius, & glorioſius quoque erit imperatori, vbicunq; poterit, ingenio & ratione hoſtẽ ſuperare; ex Periclis ſententia, quàm gladio. vt enim multo maiora ſunt opera animi quàm corporis, vt ait Cicero; ſic ex res; quas proſequimur ingenio, gratiores ſunt, quàm illæ quas viribus. quod etiam ſignificaſſe videtur Lacedemonij: apud quos dux, qui fortiter dimicaſſet, & cruẽto Marte magnaque hoſtium clade viciſſet, trophęi loco gallũ: qui verò deditione & pacto, induſtria ſua, nec nimis cruẽta victoria potitus, belli mala vitaſſet, bouem immolabat. Dion quoq; in libris ſuis, qui de regno inſcribũtur, dicit longè maiora geri paucorũ cõſilio, quàm multitudine aut viribus. quod etiã Homerus indicat, cùm Agamemnonem inducit aſſerentẽ, ſe longè facilius poſſe rem Troianam euertere, ſi decem Neſtores, aut Vliſſes in con-

a *Suet. in vita C. Cæſar.*

cōſilio haberet, quàm ſi totidem Aiaces & Achilles fortiter dimicantes. quò ſpectant illa verba Vliſsis ad Aiacem, apud Ouidium:[a] a *Metamorp.* 13.

Quippe manu fortes, nec ſunt tibi Marte ſe- (*cundi:*
Conſiliis ceſſere meis: tibi dextera bello
Vtilis: ingeniū eſt quod eget moderamine noſtro.
Tu vires ſine mēte geris, mihi cura futuri eſt:
Tu pugnare potes; pugnandi tempora mecum
Eligit Atrides: tu tantùm corpore prodes;
Nos animo: quantoq; ratē qui temperat, anteit
Remigis officiū: quanto eſt dux milite maior:
Tātum ego te ſupero: nec nō in corpore noſtro
Pectora ſunt potiora manu: vigor ōnis in illis.

Et cetera, quæ carmine proſequitur Ouidius: vbi dicit arma Achillis, de quibus cum Aiace contēdebat Vliſſes, quæque digniori erant propoſita, in præmiū Vliſſi tributa fuiſſe. non itaque tantùm in viribus corporis & lacertis fortitudinis gloria eſt: ſed magis in virtute animi, vt inquit Ambroſius[b]. Vnde quoque gigantes, de quibus in ſacris litteris; quāuis viribus & corpore præſtarent; quoniam non habuerunt ſapientiam, perierunt propter ſuam inſipientiam[c]: contrà verò de viro ſapiente ſcriptum eſt: Surrexit filius ſenſatus, & propter illum deiecit omnem potentiam inimicorum[d].

b *de off. l.* 1.
c *Baruch. c.* 3.
d *Eccleſ. c.* 47.

10 *Cautus ergo imperator & prudens, ex Euripidis ſententia, audaci & temerario

præferendus eſt. conſilio enim ſapienti, vt idem dicebat, magna militum manus vinci poteſt. ſic Xerxes, qui tot hominũ millia contra Græcos duxerat, vnius Themiſtoclis induſtria ſuperatus fuit. Quare Ariſtides dicebat, non armis ſolùm contra hoſtes, ſed conſilio in primis vtendũ eſſe. nam cùm conſilio & induſtria ſuperiores euadere poſſumus, quid opus eſt pericula ſuſcipere? Hinc rei militaris periti, in eo præcipuam imperatoris laudem conſtituunt*, ſi ea ratione 11
bellũ gerat, qua ipſe, & exercitus, quàm commodiſsimè re frumentaria, aqua, ligno, pabulo vtatur; hoſtis verò ijs omnibus prohibeatur, & inopia, ſi fieri poteſt, ad deditionem compellatur: & vt maximè ſe tutò dimicare poſſe exiſtimet, tamẽ tutius arbitretur, obſeſsis vijs, cõmeatu intercluſo, ſine vulnere victoria potiri. quæ ratio Iulio Cæſari, ſummo imperatori, maximè probabatur: cui erat propoſitum, vt non niſi coactus prælium committeret cum Afranio, & Petreio, Pompeianarum partium. nam in eam ſpem venerat, ſe ſine pugna, & ſine vulnere ſuorum, rem conficere poſſe; quòd re frumentaria aduerſarios interclusiſſet: cur etiã ſecundo prælio aliquos ex ſuis amitteret, ſecum penſitans: cur vulnerari pateretur optimè meritos de ſe milites: cur denique fortunam peri-

clitaretur: præſertim cùm non minus eſſet imperatoris conſilio ſuperare, quàm gladio. & tádem omnium rerum inopia coactos aduerſarios ad deditioné compulit[a]. & hac ratione facile fuiſſet Pompeio, Cæſarem ad Pharſalum egeſtate omnium rerũ opprimere, vt propoſuerat; niſi à ſuis, Dyrrhachina victoria elatis, ſe à propoſito dimoueri paſſus fuiſſet[b]. Fabius autem Max. ex hoc genere belli gerendi ſummam laudem meruit, etiam ipſius hoſtis Annibalis teſtimonio, qui dicebat, ſe magis à non pugnante Fabio, quàm à pugnante Marcello, timere: nec eum ſententia fefellit. nam Fabius ſuis artibus eò iam Annibalem ſedendo redegerat, vt non ſolùm nihil ex raptis in diem cõmeatibus ſuperaret, ſed ne vnde raperet quidem, quicquam reliqui eſſet, omni vndique frumento, poſteaquam ager parum tutus erat, in vrbes munitas conuecto, vt vix decem dierum, quod cõpertum poſtea eſt, frumentum ſupereſſet, Hiſpanorũ ob inopiam tranſitio parata fuerit, ſi maturitas temporum expectata fuiſſet: quam Terentius Varro conſ. ſua temeritate impediuit; cuius aduentu Annibal, in hiſce difficultatibus conſtitutus, quáuis parte dimidia auctas hoſtiũ copias cernebat, mirè gaudebat, ſperans, id quod accidit, fortunam præpoſtero ingenio & temeritati

a *Cæſ. de bel. ciuil. lib. 1.*

b *Appian. de bel. ciuil. lib. 2.*

ritati conſulis materiam daturam: cuius culpa ingens illa clades Cannenſis Romanis illata fuit[a]. hoc quoque conſilio C. Sulpitio dictatori aduerſus Gallos, neutiquam placebat, quando nulla cogeret res, fortunæ ſe cõmittere, aduerſus hoſtem, quem tempus deteriorẽ in dies, & locus alienus faceret; ſine præparato commeatu, ſine firmo munimento morantẽ: ad hoc ijs animis corporibusque, quorum omnis in impetu vis eſſet, parua eadem langueſcere mora[b]. Alexãder verò, cùm Leucadiam obſideret, paſſus eſt ex finitimis locis omnes eò confugere, vt citiùs alimenta, quæ habebãt, conſumerentur: quibus cõſumptis, facilem victoriam conſecutus eſt. & Antigonus, vaſtatis Athenienſium agris, ſementis tempore deceſsit: & quod reliquum habebant frumenti, in ſationes ſparſo, reuerſus nouo verè adultam ſegetem protriuit, & ad famem redactos Atheniẽſes, in ſuam volũtatem pertraxit. Vnde præcepti Cãbyſis meminiſſe debemus, quo Cyrum filium monuit, nunquam exſpectandam eſſe egeſtatem, & in rerũ copia, maximè de inopia cogitandum. ſæpius enim videmus exercitum conſumi penuria, quàm pugna: &, vt ait Vegetius, ferro ſæuior eſt fames. Itaq;, vt diximus, hiſce artibus præcipuè ſuperandi ſunt hoſtes, neque temere in acie verſandũ, niſi

a Liuius l.22.

b Liuius l.7.

niſi vbi tempus neceſsitaſque poſtulat: exemplo Scipionis, qui in Numantinos miſſus, cùm vidiſſet coniunctam cum inſania hoſtium temeritatem, dicebat ſe tempore redimere hoſtiũ temeritatem, & quod loco ſapientiæ eſt, alienã operiri ſtultitiam. bonum enim imperatorem, itidem vt medicũ, ad malum curandum vltimo demum loco ferrũ adhibere debere: nihilominus tamen ſuo tempore adortus Numantinos fudit[a]. His aſcribi poſſe videtur conſilium Sertorij, qui proſcriptione Syllana dux Luſitanorũ fieri coactus, cùm eos oratione flectere non poſſet, ne cum vniuerſa Romanorum acie confligerent; duos in cõſpectu eorum conſtituit equos, alterum validiſsimum, alterum infirmiſsimũ: ac deinde validi caudã ab imbecillo ſene paulatim carpi: infirmi à iuuene eximiarum virium vniuerſam conuelli iuſsit: ſubijciens, equi caudæ conſimilem eſſe Romanorum exercitũ, cuius partes aliquis aggrediẽs opprimere poſsit; vniuerſum conatus proſternere, celeriùs tradiderit victoriã, quàm occupauerit. quo exemplo Sertorius barbaros, quos ratione flectere non poterat, in ſuam ſentẽtiam pertraxit[b]. Porrò quemadmodum non temere fortuna tentãda eſt, & ardua ſuſ-
12 cipienda: ſic ab inceptis * non facilè diſcedendum eſt, exemplo Marcelli, cùm e-

a Plut. in Apophth.

b Val. Max. lib.7. cap.3.

nim multa ſuccedentes temere mœnibus, in oppugnatione Caſilini, Romani milites acciperēt vulnera, neque ſatis cœptis ſuccederet, & Fabius omittēdam rem paruam, ac iuxtà magnis difficilem, & abſcedendum inde cenſeret, quòd res maiores inſtarent: Marcellus, multa magnis ducibus ſicut non aggredienda, ita ſemel aggreſſa non dimittenda eſſe dicendo, quia magna famæ momenta in vtramque partem fierent, tenuit ne incepto abiretur [a]. Quare laudandi quoq; Cæſaris milites, qui cùm in obſidione Auarici omnium rerum difficultate afficerentur, & Cæſar ob inopiam ſe dimiſſurum oppugnationem diceret; vniuerſi ab eo, ne infecta re diſcederet, petebant: hoc ſe ignominiæ loco laturos, ſi inceptā oppugnationem relinquerēt, dicendo [b]. fama ſiquidem bella ſtare meritò ſummi duces exiſtimauere, & eum, qui recedebat, fugere credi. Vnde cùm in reliquis rebus, tum præſertim in bello conſtantia *atque fiducia imperatoris plurimum 13
præſtant, & ſæpe ad vniuerſi belli euentū maximi ſunt momenti. cuius rei ſpecioſa exempla nobis præbent Romani; & in primis, quòd Cannenſi clade, exhauſtis imperij viribus, ſupplemētum exercitus in Hiſpaniam mittere auſi, fecerunt ne hoſtilium locus caſtrorum, tum maximè Capenam portam armis Annibale pulſante,

a *Liuius l.24.*

b *Cæſ. de bel. Gall. lib. 7.*

ſante,

ſante, minoris veniret, quàm ſi Pœni illã
non obtinuiſſent. Ita ſe gerere, inquit
Val. Max[a]., quid aliud eſt, quàm ſęuien- a lib. 3. c. 7.
tem fortunam in adiutorium ſui pudore
victam conuertere? Quò ſpectat, quod
Cæſar dicebat, ſi non omnia ſecunda ce-
derẽt, fortunam eſſe induſtria ſubleuan-
dam. Pari fiducia Scipio Aphricanus
ſpeculatores Annibalis, in caſtris ſuis de-
prehenſos, nec ſupplicio affecit, nec de
conſilijs & viribus Pœnorum percũcta-
tus eſt: ſed traditos eos tribunis militũ,
iuſſoſq; omiſſo metu viſere omnia, per
caſtra, quò vellẽt, duci iuſsit: percuncta-
tusque ſatin' percommodè omnia ex-
ploraſſent, datis qui proſequerentur re-
trò ad Annibalẽ dimiſit., quo tam pleno
fiduciæ ſpiritu Scipio priùs animos ho-
ſtium, vt inquit Val. Maxim[b]., quàm ar- b lib. 3. c. 7.
ma contudit: nam Annibal, maximè ho-
ſtis fiducia perculſus, protinus nuncium
ad Scipionem miſit, vt colloquendi ſe-
cum poteſtatem faceret: æquiorem im-
petrari poſſe pacẽ ratus, ſi integer quàm
ſi victus peteret[c]. Porrò ſummi duces c Liuius l. 30.
facilè percipientes, quantum haberet in
ſe boni conſtantia, atque fiducia, ſolent
ante conflictum magno ſtudio illud a-
14 gere*, quo maximè confidẽtem ſibi red-
derent exercitum, & militum animos
confirmarent: quod varijs modis facie-
bant. Valerius Coruinus dictator, cum

Samnitibus bellum gerens, priuſquam ſignum pugnę proponeret, leuibus certaminibus, tentandi hoſtis cauſa, aliquot dies moratus eſt, ne ſcilicet nouum bellum ſuos nouuſque hoſtis terreret [a]. Q. Fabius conſul, decertaturus cum Hetruſcis, quò animus militum multitudine territus reſtitueretur, Samnitium bella, quę magna felicitate confecerant, extollebat; eleuabat Hetruſcos, nec hoſtê hoſti, nec multitudinem multitudini comparandam eſſe aiebat: prætereà telum aliud occultum ſciturus in tempore, interea taceri opus eſſe: quibus ambagibus prodi ſimulabat hoſtes, & ſuos mirũ in modum confirmabat [b]. in quo certe ſolertia Fabij meritò laudãda, & ab imperatoribus imitanda eſt. communi enim fit vitio naturæ, vt Cæſar dicebat [c], vt inuiſis latitantibus, atque incognitis rebus magis confidamus vehementiuſque exterreamur. &, vt inquit Liuius, ſæpe vana pro veris maximè in bello valuerunt. Veteres quoq; ad confirmandos militum animos, cauſam religionis peridoneam cenſebant. quò ſpectat omnia auſpicia & oracula, quæ ſi fortè aduerſi quid ſigni facere viderentur, ſolent nonnunquam imperatores, ſolerti quadam interpretatione, in bonum vertere, vt militibus timorem eximerent. cuius rei exſtant innumera exempla. Et quidem,

a *Liuius l. 7.*

b *Liuius l. 9.*

c *de bel. ciuil. lib. 2.*

dem quemadmodum multa, ad confirmandos militum animos, facienda ſunt: ſic quoque magno ſtudio, illa quæ metũ
75 inferre poſſent*, aut militũ animos quacũque ratione alienare, ſupprimenda ſunt. nam, vt Cæſar dicebat, vti corporis vulnera, ita exercitus incõmoda tegenda ſunt: ne ea nudando, militibus timor addatur, & hoſtibus audacia creſcat. in quo, iure Terentius Varro reprehẽdendus videtur. nam cùm, accepta clade Cãnenſi, Cãpani legatos ad eum Venuſiam miſiſſent, quò cum paucis, ac ſemiarmibus venerat: ita auxit rerũ ſuarum ſuique contemptum, nimis detegendo cladem nudãdoque, vt qui prius ægrè ferre ſe, aduerſi aliquid accidiſſe Romanis nũciaſſent, pollicitique eſſent omnia quæ ad bellum opus eſſent: reuerſis domum legatis (qui ex contẽptu conſulis, & eius oratione, quę deſperationẽ rerũ omnium continebat, quaſi deletũ videretur nomen Romanorum, referebant) omnes ad defectionem ſpectarent: confiſi ſe totius Italiæ imperio potiri poſſe; atq; ita fœdus cum Annibale fecerunt[a]. Similiter Philippus Macedonum rex, imprudenti conſilio, aliquid ad charitatẽ ſuorum, & vt promptiùs pro eo periculum adiret, ratus profecturum ſe, ſi equitum, qui ceciderant in leui quodã prælio cum Romanis, ſepeliendorum curam habuiſſet:

a *Liuius l. 22.*

ſet: afferri eos in caſtra iuſsit, vt conſpiceretur ab omnibus funeris honos. nam quod promptiores ad ſubeundam omnem dimicationem putabat facturũ, id metum pigritiamque incuſsit. qui enim haſtis, ſagittisque, & rara lanceis vulnera facta vidiſſent, inquit Liuius[a], cum Græcis Illyricisque pugnare aſſueti; poſtquam gladio Hiſpanienſi detrũcata corpora, brachijs abſciſsis, aut tota ceruice deſecta, diuiſa à corpore capita, patentiaque viſcera, & fœditatem aliam vulnerum viderũt, aduerſus quæ tela, quoſque viros pugnãdum eſſet, pauidi vulgò cernebant. Itaque Romani, cùm P. Rutilij Lupi conſ., bello ſociali caſi, cadauere, & aliorum non paucorum nobilium, in vrbem relato, viderẽt populum eo ſpectaculo commoueri & terreri; S. C. decreuerunt, vt exinde mortuorum in bello corpora, ibi humarẽtur, vbicunque cecidiſſent: ne ob eorũ conſpectum reliqui ſegniores ad militiam fierent. quod decretum mox cognitũ, & hoſtes imitati ſunt[b] Ceterùm Chabrias, Athenienſium dux, optimum hunc imperatorem eſſe dicebat, qui maximè cognitas haberet res * hoſtium[c]: quarum 16 certè ignoratione multos fugatos exercitus, & de ſumma rerum non ſemel in periculum ventum fuiſſe legimus. Itaq; Caſsius à Cæſarianis in ſuo cornu victus,

a lib. 31.

b Appian. de bel. ciuil. l. 2.

c Plut. in Apophth.

ctus, & caſtris exutus, credens Brutum quoque ſuperatũ, qui in ſuo cornu vicerat, quaſi deſperatis rebus, ſibi ipſi mortẽ conſciuit. Simili errore, cùm inter Romanos & Volſcos magno prælio certaretur, & nox incertos diremiſſet: tantus ab imprudentia euentus vtraque caſtra tenuit timor, vt relictis ſaucijs, & magna parte impedimẽtorum, ambo pro victis exercitus ſe in montes proximos reciperent [a]. & Curio legatus Cæſaris, bello ciuili, temere credens perfugis, qui Iubam regem (qui Pompeio cum magnis copiis auxilio venerat) reuocatum finitimo bello, & Suburrã, eius præfectum, cum mediocribus copijs miſſum aſſererent; prælium temere commiſit, & vnà cum exercitu à copijs regis circumuentus, ad internecionem cæſus eſt [b]. Vnde cùm vitio naturæ, vt ait Cæſar, quæ volumus, & credimus libẽter; & quæ ſentimus ipſi, reliquos ſentire ſperamus: non
17 temere transfugis & exploratoribus* fidem habere debemus. in quo Gallorum morem idem Cæſar [c] reprehendit: qui, quibuſcunque rumoribus & auditionibus permoti, de ſummis ſæpe rebus conſilia ineunt, quorum eos e veſtigio pœnitere neceſſe eſt; cùm incertis rumoribus ſeruiant, & plerique ad eorum voluntatem ficta reſpondeant. Quare expedit, vt illi, qui cum imperio ſunt, vbi

duriora

a *Liuius l. 4.*

b *Caſ. de bel. ciuil. lib. 2.*

c *de bello Gallico lib. 4.*

duriora quędam occurrunt, ſpeculatum ipſi prodeant: exemplo Marcelli, qui ad collegam dicebat: Quin imus ipſi cum equitibus paucis exploratum: ſubiecta enim res oculis, certius dabit conſilium. Omnium autem maximè proderit imperator*, ſi ad omnia quæ aſpera atque 18
ardua ſunt, ſe ducem præbeat. ſi quid enim iniungere inferiori velis, id priùs in te, ac tuos ſi ipſe iuris ſtatueris, faciliùs omnes obedientes habeas. Imitari itaq; debet quilibet bonus imperator fortem & ſtrenuum ducem, populo Iſraëlitico diuinitus excitatum & datum Gedeonem, ſuos ita alloquentem: Quod mé videritis facere, id vos quoque facité. a capite enim, vt inquit Seneca, bona valetudo tranſit in reliqua membra. ſuntque in hanc rem præclara Valerij Coruini verba inquientis: Cùm gloria belli, ac virtute ſua quemque fretos, ire in aciem debere, tum etiam intueri, cuius ductu auſpicioq; ineunda pugna ſit: vtrùm qui audiendus, dumtaxat magnificus adhortator ſit, verbis tãtùm ferox, operũm militariũ expers: an qui & ipſe tela tractare, procedere ante ſigna, verſari in media mole pugnæ ſciat. facta mea, non dicta, vos milites ſequi volo: nec diſciplinam modò, ſed exẽplum etiam a me petere, qui hac dextra mihi tres conſulatus ſummamq; laudem peperi[a]. Sic certè C. Cæ-

a Liuius l. 7.

ſar

ſar inordinatã aciem ſæpe reſtituit, obſiſtens fugientibus, retinenſque ſingulos, & contortis faucibus conuertens in hoſtem[a]. Itaque ancipiti illo prælio, quo *a Sueton. in Cæſar.* cum iuniore Pompeio in Hiſpania conflixit, ſuis præ pauore trepidè pugnantibus, cùm res eſſet in maximo diſcrimine, & nihil exhortationibus proficeret; arrepto cuiuſdam clypeo increpitiſque militibus procurrit in hoſtem, dicens:
» Nunc & mihi finis vitę erit, & vobis militiæ. quo facto, pudori cedente metu, aciem reſtituit, ducentis telis in clypeo acceptis[b]. In quo tamen maximè indu- *b Appian. de bell. ciuil. l. 2.*
19 ſtriam imperatoris *requiro, vt ſua quidem alacritate militũ animos ad quoduis periculum ſubeundũ paratiores reddat: non temere tamen periculo ſeſe exponat: præſertim ad quem ſumma rerum ſpectat: niſi maxima neceſsitate id exigente, & cùm de totius belli euentu agitur. multas enim vrbes euerſas, plures fuſos fugatoſque exercitus, imperatorum temeraria morte legimus. Itaque mors P. Scipionis in Hiſpania, dum ſeſe nimium hoſtium telis offert, vt hoſtes haud dubiè pro victoribus, & Romani pro victis eſſent, effecit[c]. & vulnus Cn. *c Liuius l. 25.* Scipionis ad Mundam vincẽtibus egregiè Romanis: ſed de ſalute imperatoris ſollicitis pauorem iniecit, & haud dubiæ & præclaræ victoriæ impedimento fuit[d]. *d Liuius l. 24.*

Sic

Sic quoque cùm Annibal in Sagũti oppugnatione, dum murum incautiùs ſubiit, vulneratus caderet, tanta circa eum fuga atque trepidatio fuit, vt non multum abeſſet, quin opera ac vineæ deſererentur [a]. Sic cum Epaminonda, dum non ducis tantùm, verùm etiam fortiſſimi militis officio fungitur, vires quoque reipubl. Thebanæ ceciderunt. nam, vt inquit Iuſtinus [b], ſicuti telo ſi primam aciem perfregeris, reliquo ferro vim nocendi ſuſtuleris; ſic illo velut mucrone teli ablato duce Thebanorum, reipubl. vires hebetatę ſunt: vt non tam illũ amiſiſſe, quàm cum illo interijſſe omnes vires Thebanorũ viderentur. Non itaque nimium fidát fallaci fortunæ principes, neque etiam clypeo Iouis, ſub quo eos verſari dixit Homerus: ſed in periculis ſuſcipiendis, vt inquit Cicero [c], conſuetudo imitanda medicorum, qui leuiter ægrotantes leuiter curant, grauioribus autẽ morbis periculoſas curationes adhibere coguntur. Huc ſpectare videtur, quod Æmilius Paulus dicebat, cũ victo Perſeo pro gratulatiòne victorię cõuiuia celebraret: eiuſdem ſcilicet eſſe peritiæ, exercitum hoſtibus valde terribilem, & amicis conuiuium valde iucundum reddere [d]. Et Scipio African., cùm eum quidam parum pugnacem dicerent, Imperatorem me mater, non bellatorem, peperit,

a *Liuius l. 21.*

b *lib. 6.*

c *offic. lib. 1.*

d *Plut. in Apophth.*

» produntur ea magis omnia, deleto hoc
» exercitu non ſeruantur. quis enim illa
» tuebitur? imbecillis videlicet & inermis
» multitudo? tam hercle, quá à Gallorum
» impetu defendit. an à Veijs èxercitum
» Camillumque ducem implorabunt? hîc
» omnis ſpes opesq; ſunt: quas ſeruando,
» patriam ſeruamus; dedendo ad necem,
» patriam deſerimus ac prodimus. at fœda
» atque ignominioſa deditio eſt. ſed ea
» charitas patriæ eſt, vt tã ignominiã eam,
» quàm morte noſtra, ſi opus ſit, ſerue-
» mus. ſubeatur ergo iſta, quantacunque
» eſt, indignitas, & pareatur neceſsitati,
» quam ne dij quidem ſuperant [a]. Qua- *a Liuius l. 9.*
9 cunque igitur ratione patriæ & reipub.*
conſulere debemus, & pro ea defenden-
da nullam infamiam, nec ipſam quoque
mortem, ſi res ita poſtulat, recuſare de-
bemus. ſed, vt inquit Plato, Si patria mã-
darit verberari te, ſiue in vincula conijci,
ſiue in prælium miſerit, ad vulnera acci-
pienda, mortemque ſubeundam; obe-
diendum eſt omninò, & neque tergi-
uerſandum neque fugiendum erit, ſed &
in bello, & in iudicio, & prorſus vbique,
ea quæ reſpub. vel patria iuſſerit, facien-
da ſunt. quæcunque enim à nobis ge-
runtur, non ad noſtrã vtilitatẽ & com- *b Cicer. in*
modum, ſed ad patriæ ſalutem conferre *Vatin.*
10 debemus [b]. mori autem pro patria*, glo- *c libello amiſ-*
rioſiſsimum ſemper habitũ fuit [c]. itaque *ſi. D. de exc.* *tut.*

M cx-

præferendus eſt. conſilio enim ſapienti, vt idem dicebat, magna militum manus vinci poteſt. ſic Xerxes, qui tot hominũ millia contra Græcos duxerat, vnius Themiſtoclis induſtria ſuperatus fuit. Quare Ariſtides dicebat, non armis ſolùm contra hoſtes, ſed conſilio in primis vtendũ eſſe. nam cùm conſilio & induſtria ſuperiores euadere poſſumus, quid opus eſt pericula ſuſcipere? Hinc rei militaris periti, in eo præcipuam imperatoris laudem conſtituunt*, ſi ea ratione 11 bellũ gerat, qua ipſe, & exercitus, quàm commodiſsimè re frumentaria, aqua, ligno, pabulo vtatur; hoſtis verò ijs omnibus prohibeatur, & inopia, ſi fieri poteſt, ad deditionem compellatur: & vt maximè ſe tutò dimicare poſſe exiſtimet, tamen tutius arbitretur, obſeſsis vijs, cõmeatu intercluſo, ſine vulnere victoria potiri. quæ ratio Iulio Cæſari, ſummo imperatori, maximè probabatur: cui erat propoſitum, vt non niſi coactus prælium committeret cum Afranio, & Petreio, Pompeianarum partium. nam in eam ſpem venerat, ſe ſine pugna, & ſine vulnere ſuorum, rem conficere poſſe; quòd re frumentaria aduerſarios intercluſiſſet: cur etiã ſecundo prælio aliquos ex ſuis amitteret, ſecum penſitans: cur vulnerari pateretur optimè meritos de ſe milites: cur denique fortunam peri-

clitaretur: præſertim cùm non minus eſſet imperatoris conſilio ſuperare, quàm gladio. & tádem omnium rerum inopia coactos aduerſarios ad deditioné compulit [a]. & hac ratione facile fuiſſet Pompeio, Cæſarem ad Pharſalum egeſtate omnium rerũ opprimere, vt propoſuerat; niſi à ſuis, Dyrrhachina victoria elatis, ſe à propoſito dimoueri paſſus fuiſſet [b]. Fabius autem Max. ex hoc genere belli gerendi ſummam laudem meruit, etiam ipſius hoſtis Annibalis teſtimonio, qui dicebat, ſe magis à non pugnante Fabio, quàm à pugnante Marcello, timere: nec eum ſententia fefellit. nam Fabius ſuis artibus eò iam Annibalem ſedendo redegerat, vt non ſolùm nihil ex raptis in diem cõmeatibus ſuperaret, ſed ne vnde raperet quidem, quicquam reliqui eſſet, omni vndique frumento, poſteaquam ager parum tutus erat, in vrbes munitas conuecto, vt vix decem dierum, quod cõpertum poſtea eſt, frumentum ſupereſſet, Hiſpanorũ ob inopiam tranſitio parata fuerit, ſi maturitas temporum expectata fuiſſet: quam Terentius Varro conſ. ſua temeritate impediuit; cuius aduentu Annibal, in hiſce difficultatibus conſtitutus, quáuis parte dimidia auctas hoſtiũ copias cernebat, mirè gaudebat, ſperans, id quod accidit, fortunam præpoſtero ingenio & teme-

a *Caſ. de bel. ciuil. lib. 1.*

b *Appian. de bel. ciuil. lib. 2.*

ritati conſulis materiam daturam: cuius culpa ingens illa clades Cannenſis Romanis illata fuit[a]. hoc quoque conſilio C. Sulpitio dictatori aduerſus Gallos, neutiquam placebat, quando nulla cogeret res, fortunæ ſe cōmittere, aduerſus hoſtem, quem tempus deteriorē in dies, & locus alienus faceret; ſine præparato commeatu, ſine firmo munimento morantē: ad hoc ijs animis corporibusque, quorum omnis in impetu vis eſſet, parua eadem langueſcere mora[b]. Alexāder verò, cùm Leucadiam obſideret, paſſus eſt ex finitimis locis omnes eò confugere, vt citiùs alimenta, quæ habebāt, conſumerentur: quibus cōſumptis, facilem victoriam conſecutus eſt. & Antigonus, vaſtatis Athenienſium agris, ſementis tempore deceſsit: & quod reliquum habebant frumenti, in ſationes ſparſo, reuerſus nouo verè adultam ſegetem protriuit, & ad famem redactos Atheniēſes, in ſuam volūtatem pertraxit. Vnde præcepti Cābyſis meminiſſe debemus, quo Cyrum filium monuit, nunquam exſpectandam eſſe egeſtatem, & in rerū copia, maximè de inopia cogitandum. ſæpius enim videmus exercitum conſumi penuria, quàm pugna: &, vt ait Vegetius, ferro ſæuior eſt fames. Itaq;, vt diximus, hiſce artibus præcipuè ſuperandi ſunt hoſtes, neque temere in acie verſandū, niſi

a *Liuius l.22.*

b *Liuius l.7.*

niſi vbi tempus neceſsitasque poſtulat: exemplo Scipionis, qui in Numantinos miſſus, cùm vidiſſet coniunctam cum inſania hoſtium temeritatem, dicebat ſe tempore redimere hoſtiũ temeritatem, & quod loco ſapientiæ eſt, alienã operiri ſtultitiam. bonum enim imperatorem, itidem vt medicũ, ad malum curandum vltimo demum loco ferrũ adhibere debere: nihilominus tamen ſuo tempore adortus Numantinos fudit[a]. His aſſcribi poſſe videtur conſilium Sertorij, qui proſcriptione Syllana dux Luſitanorũ fieri coactus, cùm eos oratione flectere non poſſet, ne cum vniuerſa Romanorum acię confligerent; duos in cõſpectu eorum conſtituit equos, alterum validiſsimum, alterum infirmiſsimũ: ac deinde validi caudã ab imbecillo ſene paulatim carpi: infirmi à iuuene eximiarum virium vniuerſam conuelli iuſsit: ſubijciens, equi caudæ conſimilem eſſe Romanorum exercitũ, cuius partes aliquis aggrediẽs opprimere poſsit; vniuerſum conatus proſternere, celeriùs tradiderit victoriã, quàm occupauerit. quo exemplo Sertorius barbaros, quos ratione flectere non poterat, in ſuam ſentẽtiam pertraxit[b]. Porrò quemadmodum non temere fortuna tentãda eſt, & ardua ſuſ-
12 cipienda: ſic ab inceptis * non facilè diſcedendum eſt, exemplo Marcelli, cùm e-

a Plut. in Apophth.

b Val. Max. lib. 7. cap. 3.

nim multa ſuccedentes temere mœnibus, in oppugnatione Caſilini, Romani milites acciperēt vulnera, neque ſatis cœptis ſuccederet, & Fabius omittēdam rem paruam, ac iuxtà magnis difficilem, & abſcedendum inde cenſeret, quòd res maiores inſtarent: Marcellus, multa magnis ducibus ſicut non aggredienda, ita ſemel aggreſſa non dimittenda eſſe dicendo, quia magna famæ momenta in vtramque partem fierent, tenuit ne in-

a *Liuius l. 24.* cepto abiretur [a]. Quare laudandi quoq; Cæſaris milites, qui cùm in obſidione Auarici omnium rerum difficultate afficerentur, & Cæſar ob inopiam ſe dimiſſurum oppugnationem diceret, vniuerſi ab eo, ne infecta re diſcederet, petebant: hoc ſe ignominiæ loco laturos, ſi inceptā

b *Cæſ. de bel. Gall. lib. 7.* oppugnationem relinquerēt, dicendo [b]. fama ſiquidem bella ſtare meritò ſummi duces exiſtimauere, & eum, qui recedebat, fugere credi. Vnde cùm in reliquis rebus, tum præſertim in bello conſtantia *atque fiducia imperatoris plurimum 13 præſtant, & ſæpe ad vniuerſi belli euentū maximi ſunt momenti. cuius rei ſpecioſa exempla nobis præbent Romani; & in primis, quòd Cannenſi clade, exhauſtis imperij viribus, ſupplemētum exercitus in Hiſpaniam mittere auſi, fecerunt ne hoſtilium locus caſtrorum, tum maximè Capenam portam armis Annibale pulſante,

ſante, minoris veniret, quàm ſi Pœni illā non obtinuiſſent. Ita ſe gerere, inquit Val. Max[a]., quid aliud eſt, quàm ſæuientem fortunam in adiutorium ſui pudore victam conuertere? Quò ſpectat, quod Cæſar dicebat, ſi non omnia ſecunda cederēt, fortunam eſſe induſtria ſubleuandam. Pari fiducia Scipio Aphricanus ſpeculatores Annibalis, in caſtris ſuis deprehenſos, nec ſupplicio affecit, nec de conſilijs & viribus Pœnorum percūctatus eſt: ſed traditos eos tribunis militū, iuſſosq; omiſſo metu viſere omnia, per caſtra, quò vellēt, duci iuſsit: percunctatusque ſatin' percommodè omnia exploraſſent, datis qui proſequerentur retrò ad Annibalē dimiſit., quo tam pleno fiduciæ ſpiritu Scipio priùs animos hoſtium, vt inquit Val. Maxim[b]., quàm arma contudit: nam Annibal, maximè hoſtis fiducia perculſus, protinus nuncium ad Scipionem miſit, vt colloquendi ſecum poteſtatem faceret: æquiorem impetrari poſſe pacē ratus, ſi integer quàm ſi victus peteret[c]. Porrò ſummi duces facilè percipientes, quantum haberet in ſe boni conſtantia, atque fiducia, ſolent ante conflictum magno ſtudio illud a-
14 gere*, quo maximè confidētem ſibi redderent exercitum, & militum animos confirmarent: quod varijs modis faciebant. Valerius Coruinus dictator, cum

a lib. 3. c. 7.

b lib. 3. c. 7.

c Liuius l. 30.

Samnitibus bellum gerens, priuſquam ſignum pugnę proponeret, leuibus certaminibus, tentandi hoſtis cauſa, aliquot dies moratus eſt, ne ſcilicet nouum bellum ſuos nouusque hoſtis terreret [a]. Q. Fabius conſul, decertaturus cum Hetruſcis, quò animus militum multitudine territus reſtitueretur, Samnitium bella, quę magna felicitate confecerant, extollebat; eleuabat Hetruſcos, nec hoſtē hoſti, nec multitudinem multitudini comparandam eſſe aiebat: præterea telum aliud occultum ſcituros in tempore, interea taceri opus eſſe: quibus ambagibus prodi ſimulabat hoſtes, & ſuos mirū in modum confirmabat [b]. in quo certe ſolertia Fabij meritò laudāda, & ab imperatoribus imitanda eſt. communi enim fit vitio naturæ, vt Cæſar dicebat [c], vt inuiſis latitantibus, atque incognitis rebus magis confidamus vehementiuſque exterreamur. &, vt inquit Liuius, ſæpe vana pro veris maximè in bello valuerunt. Veteres quoq; ad confirmandos militum animos, cauſam religionis peridoneam cenſebant. quò ſpectāt omnia auſpicia & oracula, quæ ſi fortè aduerſi quid ſigni facere viderentur, ſolent nonnunquam imperatores, ſolerti quadam interpretatione, in bonum vertere, vt militibus timorem eximerent. cuius rei exſtant innumera exempla. Et quidem,

a *Liuius l. 7.*

b *Liuius l. 9.*

c *de bel. ciuil. lib. 2.*

dem quemadmodum multa, ad confirmandos militum animos, facienda ſunt: ſic quoque magno ſtudio, illa quæ metũ
15 inferre poſſent, aut militũ animos quacũnque ratione alienare, ſupprimenda ſunt. nam, vt Cæſar dicebat, vti corporis vulnera, ita exercitus incõmoda tegenda ſunt: ne ea nudando, militibus timor addatur, & hoſtibus audacia creſcat. in quo, iure Terentius Varro reprehẽdendus videtur. nam cùm, accepta clade Cãnenſi, Cãpani legatos ad eum Venuſiam miſiſſent, quò cum paucis, ac ſemiarmibus venerat: ita auxit rerũ ſuarum ſuique contemptum, nimis detegendo cladem nudãdoque, vt qui prius ægrè ferre ſe, aduerſi aliquid accidiſſe Romanis nũciaſſent, pollicitique eſſent omnia quæ ad bellum opus eſſent: reuerſis domum legatis (qui ex contẽptu conſulis, & eius oratione, quę deſperationẽ rerũ omnium continebat, quaſi deletũ videretur nomen Romanorum, referebant) omnes ad defectionem ſpectarent: confiſi ſe totius Italiæ imperio potiri poſſe; atq; ita fœdus cum Annibale fecerunt[a]. Similiter Philippus Macedonum rex, imprudenti conſilio, aliquid ad charitatẽ ſuorum, & vt promptiùs pro eo periculum adirẽt, ratus profecturum ſe, ſi equitum, qui ceciderant in leui quodã prętio cum Romanis, ſepeliendorum curam habuiſſet:

a *Liuius l. 22.*

ſet:

ſet: afferri eos in caſtra iuſsit, vt conſpiceretur ab omnibus funeris honos. nam quod promptiores ad ſubeundam omnem dimicationem putabat facturũ, id metum pigritiamque incuſsit. qui enim haſtis, ſagittisque, & rara lanceis vulnera facta vidiſſent, inquit Liuius [a], cum Græcis Illyricisque pugnare aſſueti; poſtquam gladio Hiſpanienſi detrũcata corpora, brachijs abſciſsis, aut tota ceruice deſecta, diuiſa à corpore capita, patentiaque viſcera, & fœditatem aliam vulnerum viderũt, aduerſus quæ tela, quoſque viros pugnãdum eſſet, pauidi vulgò cernebant. Itaque Romani, cùm P. Rutilij Lupi conſ., bello ſociali caſi, cadauere, & aliorum non paucorum nobilium, in vrbem relato, viderẽt populum eo ſpectaculo commoueri & terreri; S. C. decreuerunt, vt exinde mortuorum in bello corpora, ibi humarẽtur, vbicunque cecidiſſent: ne ob eorũ conſpectum reliqui ſegniores ad militiam fierent. quod decretum mox cognitũ, & hoſtes imitati ſunt [b] Ceterùm Chabrias, Athenienſium dux, optimum hunc imperatorem eſſe dicebat, qui maximè cognitas haberet res * hoſtium [c]: quarum 16
certè ignoratione multos fugatos exercitus, & de ſumma rerum non ſemel in periculum ventum fuiſſe legimus. Itaq; Caſsius à Cæſarianis in ſuo cornu victus,

a *lib. 31.*

b *Appian. de bel. ciuil. l. 2.*

c *Plut. in Apophth.*

ctus, & caſtris exutus, credens Brutum quoque ſuperatū, qui in ſuo cornu vicerat, quaſi deſperatis rebus, ſibi ipſi mortē conſciuit. Simili errore, cùm inter Romanos & Volſcos magno prælio certaretur, & nox incertos diremiſſet: tantus ab imprudentia euentus vtraque caſtra tenuit timor, vt relictis ſaucijs, & magna parte impedimētorum, ambo pro victis exercitus ſe in montes proximos reciperent[a]. & Curio legatus Cæſaris, bello ciuili, temere credens perfugis, qui Iubam regem (qui Pompeio cum magnis copiis auxilio venerat) reuocatum finitimo bello, & Suburrā, eius præfectum, cum mediocribus copijs miſſum aſſererent; prælium temere commiſit, & vnà cum exercitu à copijs regis circumuentus, ad internecionem cæſus eſt[b]. Vnde cùm vitio naturæ, vt ait Cæſar, quæ volumus, & credimus libēter; & quæ ſentimus ipſi, reliquos ſentire ſperamus: non
17 temere tranſfugis & exploratoribus* fidem habere debemus. in quo Gallorum morem idem Cæſar[c] reprehendit: qui, quibuſcunque rumoribus & auditionibus permoti, de ſummis ſæpe rebus conſilia ineunt, quorum eos e veſtigio pœnitere neceſſe eſt; cùm incertis rumoribus ſeruiant, & plerique ad eorum voluntatem ficta reſpondeant. Quare expedit, vt illi, qui cum imperio ſunt, vbi

a *Liuius l. 4.*

b *Caſ. de bel. ciuil. lib. 2.*

c *de bello Gallico lib. 4.*

duriora quędam occurrunt, ſpeculatum ipſi prodeant: exemplo Marcelli, qui ad collegam dicebat: Quin imus ipſi cum equitibus paucis exploratum: ſubiecta enim res oculis, certius dabit conſilium. Omnium autem maximè proderit imperator*, ſi ad omnia quæ aſpera atque 18 ardua ſunt, ſe ducem præbeat. ſi quid enim iniungere inferiori velis, id priùs in te, ac tuos ſi ipſe iuris ſtatueris, faciliùs omnes obedientes habeas. Imitari itaq; debet quilibet bonus imperator fortem & ſtrenuum ducem, populo Iſraëlitico diuinitus excitatum & datum Gedeonem, ſuos ita alloquentem: Quod mé videritis facere, id vos quoque facite. a capite enim, vt inquit Seneca, bona valetudo tranſit in reliqua membra. ſuntq́ue in hanc rem præclara Valerij Coruini verba inquientis: Cùm gloria belli, ac " virtute ſua quemque fretos, ire in aciem " debere; tum etiam intueri, cuius ductu " auſpicioq; ineunda pugna ſit: vtrùm qui " audiendus, dumtaxat magnificus adhor- " tator ſit, verbis tãtùm ferox, operũm mi- " litariũ expers: an qui & ipſe tela tractare, " procedere ante ſigna, verſari in media " mole pugnæ ſciat. facta mea, non dicta, " vos milites ſequi volo: nec diſciplinam " modò, ſed exẽplum etiam a me petere, " qui hac dextra mihi tres conſulatus ſum- " mamq; laudem peperi[a]. Sic certè C. Cæ- "

[a] Liuius l. 7.

ſar inordinatā aciem ſæpe reſtituit, obſiſtens fugientibus, retinensque ſingulos, & contortis faucibus conuertens in hoſtem[a]. Itaque ancipiti illo prælio, quo cum iuniore Pompeio in Hiſpania conflixit, ſuis præ pauore trepidè pugnantibus, cùm res eſſet in maximo diſcrimine, & nihil exhortationibus proficeret; arrepto cuiuſdam clypeo increpitisque militibus procurrit in hoſtem, dicens: a Sueton. in Cæſar.

» Nunc & mihi finis vitę erit, & vobis militiæ. quo facto, pudori cedente metu, aciem reſtituit, ducentis telis in clypeo acceptis[b]. In quo tamen maximè indu- b Appian. de bell. ciuil. l. 2.

19 ſtriam imperatoris *requiro, vt ſua quidem alacritate militū animos ad quoduis periculum ſubeundū paratiores reddat: non temere tamen periculo ſeſe exponat: præſertim ad quem ſumma rerum ſpectat: niſi maxima neceſsitate id exigente, & cùm de totius belli euentu agitur. multas enim vrbes euerſas, plures fuſos fugatosque exercitus, imperatorum temeraria morte legimus. Itaque mors P. Scipionis in Hiſpania, dum ſeſe nimium hoſtium telis offert, vt hoſtes haud dubiè pro victoribus, & Romani pro victis eſſent, effecit[c]. & vulnus Cn. c Liuius l. 25. Scipionis ad Mundam vincētibus egregiè Romanis: ſed de ſalute imperatoris ſollicitis pauorem iniecit, & haud dubiæ & præclaræ victoriæ impedimento fuit[d]. d Liuius l. 24.

Sic

Sic quoque cùm Annibal in Sagũti oppugnatione, dum murum incautiùs ſubit, vulneratus caderet, tanta circa eum fuga atque trepidatio fuit, vt non multum abeſſet, quin opera ac vineæ deſererentur [a]. Sic cum Epaminonda, dum non ducis tantùm, verùm etiam fortiſſimi militis officio fungitur, vires quoque reipubl. Thebanæ ceciderunt. nam, vt inquit Iuſtinus [b], ſicuti telo ſi primam aciem perfregeris, reliquo ferro vim nocendi ſuſtuleris; ſic illo velut mucrone teli ablato duce Thebanorum, reipubl. vires hebetatę ſunt: vt non tam illũ amiſiſſe, quàm cum illo interijſſe omnes vires Thebanorũ viderentur. Non itaque nimium fidát fallaci fortunæ principes, neque etiam clypeo Iouis, ſub quo eos verſari dixit Homerus: ſed in periculis ſuſcipiendis, vt inquit Cicero [c], conſuetudo imitanda medicorum, qui leuiter ægrotantes leuiter curant, grauioribus autẽ morbis periculoſas curationes adhibere coguntur. Huc ſpectare videtur, quod Æmilius Paulus dicebat, cũ victo Perſeo pro gratulatiõne victorię cõuiuia celebraret: eiuſdem ſcilicet eſſe peritiæ, exercitum hoſtibus valde terribilem, & amicis conuiuium valde iucundum reddere [d]. Et Scipio African., cùm eum quidam parum pugnacem dicerent, Imperatorem me mater, non bellatorem, peperit,

a Liuius l. 21.

b lib. 6.

c offic. lib. 1.

d Plut. in Apophth.

» produntur ea magis omnia, deleto hoc
» exercitu non ſeruantur. quis enim illa
» tuebitur? imbecillis videlicet & inermis
» multitudo? tam hercle, quá à Gallorum
» impetu defendit. an à Veijs exercitum
» Camillumq́ue ducem implorabunt? hîc
» omnis ſpes opesq́; ſunt: quas ſeruando,
» patriam ſeruamus; dedendo ad necem,
» patriam deſerimus ac prodimus. at fœda
» atque ignominioſa deditio eſt. ſed ea
» charitas patriæ eſt, vt tã ignominiã eam,
» quàm morte noſtra, ſi opus ſit, ſerue-
» mus. ſubeatur ergo iſta, quantacunque
» eſt, indignitas, & pareatur neceſsitati,
» quam ne dij quidem ſuperant [a]. Qua- a *Liuius l. 9.*
9 cunque igitur ratione patriæ & reipub.*
conſulere debemus, & pro ea defenden-
da nullam infamiam, nec ipſam quoque
mortem, ſi res ita poſtulat, recuſare de-
bemus. ſed, vt inquit Plato, Si patria mã-
darit verberari te, ſiue in vincula conijci,
ſiue in prælium miſerit, ad vulnera acci-
pienda, mortemq́ue ſubeundam; obe-
diendum eſt omnino, & neque tergi-
uerſandum neque fugiendum erit, ſed &
in bello, & in iudicio, & prorſus vbique,
ea quæ reſpub. vel patria iuſſerit, facien-
da ſunt. quæcunque enim à nobis ge-
runtur, non ad noſtrã vtilitatẽ & com- b *Cicer. in*
modum, ſed ad patriæ ſalutem conferre *Vatin.*
10 debemus [b]. mori autem pro patria*, glo- c *l. bello amiſ-*
rioſiſsimum ſemper habitũ fuit [c]. itaque *ſſ. D. de exc. tut.*

a *Philip.* 14. exclamat Cicero [a]: O fortunata mors, »
quę naturę debita, pro patria eſt potiſsi- »
mùm reddita! turpiſsimũ verò eſt, cùm »
poſsis cum ſumma virtute & honore,
pro patria interire, malle per dedecus &
b *auctor ad Her. lib.* 4. ignauiam viuere [b]. Qui verò pro defen-
ſione Eccleſiæ moritur, cæleſte regnum
c *c. omni timore.* 23. *q.* 8. *cap. omnium.* 23. *quæſt.* 5. & *Hiſp. reg. l.* 3. *tit.* 25. *par.* 2. conſequitur [c]: eoque ſpectat, quod Cice-
ro ait [d]: Illi igitur, quos cecidiſtis, etiam »
ad inferos pœnam parricidij luent: vos »
verò, qui extremum ſpiritum in gloria »
d *Philip.* 14. effudiſtis, piorum eſtis ſedem & locum »
conſecuti. & quidem Cimbrorũ antiqui
milites adeò glorioſum duxerunt pro
repub. mori, vt non exiſtimarent, niſi in
bello morerentur, ſe felices, quaſi ad finẽ
vitæ non perſeuerãtes: vnde in acie gau-
dio exultabant, tanquam glorioſè & fe-
liciter vita exceſſuri; lamentabantur in
morbo, quaſi turpiter & miſerabiliter
e *Valer. Max. lib.* 2. *cap.* 6. perituri [e]. Itaque non ſtatim mortalis
criminis damnandi* ſunt duces belli, vel 11
milites, qui, vt victoria potiãtur, ſe maxi-
mo committunt prælij & conflictus pe-
f *libro* 22. *contra Fauſtum Man. c. quid culpatur.* 23. *quæſt.* 1. riculo, ex quo certior eſt mors quàm e-
uaſio. nam, vt inquit D. Auguſt., [f] Non
culpatur in bello, quòd moriãtur quan-
doque morituri: hoc enim reprehendere,
g *c. non licet.* 23. *q.* 2. *D. Aug. de ciuit. Dei l.* 1. *c.* 20. & 21. eſt magis timidorũ, quàm religioſorum.
quãuis enim nulli liceat ſibi ipſi mortem
conſciſcere, (quo caſu mortale crimen
contrahitur [g]) licet tamen, ex iuſta cauſa,
velu-

veluti pro patrię aut Catholicæ Eccleſiæ defenſione ſe mortis vel maximo periculo obijcere. itaque Eleazarum, virum fortiſsimum, à peccato defendit & laudibus effert Ambroſius [a]; qui ſuperemi-nentem ceteris elephantem, lorica veſtitum regia, arbitratus quòd in eo rex eſſet, interfecit, & à cadente beſtia op-
12 preſſus eſt [b]. Pro patriæ quoque ſalute * ſi quis patrem occiderit, vel filium, non ſolùm ſine ſcelere erit, ſed etiam pręmio afficiendus [c]. quod ita verum puto, ſi res omnino ad perniciem patriæ ſpectabit, neque filius monendo neque minitando quicquam profecerit, vt patrem ab inſtituto auerteret. patriæ enim ſalutem anteponet ſaluti patris, ex frequẽtiſsima Philoſophorum ſententia [d]. quod etiam iure probatur [e]: quicquid dicat Bodinus [f], qui contrarium ſenſit, & temere reprehendit iuris interpretes. Præclarè etiam Fuluium ſenatoris filium, ad Catilinam proficiſcẽtem, retractum ex itinere iuſsit parens necari [g]. qui verò patriã prodit, criminis læſæ maieſtatis reus eſt [h]. Ceterùm, quod ad ſecundum Platonis præceptum attinet, illud maximè cauendum, ne, dum ſingulas partes tueri volumus, totum corpus reipub. in periculum trahamus. Quare in bello non te-
13 mere ſuſcipienda * eſt defenſio ſociarum vrbiũ, aliorumq́; oppidorum, quę com-

a *de offic. l. 1. cap. 40.*

b *1. Machab. cap. 6.*

c *l. minimè. de relig. & ſumptib. funer.*

d *Cicero off. libro 3.*

e *in l. veluti. D. de iuſt. & iur. l. aduocati. C. de adu. diuer. iudicio. & d. l. minimè. Borrãdus in addition. ad Terrarubeam. tract. 3. art. 3. faciunt tradita à Claro in §. feudũ. q. 21. num. 4.*

f *de republ. lib. 1. cap. 4.*

g *Saluſtius in cõiur. Cat.*

h *l. 1. & 2. D. ad l. Iul. Maie.*

modè defendi non poſſunt: præſtatque illa deſerta hoſtibus relinquere; quàm nequicquã defendendo de ſumma rerũ in diſcrimẽ venire, aut etiã famæ periculum facere: quæ plerunque latiùs, inflatiusq;, quàm res eſt, percrebreſcere ſolet, & ſæpe ad vniuerſi belli euentũ maximi eſſe momenti. itaq; famam bellũ gerere aiunt, & parua momẽta in ſpẽ metumq; impellere animos. Qua de cauſa Philippus Macedonũ rex, à Romanis pręlio victus, vrbes ſocias, aliaq; oppida, quæ defendere non poterat, incẽdit ac vaſtauit: homines, qui ſequi poſſent, exciuit: rerũ ſuarũ, quas poſſent, ferendarũ ſecum dominis ius fiebat: cetera militis præda erat. quæ quidẽ facienti Philippo acerba erant, ſed è terra mox futura hoſtiũ, corpora ſaltẽ eripere volebat [a]. in quo Sueuorum morẽ imitatus videtur, qui, cùm bellum ipſis inferretur, conſilio habito, nuncios in omnes partes dimittebãt, vti de oppidis demigrarent: liberos, vxores, ſuaq; omnia in ſiluas deponerent: atque omnes, qui arma ferre poſſent, in vnum locum conuenirẽt [b]. Simili ratione Verſingetorix, nouis rebus ſtudens, & Gallos ad defectionẽ à Romanis ſollicitans, Biturigibus perſuaſit, vt oppida incẽderent, quæ non munitione & loci natura ab omni eſſent periculo tuta: ne ſuis eſſent ad detrectandam militiam receptacula;

a *Liuius l.32.*

b *Cæſ. de bel. Gall. lib.4.*

cula; neque Romanis propoſita ad copiam commeatus, prædamque tollendam [a]. Cauendum tamen omnino erit, ne quid horum crudeliter aut auaritiæ [illegible], nam cùm Annibal, quòd neq; omnes Italiæ populos, [illegible] coniunxerant, tenere præſidijs, niſi vellet in multas paruasque partes carpere exercitum, quod minimè tum expediebat, poſſet; neque, deductis præſidijs, ſpei liberam, vel obnoxiam timoris ſociorum relinquere fidem; præceps in auaritiam, & crudelitatem, ad ſpolianda, quæ tueri nequibat, inclinaſſet: quàm fœdum id conſilium eſſet, inquit Liuius [b], exitus docuit. non enim indigna patientium modò abalienabantur animi, ſed ceterorum etiam: quippe ad plures exemplum quàm calamitas pertinebat. Conſultiùs verò Romani, qui accepta Cannenſi clade, & circumſpectis omnibus imperij ſui viribus, lõginquis ſocijs præſidium implorantibus, non quidem miſerunt, quòd vires non ſuppeterent, ſed conſulere ſibi ſeipſos iuſſerunt, nihil crudele in illos exercentes [c]. Solerter verò M. Porcius Cato conſ. in Hiſpania bellũ gerens, cùm legati ab Ilergetum regulo Biligaſte ad eum venirent, querentes caſtella ſua oppugnari, nec ſpem vllam eſſe reſiſtendi, niſi præſidio Romanus miles eſſet, & conſulem anceps cura agitaret;

a *Cæſar de bel. Gal. lib. 7.*

b *libro 26.*

c *Liuius l. 23.*

nolle deſerere ſocios; nolle minuere exercitum; quod aut moram ſibi ad dimicandum, aut in dimicando periculum afferre poſſet; & ſtatuiſſet non minuere exercitum, ne interim hoſtes quid inferent igno[illegible] ſocijs ſpem pro re oſtēdendam cēſuit: ſæpe vana pro veris maximè in bello valuiſſe: & credentem ſe aliquid auxilij habere, perinde atq; haberet, ipſa fiducia & ſperādo & audendo ſeruatum. Itaque legatis reſpondit, quanquam vereretur, ne ſuas vires, alijs eas commodando, minueret; tamen illorum, tēporis, & periculi, magis quàm ſui, rationem habere: & denunciari militū parti tertiæ ex omnibus cohortibus iubet, vt cibum, quem in naues imponant, maturè coquant; nauesq; in diem tertium expediri præcepit. legati non antè profecti, quàm impoſitos in naues milites viderunt, id pro haud dubio iam nunciantes, non ſuos modò, ſed etiā hoſtes, fama Romani auxilij aduentantis impleuerunt. conſul verò, vbi ſatis quod in ſpeciem fuit, oſtentatū eſſet, reuocari ex nauibus milites iuſsit. qua ratione ſocijs ſpe auxilij ad obſidionem ferendam animum dedit, hoſtemque ab obſidione deterruit; & ipſe integris viribus ad hoſtem profectus, prȩclara victoria potitus eſt [a]. Porrò quemadmodū non eſt ſuſcipienda temere defenſio *eorū, quæ tueri 14
non

a Liuius l. 34.

ron potes: ſic nec facilè deſerenda ſunt, cuæ hoſtium im petum excipere & fran-ęere poſſunt. in quo Antiochus turpiter l.pſus fuit, qui prælio nauali à Romanis vctus, quia poſſeſsione maris pulſus, lõgiqua tueri diffidebat ſe poſſe, præſidiũ al Lyſimachia, ne opprimeretur ibi à Romanis, deduci prauo, vt res ipſa poſteadocuit, conſilio iuſsit. non enim tueri ſoùm Lyſimachiã à primo impetu Romnorum facile erat, ſed obſidionem etm per totam hiemẽ tolerare, & obſientes quoque ad vltimã inopiam addcere, extrahendo tempus [a]. Inter cetea denique officia bellica refert Cicere, ne ſæuiatur * ſupra modũ in victos: cȧ nihil laudabilius ſit, nihil magno & peclaro viro dignius, placabilitate & cmentia, &

Parcere deuictis, & debellare ſuperbos.

Ircendum itaque multitudini; & ij qui iimperatorũ fidem cõfugiunt, (quamis murum aries percuſſerit, vt inquit icero) recipiendi, & auctores tantùm rbarũ puniendi. nam, vt inquit auctor

» adIeren ., viri fortis eſt, qui de victoria
» coiendunt, eos hoſtes putare; qui victi
» ſuneos homines iudicare: vt poſsit bel-
» lumortitudo minuere, pacem humani-
» tas ;gere. De euertendis autem diri-

pienſque vrbibus valde illud conſiderandu monet Cicero, ne quid temere,

a *Liuius l. 37. Appian. de bel. Syr.*

b *offic. lib. 1.*

c *libro 4.*

ne quid crudeliter fiat. Itaque M. Marcellus maximā conſecutus eſt laudem: qui antequā Syracuſas, vrbem opulentiſsimam, prædæ pro concione militibus ediceret, fleuit, edictoque cauit, ne quis corpus liberum violaret [a]. & Scipio, qui capta Carthagine, quæ repleta erat ſtatuis, donarijsque Græcanicis, ex Sicilia aduectis, edixit, vt è ſingulis vrbibus venirent, qui dinoſcerēt, ſuaq; auferret: & nihil quicquam ſuorum quemquam paſſus eſt, vel liberū, vel ſeruum, de præda accipere, nec emere quidem, alijs irreptioni vacantibus [b]. C. Cæſar quoque dicere ſolet, nihil ſibi gratius eſſe, quam multitudini parcere: iſque Trebonio legato, Maſsiliam oppugnanti, per literas magnopere mandauit, ne per vim oppidum expugnari pateretur: ne grauius permoti milites, & defectionis odio, & cōtemptione ſui, & diutino labore, omnes puberes interficerent: quod ſe facturos minitabantur [c]. Eſt itaque clemētia non ſolùm magno viro digna, ſed ſola etiam plerumque eſſe fructuoſa, & glorioſa. quò ſpectat illud Philippi patris Alexand. Magni, qui ſuadētibus quibuſdam, vt acerbè in Athenienſes ſtatueret, abſurdè eos ſentire dixit, qui tot tantaque gloriæ cauſa agentē, ac tolerantem, iuberent glorię theatrū euertere [d]. Spartani quoque, cùm Athenienſes ad deditionem

a refert D. Auguſt. de ciuit. Dei lib. 1. cap. 6.

b Plut. in apophth.

c Cæſar. de bel. ciuil. lib. 2.

d Plut. in apophth.

tionem compuliſſent, & quidem cenſerent, infeſtiſsimam vrbem cum ipſo nomine abolendam, negarunt ſe permiſſuros, vt è duobus Græciæ oculis, vnus erueretur [a]. & Macedonũ reges acie debellare ſolitos ſcribit Liuius [b] vrbibus parcere, quantum poſſent; quo opulentius imperiũ haberent. nam de quorum poſſeſsione dimicetur, tollentẽ nihil ſibi præter bellũ relinquere, quod conſilium eſſe? Itaque tertium Romuli inſtitutum fuiſſe ſcribit Dionyſius Halicarnaſſeus [c], ne captas bello vrbes funditus euerterent: ſed bellorũ ius eſſe ſcribit Liuius [d], vt victi victoribus cum bona pace dominentur, & imperẽt. Non alienum videtur, prudentem admonitionẽ Beliſarij, qua Totilam à diruenda Roma auertit, hîc ſubijcere. cùm enim Totila vrbem victor ingreſſus, eam omnino ſolo æquare conſtituiſſet: monuit eum Beliſarius per literas, ne quid temere faceret. nam, inquit, alterũ è duobus neceſſariò eueniet: aut victus in hoc bello ſuccumbes; aut annuente fortuna ſuperabis. ſi victor euaſeris, Romamq́ue deleueris, non alienã, ſed tuam, perdideris; ſin ſeruaueris, regiam certè omnium pulcherrimam atque ditiſsimam ſeruaueris: ſin verò à nobis deuictus fueris, ſeruata vrbe, atque incolumi, gratias immortales à victore exſpectare debes; ſed ea diruta,

a *Paul. Oroſ. lib. 2. cap. 17.*
b *lib. 31.*
c *ant. Rom. libro 2.*
d *libro 1.*

nulla humanitate contra te agetur. & his literis motus Totila à diruenda vrbe deſtitit[a]. Simili dilemmate, principis Arauſini efferatũ animum emolliuerunt nonnulli præſtantes viri huius Academiæ Louanienſis: cùm enim in expeditione illa nefanda contra patriam, anno ſalutis CIↃ. IↃ. LXXII. ciuitaté Louanienſem, deſtitutam præſidio, cum validiſsimo exercitu oppugnaret, & viderét viri prudentiſsimi ſe vim hoſtium ferre non poſſe; quamuis turpe eſſet paciſci cum nefario & iniuſto hoſte, ne tamen viderent diuina humanaq; omnia violari, templa profanari, Academiá longè præſtantiſsimá deuaſtari à ſceleſtiſsimis hoſtibus, maluerũt, neceſsitati cedentes, hæc omnia oblato certo pecuniæ precio redimere, quàm crudelitatem hoſtis experiri. cumque ille non contentus redemptionis precio, eò impudentiæ veniſſet, vt etiam iuſiurandum, quod citra crimen læſæ maieſtatis illi præſtari non poterat, à ciuibus Louanienſibus exigeret; ijdem illi viri, qui mori maluiſſent, quàm tãto ſcelere ſe adſtringere, hac ratione hoſtis impudentiam repreſſerunt, dicentes: Aut in hoc prælio, quod tibi reſtat cum regio exercitu (cui Dux Albanus præerat) vinces; aut vincêris: ſi viceris, nihil certè negotij tibi erit nobiſcum; qui, velimus, nolimus, in tua poteſtate

[a] refert Petr. Crinit. de honeſta diſcipl. lib. 6. ex Procopio.

ſtate erimus: ſin verò victus fueris, (vt dubia eſt fortuna belli) non eſt cur velis nos indignationem incurrere, & Regis, & Ducis Albani. atque ita Regis maieſtate illæſa, & pactione neceſſaria, neque turpi, maxima prudentia reipubl. conſuluerunt. Eſt tamẽ ita probanda manſuetudo atque clemẽtia, vt adhibeatur reipubl. cauſa ſeueritas, prçſertim ſi ſic omnino reipubl. conueniat. qua de cauſa Romani Numantiam & Carthaginem funditus ſuſtulerunt: quamuis Scipio Naſica Pontifex Max. nolebat æmulam imperij Romani Carthaginem dirui; & decernenti vt dirueretur, contradicebat Catoni, timens infirmis animis hoſtem ſecuritatem, &, tãquam pupillis ciuibus idoneum tutorem, neceſſarium videns eſſe timorem. nec eum ſententia fefellit: ex eo enim tempore cœpit Romana ciuitas otio & luxu diffluere. qua de re pulchre D. Auguſt[a]. & Samuel quoque ſatis oſtendit populo, Deũ excitaſſe hoſtes contra Iſraëlitas, vt eos in officio contineret[b]. ſolent enim homines, cùm ad externa bella ſuperſunt vires, ijs abuti, inter ſemetipſos certando: quæ bella longè exitioſiſsima ſunt. Prçclarè itaque Spartani, qui, cùm rex ipſorum polliceretur, ſe deleturum vrbem, quæ illis negotium exhibuerat, non permiſerunt, inquientes: Noli delere cotem virtutis[c].

Porrò

a *de ciuit. Dei lib. 1. cap. 29. Appian. de bello Punico.*

b 1. *Regum cap. 12. & Iudith c. 2. 3. & 4.*

c *Plut. in apophth.*

Porrò tempore belli, ſi ſic reipubl. expediat, non ſolùm hoſtium, ſed etiam ciuium ædes, ad mœnia cõſtitutæ, ex quibus incendiũ vel inſidiæ timeri poſſunt, proſterni ac dirui poſſe, etiam nullo ſoluto precio, legibus ſtatutum eſt. a

a l. ſi cui. C. de ædific. priuat. l. ædificia. C. de oper. public.

DE IMPERATORE VEL DVCE EXERCITVS.

1 *Nihil rarius perfecto imperatore.*
2 *Imperatoris nomen quibus commune.*
3 *Præſtat habere bonum ducem, quàm bonos milites.*
4 *Qua ætate eligendi duces.*
5 *Leges annales Romanorum.*
6 *Quatuor in imperatore requiri.*
7 *Virtutes imperatoris.*
8 *Imperator non temere cum hoſte confliget.*
9 *Præſtat ingenio ſuperare, quàm gladio.*
10 *Cautus imperator præferendus audaci.*
11 *Hoſtis re frumentaria prohibendus.*
12 *Ab inceptis non facilè diſcedendum.*
13 *Conſtantia & fiducia imperatoris in bello.*
14 *Militum animi ante conflictum variis modis confirmandi.*
15 *Exercitus incommoda tegenda.*
16 *Optimus imperator qui maximè cognitas habet res hoſtium.*
17 *Non temere transfugis credendum.*
18 *Imperator ad omnia aſpera ſe ducem præbeat.*

19 *Im-*

19 *Imperator cautè verſari debet in periculis.*

20 *Conſilium Antigoni.*

21 *Non ſolùm bellandi virtus, ſed etiam aliæ virtutes quærendæ in imperatore.*

22 *Imperatori liberum arbitrium permittendum.*

23 *Carthaginienſes aſperi in duces belli.*

CAPVT SECVNDVM.

SI bellum gerẽdum eſt, in primis cer-
tè videndum, quem exercitui præfi-
ciamus: tanti enim eſſe exercitũ, quanti
imperatorem, verè proditum eſt; nihilq́;
rarius inueniri poſſe perfecto impera-
1 tore *. quod nomen olim commune erat
2 ijs, qui exercitui * ad certũ tempus præ-
eſſent: quamuis poſtea Cæſar, quem alij
ſecuti ſunt, ſummum principatum ade-
ptus, perpetuum imperatoris nomen
ſumpſerit [a]. Itaque Philippus Macedo
admirari ſe aiebat, quòd Atheniẽſes ſin-
gulis annis nouos imperatores eligerẽt:
cùm ipſe in omni vita non niſi vnum
ducem bonum Permeniona inueniſſet.
& idem dicebat, præſtãtiorem eſſe exer-
3 citum * ceruorũ imperante leone, quàm
leonum duce ceruo. atque ita C. Cæſar,
cùm iret in Hiſpaniam cõtra Petreium,
dicebat ſe non magni eum facere, quòd
iret ad exercitum ſine duce. & C. Fabri-
cius,

a *Appian. in proœm. Rom. hiſt. Tacitus. ann. libro 3.*

cius, cùm audiret Romanos à Pyrrho victos, Non, inquit, Epirotæ Romanos, ſed Pyrrhus vicit [a]. Et certè exemplo Marcij Coriolani ſatis apparet, ducibus ſuperiorem, quàm exercitu, rem Romanam fuiſſe, inquit Liuius [b]. Volſci enim, ſemper antea victi à Romanis, Coriolano duce victores exſtitere. Hinc Epicrates de re militari diſſerens, ait exercitum eſſe quaſi quoddã animal homini perſimile, cuius caput ſit imperator; acies inſtructa, pectus ac thorax; pedites, manus; equites autem, pedes: & ſicut in corpore, conturbato commotoque capite, membra reliqua nullum officium præſtare poſſunt; ſic perturbato imperatore, exercitus omnis fluctuet, periclitetur, ac pereat, neceſſe eſt. Et, mortuo Alexandro, exercitum eius vagantem, & in ſeipſum impingentem, Leoſthenes ſimilem dixit Cyclopi eſſe; qui amiſſo oculo, vſquequaque manus intendebat, nullum ad certum ſcopum directus: ita, ſublato duce, magnitudinem exercitus incertis motibus agitari: atque adeò ſicut anima deſerente, cadauera non ſubſiſtunt, non cohærent, ſed diſsipantur & diſſoluuntur; ita exercitum Alexandri, eo mortuo palpitare, concuti, atque æſtuare [c]. Et quidẽ, quo difficilius bellũ inſtat, eo maiori cura elaborandum eſt, vt ſuperiorem; ſin minùs, parem impera-

rato-

a Plut. in apophth.

b libro 2.

c Plut. de fortitud. & virtut. Alexand. orat. 2.

ratorem hoſtium duci quæramus. nam quilibet nautarum vectorumque, vt Q. Fabius dicebat, tranquillo mari gubernare poteſt: vbi ſæua orta tempeſtas eſt, ac turbato mari rapitur vẽto nauis, tum viro & gubernatore opus eſt [a]. Quare a Liuius l. 24.
4 Plato ante trigeſimum ætatis annum* neminem militiæ præficiendum ſtatuit: etiamſi ſpectatæ virtutis eſſet, & aliqua militari gloria illuſtris. Hanc ætatẽ legitimã bellicis muneribus arbitrati quoque ſunt Athenienſes: tametſi huic legi aliquando derogatũ ſit, & præcipuè Alcibiadis gratia, qui adeò gratus fuit populo in adoleſcentia, vt omnium ciuium oculos, quoties in publicum prodiret, in ſe conuerteret, nemoque ei par Athenis cenſeretur. is ante ætatem bello Syracuſano præfectus fuit: cui tamen duo longè maiores natu collegæ dati ſunt, Nicias & Lyſimachus, vt tutiùs reipubl. conſuleret. Romani verò etiã ſuas leges
5 annales * habuere, quibus grandior ætas (quòd adoleſcentiæ temeritatem vererentur) ad conſulatum, aliosque magiſtratus, conſtituta fuit. veteres tamen illos admodum antiquos leges annales non habuiſſe, dicit Cicero [b]: quas multis b Philipp. 5. pòſt annis attulit ambitio, vt gradus eſſet petitionis inter æquales: quo factum eſt, vt idem Cicero ait, vt ſępe magna indoles virtutis, priuſquã reipub. prodeſſe po-

perit, reſpondit: vt oſtenderet vincendi rationem in vnius potiùs ſcientia & ingenio, quàm in multorum viribus & armis eſſe. non enim eædem militares & imperatoriæ artes ſunt. Præterea imperator,
20 vel potiùs ſummus princeps * meminiſſe debet conſilij Antigoni: qui ſæua tempeſtate iactatus, cùm in eadem naue ſecum ſuos omnes habuiſſet: præcepiſſe liberis dicitur, vt & ipſi meminiſſent, & ita poſteris proderent: ne quis cum tota gente ſimul in rebus dubijs periclitari auderet. cuius præcepti memor Philippus, Romanis bellum illaturus, duos ſimul filios in aleam eius, qui proponeretur caſus, cõmittere noluit: itaque maiorem ſecum duxit; minorem ad cuſtodiam regni remiſit in Macedoniá [a]: prudentes patresfamilias imitatus, qui ſoliti ſunt, non omnem vnum in locum pecuniam reponere, ne, ſi chaſmate, incendio, aut bello fortè periret, vniuerſa etiam interiret hominis ſubſtãtia. quò ſpectat iactatum inter agricolas adagium, cuius admonet Celſus [b]: Pecuniá ſine peculio fragilem eſſe. quem locum pulchrè explicat Corraſius [c]. Porrò non ſolũ bel-
21 landi virtus*, vt inquit Cicero [d], in ſummo & perfecto imperatore quereńda eſt, ſed multæ ſunt artes eximię huius adminiſtræ, comiteſque virtutis. In primis autem requiritur in eo, qui alijs impe-

O rare

a Liuius l. 40.

b in l. ſi chorus. §. 1. D. de legat. 3.

c Miſcellan. iur. ciuil. lib. 1. cap. 13.

d pro lege Manil.

rare vult, vt ſibi & cupiditatibus ſuis imperare poſsit, & imperium, quod in alios exercere vult, omnium grauiſsimè & ſeueriſsimè in ſeipſum exerceat. neq; enim poteſt exercitum continere is imperator, qui ſeipſum non continet: neq; ſeuerus eſſe in iudicando, qui alios in ſe ſeueros eſſe iudices non vult. refrenet ergo libidines, ſpernat voluptates, iracundiam teneat, coërceat auaritiam, & ceteras animi labes repellat. cui quidem ita affecto, vt inquit Cicero [a], quæ vim habere maximam dicitur, præſertim in bello, fortuna ipſa cedit: quæ, ſicut ſapiẽs Poëta dixit, ſuis cuique fingitur moribus: quemadmodum de M. Porcio Catone traditur, viro omnibus virtutibus prædito, tantam in eo vim animi ingenijq́ue fuiſſe: vt quocunque loco natus eſſet, fortunam ſibi ipſe facturus videretur; tam in rebus bellicis quàm ciuilibus [b]. & non temere creditum fuit, feliciorem futurum Alexãdrum Magnum, ſi viciſſet ſuperbiam atque iram, mala inuicta, aliaque animi vitia: ſed quem Perſarũ arma non fregerunt, vitia vicerunt [c]. Ageſilaus verò ſummus dux dicebat, malle ſe vincere malas cupiditates, quàm maximã hoſtium vrbem capere. meliùs enim eſſe ſuam ipſius conſeruare libertatem, quàm alijs eam adimere [d]. & Scipio ex capta Cartgagine non

a *in Paradox.*

b *Liuius l. 39.*

c *Quint. Curtius lib. 6.*

d *Plut. in apophth.*

non maiorem gloriam meruit, quàm quòd captiuam adeò eximia forma inter ceteras, vt quacunque incederet, conuerteret in ſe omniũ oculos, inuiolatam & intactam ſponſo Allucio reſtituerit, precio redemptionis illi in doté dato[a]. & idem Scipio, cõciliata ſibi clementiæ & continentiæ fama, plus in Hiſpania profecit, quàm inuictis Romanorũ armis. Itaque cùm Poëtę monſtra ab Hercule domita, & tyrãnos occiſos fingunt, indicant bonum imperatorem, cuius exemplum nobis Herculem proponunt, corruptos animi affectus cõprimere de-
22 bere. Ceterum imperio alicui delato *, conſultum erit, liberum illi de ſumma rerum ſtatuendi arbitrium permittere, exemplo ſenatus populíque Rom., qui omnium rerum arbitrium, quod ad bellum attinet, imperatori permittebant; & vtrùm ſedendo an dimicando rem gerere, hoc vel illud oppidũ oppugnare viſum eſſet, ipſius iudicio relinquebãt; neque quicquã ſibi reſeruabãt, quã auctoritatem noui belli indicendi, aut fœderis ſanciendi cum hoſte: quæ ſummi imperij eſſe alio loco oſtendimus[b]. Itaque Q. Fabius conſ. in Hetruſcos miſſus, vt ſocijs Sutrinis, quos Hetruſci obſidebant, opem ferret, Hetruſcis prælio fuſis fugatiſque, inconſulto ſenatu, per ſiluam Ciminiam hoſtes perſecutus, in Hetru-

a *Liuius l. 26.*

b *ſuprà lib. 1. cap. 6.*

riam bellum tranſtulit [a]. & Cn. Manlius conſ. Antiocho deuicto, Gallogræcis, quòd Antiochum auxilijs iuuiſſent, ſine ſenatus auctoritate, & iniuſſu populi, bellum intulit: & nec quicquam criminantibus eum legatis, qui cum eo fuerant, triumphans in vrbe inuectus eſt [b]. Similiter Cæſar, cui Gallia prouincia obtigerat, Germanis Gallia expulſus Rhenum trãſiuit, vt cum Sicambris bellum gereret, quòd illos, qui ſibi Galliæque bellum intulerãt, & in fines Sicambrorum ſe receperant, dedere nollent: & in Britanniam quoque exercitum tranſtulit, quòd omnibus fere gallicis bellis, hoſtibus Romanorũ inde ſubminiſtrata auxilia intelligebat: hæcque omnia ex ſuo tantùm arbitrio fecit [c]. Cn. autem Pompeio bellum aduerſus piratas lege Gabinia in triennium ita mandatũ fuit, vt toto mari, quod eſt intra columnas Herculis, & in maritimis prouincijs, vſque ad quadringenteſimũ à mari ſtadiũ, poteſtatem haberet imperandi regibus, præſidibus, ciuitatibus; vt ſe omnibus ad eius belli adminiſtrationem neceſſarijs iuuarent [d]. & Q. Fabio Max. dictatori permiſſum fuit, vt omnia faceret, vt è republica duceret. & T. Quintio conſ. liberum arbitriũ pacis, ac belli cum Philippo permiſſum fuit [e]. in quo meritò prudentiã ſenatus populiq́ue Rom. laudes.

a *Liuius l. 9.*
b *Liuius l. 38.*
c *Cæſar de bell. gal. lib. 4.*
d *Plut. in Pompe. Cicero pro lege man. Appian. in Mithryd.*
e *Liuius l. 32.*

des. nam qui ex alieno metu, volũtateq́; pendet, nihil magnum præſtare poteſt. Difficile quoque fuiſſet ſenatui, ea quæ oculis ſubiecta non ſunt, ſuo iudicio adminiſtrare: & vbi caſtra locanda eſſent, ſcire: quæ loca præſidijs occupanda: quando cum hoſte confligendum: quando quieſcendũ eſſet, præſcribere: & è terra, quod aiũt, gubernare: præſertim cùm puncto tẽporis, vt inquit Liuius, cuius præteruolat opportunitas, ſi cunctatus paululũ fueris, nequicquã mox amiſſam queraris. Porrò quò maiori animo, & omnibus curis libero, ad ſummã rerum imperatores conſulere poſſent, ne metu ſupplicij à re gerenda deterrerentur: ſenatus populusq́, Romanus, re fortè malè geſta, fortunã tantùm belli incuſans, nunquam crudelius quicquã in eos ſtatuit: nec vnquam atrocior in eos, qui temeritate atq; inſcitia, exercitus amiſiſſent, fuit; quam vt pecunia eos multaret: capite anquiſitum ob rem bello malè geſtam, de imperatore fere nunquã fuit: ipſam calamitatẽ ſatis pœnę eſſe exiſtimãtes & laude fruſtrari. cuius rei exemplo ſunt M. Sergius, & P. Virginius tribuni militũ conſulari poteſtate, bello contra Veiẽtes. nam cùm fortè hoſtes ea regione, qua M. Sergius præerat, caſtra adorti eſſent; nec ſe iam Romani ab hoſtibus tueri poſſent, & ſola ſpes eſſet, ſi à maio-

ribus caſtris ſubueniretur, quibus Virginius præerat priuatim Sergio inuiſus & infeſtus: noluit Virginius collegæ auxilium ſubmittere, niſi peteret: & Sergius, ne quam opem videretur ab inimico petijſſe, vinci ab hoſte, quá vincere per ciuem maluit: ita vt huius pertinaciá, arrogantia alterius æquaret: quo factũ eſt, vt milites diu in medio cæſi, poſtremò deſertis munitionibus perpauci in maiora caſtra, pars maxima atque ipſe Sergius Romã pertéderet: vbi acta vtriuſq; cauſa in ſenatu, & apud populum die dicta, tantùm denis millibus æris grauis rei damnati ſunt [a]. Similiter M. Poſtumius tribunus militum conſulari poteſtate, quòd ad Veios eius opera malè pugnatũ eſſet, decem quoq; millibus grauis æris: & C. Sempronius conſ. ob ignominiam Volſcici belli, quindecim millibus æris damnati ſunt [b]. ſolùm inuenio de Cn. Fuluio prætore, ob exercitum in Apulia amiſſum (cùm omnibus probris oneraretur, & iurati multi dicerent fugæ pauoriſque initium à prætore ortum, ab eo deſertos milites, cùm haud vanum timorem ducis crederent, terga dediſſe) capite anquiſitum fuiſſe: qui priuſquam dies comitiorũ adeſſet, exulatum Tarquinios abijt [c]. Multis verò annis antè, Sp. Seruilius, vt conſulatu abijt, reus capitis fuit, à trib. pleb. die dicta, quòd Hetruſcos

a *Liuius l. 5.*

b *Liuius l. 4.*

c *Liuius l. 36.*

truſcos in caſtra fugientes audaciùs quã prudentiùs perſecutus, robur iuuentutis amiſiſſet. ſed cùm id indigniſsimè ferrent patricij, rem non ferendam dictitantes, eos qui ſe pro republica impigrè hoſtibus obijciant, ſi fortuna minùs faueat, ignauiæ accuſari ab ijs qui nũquam in acie ſteterint: tantum potuerunt apud populum, vt omnium calculis reus abſolueretur: oſtendẽtes non eſſe è republ. damnari duces ob infortunium [a]. Atqui in C. Terentium Varronem conſulem, cuius temeritate, inconſulto collega L. Æmilio Paulo, clades illa Cannẽſis Romanis illata eſt: ex qua relicto exercitu, & collega fortiter mortuo profugit, non ſolùm non eſt animaduerſum ob rem malè geſtam, ſed etiã ex tanta clade redeunti obuiam itum frequenter eſt, & gratiæ actæ, quòd de republ. non deſperaſſet: cui, ſi Carthaginienſium ductor fuiſſet, nihil recuſandum ſupplicij fo-
23 ret [b]. Fuêre enim * Carthaginienſes in militię negotijs tam aſperi, vt imperatores, qui prauô cõſilio, quamuis proſpero euentu, rem geſsiſſent, in crucem tollerent: quod bene geſſerant, deorum immortalium adiutorio, quod malè admiſerant, ipſorum culpæ imputantes [c]. Itaque Mago inſignis Carthaginienſium imperator, qui primus omnium imperium Pœnorum ordinata diſciplina mi-

a Dion.Hal. ant.Rom.l.9.

b Liuius l.22.

c Valer. Max. lib.2.cap.7. Liuius lib 38.

litari conſtituit, vireſque ciuitatis non minùs bellandi arte quàm virtute firmauit [a], ob rem malè geſtam contra Syracuſanos, metu ſupplicij ſeipſum interfecit: quo non contenti Carthaginienſes, mortui corpus in crucem ſuſtulerunt [b]. Sciendum autem hanc laxam & largam de ſumma rerum liberè conſulendi poteſtatem, imperatori tributam, in magiſtro equitum, tribuno, vel alio qui imperatore inferior eſt, admodũ reſtrictam fuiſſe: vt ſuo loco dicemus [c]. & quidem, quantumuis libera permittatur duci rerum omnium, ex arbitrio ſuo adminiſtratio: nihilominus, ſi quid fraudulenter fecerit, de eo tenebitur. nam plenè quidem, vt inquit Scæuola, ſed quatenus res ex bona fide agenda eſt, mandatum cenſetur [d]. & quod in arbitrium alius confertur, ſemper ad boni viri arbitrium referendum eſt. [e]

a Iuſtin. l.19.

b Plut. in vita Timoleonis.

c infrà de offic. legati tribuni lib. 3.

d in l. creditor. §. Lucius. D. mandati.

e l. in perſonã. §. generaliter. D. de reg. iur. l. hæc vẽditio. D. de contr. emptio. l. ſi in lege. D. locati. l. ſi ſocietatẽ. D. pro ſocio.

SE-

SEQVVNTVR PROPOSITIONES QVAEDAM BELLICAE, ET

cautiones imperatoriæ, veterum exemplis ſtabilitæ.

VNVM NON PLVRES EXERCItui præfici debere, cum poteſtate libera, eundemque continuum, nec eum quem priùs offenderis, ignominiáue affeceris.

1 *Plurimum imperium bello inutile.*
2 *Quando dictator creari ſolitus apud Romanos.*
3 *Dictatoris poteſtas.*
4 *Non niſi confecto bello ſucceſſor imperatori mittendus.*
5 *Monarchia optima reipub. ſtatus.*
6 *Periculoſum eum quem offenderis ſummæ rerum præficere.*

CAPVT TERTIVM.

QVatuor tribuni militum conſulari poteſtate Romæ creati, quorum tres delectu habito profecti ſunt Veios, documento fuêre, inquit Liuius [a], quàm *a libro 4.*
1 plurium imperium * bello inutile eſſet: tendendo ad ſua quiſque conſilia, cùm aliud alij videretur, aperuerunt ad occaſionem locũ hoſti: incerta namq; acie, ſignũ alijs dari, receptui alijs canũ iubéti-

bus, inuaſère opportunè Veientes, & in fugam egêre. Conſimiliter L. Æmilius Paulus, ac Terẽtius Varro aduerſus Annibalem: nec ita pridẽ Germanorũ principes aduerſus Carolum V. magno ſuo damno experti ſunt, nihil à pluribus rectè imperari poſſe. Itaq; Græci & Romani*, cùm graue bellum aut ſeditio ciuilis rempublicam perturbaret, ad vnius dictatoris aut Archi, aut Harmoſtæ imperium, velut ad ſacrã anchoram confugiebant. vnde Romanis à Veientibus victis, Mœſta ciuitate, inquit Liuius [a], vinci inſueta, ad dictatorẽ creandum recurſum eſt. & alibi, Tumultuante Romæ plebe, cùm res ad maximã ſeditionẽ ſpectaret, trepidi patres, inquit Liuius [b], ad duo vltima auxilia, ſummum imperium, ſummumq; ad ciuem decurrũt, dictatorem dici placet: dicitur M. Furius Camillus. Item Flaminio cum maxima parte exercitus ad Traſymenum cæſó, cùm magna trepidatio Romæ eſſet, ad remedium iam diu deſideratũ, inquit Liuius [c], nec adhibitum, dictatorẽ dicendum ciuitas confugit. & vt idem refert [d], cùm Prænestini diſcordia Romanorum freti, raptim agmine facto, peruaſtatis agris, ad portam Collinam ſigna inferrẽt; Romani à ſeditione ad bellum verſi, dictatorem T. Quintium Cincinnatum creauêre: quod vbi auditum eſt (tantus eius magi-

a libro 4.

b libro 6.

c libro 22.

d libro 16.

2

magiſtratus terror erat) ſimul hoſtes à mœnibus receſſêre, & iuniores Romani ad edictũ ſine detrectatione conuenêre. Itaque non temere creditum eſt, quod Liuius ſenſit [a], Gallos vrbem Romã non capturos fuiſſe, ſi, quemadmodũ aduerſus Fidenatem ac Veientem hoſtem, aliosq; finitimos populos, vltima experiens auxilia, multis tẽpeſtatibus ciuitas fecerat: dictatorem dixiſſet, contra inuſitatum & inauditũ hoſtem, ab Oceano terrarumque vltimis oris bellum cientem.
3 Dictator verò * optima lege creatus, ſummum imperium belli, pacis, pœnarum ac præmiorũ ſine prouocatione habebat: vt liber impedimentis omnibus melius ad ſummam rerum cõſulere poſſet [b]. Qua ratione T. Quintio, & Agrippa Furio conſulib. in Æquos & Volſcos profectis, cùm duo conſules in exercitu Romano pari poteſtate eſſent, quod ſaluberrimũ in adminiſtratione rerum magnarũ eſt, inquit Liuius [c], ſumma imperij, concedẽte Agrippa, penes collegam erat. Similiter Ariſtides, ſummus vir, & Athenienſium imperator bello Marothonio, cùm plures imperatores more Athenienſium creati eſſent pari poteſtate, Milciadi collegæ, vt ſolus imperaret, conceſsit, atque reliquis collegis, vt idem facerent, auctor fuit. idque conſilium conſtat ſublatis contentionibus,

a *libro 5.*

b *Pomp. in l. 2. §. populo. D. de orig. iur.*

c *libro 3.*

bus, glorioſiſsimam de Medis victoriam Athenienſibus peperiſſe [a]. Quàm autem expediat, duci exercitus liberam de ſumma rerum conſulendi poteſtatem permittere, ſuperiore capite oſtendimus. Porrò cùm minimè conueniat, interrumpi tenorem * rerum, in quibus 4 peragendis continuatio ipſa efficaciſsima eſt; non niſi confecto bello ſucceſſorem imperatori mitti expedit. nam inter traditionem imperij nouitatemque ſucceſſoris, qui noſcendis priùs, quàm agendis rebus imbuendus ſit; ſępe bene gerēdæ rei occaſiones intercidunt. Quare Fabius Max. monuit populum, vt magno iudicio conſules crearent, qui poſſent eſſe pares Annibali: Nam, inquit, cùm, qui eſt ſummus in ciuitate dux, eundem elegerimus; tum repente lectus in annum, aduerſus veterem & perpetuum imperatorē comparabitur, nullis neque temporis, neque iuris incluſum anguſtijs, quo minùs ita omnia gerat adminiſtretque, vt tempora poſtulabunt belli: nobis in apparatu ipſo, ac tantùm inchoantibus res annus circumagitur [b]. Vnde etiam Liuius [c], cùm Romanos duces cum Alexandro comparat, eo mirabiliores illos quàm Alexandrum, aut quemquam alium regem facit, quòd denos vicenoſque dies quidam dictaturam, nemo plus quàm

a *Plut. in Ariſtide.*

b *Liuius l. 24.*

c *libro 9.*

quàm annum conſulatum geſsit:ab tri-
buno pleb. delectus impediti ſunt: poſt
tempus ad bella ierunt : ante tempus
comitiorum cauſa reuocati ſunt: in ipſo
conatu rerum circumegit ſe annus: col-
legæ nunc temeritas, nunc prauitas im-
pedimento aut damno fuit: malè rebus
geſtis, rebus alterius ſucceſſum eſt: ty-
ronem aut malè imbutum diſciplina
exercitum acceperunt. At herole re-
ges, inquit, non liberi ſolùm impedi-
mentis omnibus,ſed domini rerum tem-
porumque, trahunt conſilijs cuncta,
non ſequuntur. præterea ſupra hæc om-
nia incommoda, quam arborem quis
conſeruit, ab ea legere alium fructum
indignum videtur.vt Qu. Fabius Max.
dicebat,petens Hetruriā, extra ordinem
prouinciam ſibi dari: qui aperuiſſet Ci-
miniam ſiluam,viamque per deuios ſal-
tus Romano bello feciſſet [a]. Et his qui- a *Liuius l. 10.*
dem argumentis & exemplis, multum
iuuatur ſententia eorum, qui monar-
5 chiam * & regiam poteſtatem vniuerſæ
naturæ congruētem, optimum reipubl.
ſtatum conſtituerunt. Quare etiam Si-
bylla carminibus ſuis augurata dicitur
reipubl. Romanæ ſalutem in regno poſi-
tam eſſe, & ciues aliter ſeruari nō poſſe,
quàm ſi regem haberent. Nam vt Tibe-
rius dicebat, fieri non poteſt, vt reſpubl.
bene conſtituta, quod vnum tantùm eſt

cor-

corpus, plura capita habeat. Ceterum, periculoſiſsimum quoque erit *, eum quē offenderis, vel ignominia affeceris, ſummæ rerum pręficere. cuius rei exemplo eſſe poteſt M. Liuius: qui cùm ex conſulatu populi iudicio damnatus, ignominiam ægrè ferens, in rus migraſſet, & octauo poſt damnationem anno, in vrbem reductus, iterum conſul factus eſſet: memoriæ proditum eſt, plenum adhuc ira in ciues M. Liuium, ad bellum proficiſcentem contra Annibalem, monenti Q. Fabio, ne priuſquā genus hominum cognoſceret, temere manum confereret, reſpondiſſe, vbi primùm hoſtium agmen conſpexiſſet, pugnaturum: cumque quæreretur, quæ cauſa feſtinandi eſſet: Aut ex hoſte egregiā gloriam, inquit, aut ex ciuibus victis gaudiū meritū certè, etſi non honeſtū capiam [a]. Similiter Harpagus, cùm Aſtyages Medorum rex illi infeſtus, in vltionem ſeruati nepotis Cyri, filium eius interfeciſſet, epulandumque patri tradidiſſet: ad tempus diſsimulato dolore, odium regis in vindictæ occaſionem diſtulit: & poſtea cùm Cyrus Aſtyagi bellum inferret, & Aſtyages ſummam belli Harpago commiſiſſet: exercitum acceptū, ſtatim Cyro per deditionem tradidit, & regis crudelitatem perfidia defectionis vltus fuit. [b]

a Liuius l. 27.

b Iuſtin. lib. 1.

VTRVM

VTRVM LENITATE ET BENEuolentia: an verò ſeueritate & ſæuitia plus proficiet Imperator.

1 *Nullum animal maiore arte tractãdum, quàm homo.*
2 *Scipio humanitate, Annibal crudelitate, parem in rebus bellicis gloriam conſecuti ſunt.*
3 *Manlius ſeueritate, Valerius benignitate milites in officio continuerunt.*
4 *Cauendum ne nimia lenitas pariat contemptum, neque nimia ſæuitia odium.*
5 *In principe requiritur beneuolentia.*
6 *Non poteſt amor cum timore miſceri.*
7 *Imperator apud ſuos milites plus proficiet comitate, quàm morum aſperitate.*
8 *Homo beneficio & beneuolentia inuitari cupit.*
9 *Obſequio mitigantur imperia.*
10 *Beneuolentia etiam apud hoſtes multum poteſt.*

CAPVT QVARTVM.

NOn ſolùm bellãdi virtutẽ in ſummo ac perfecto imperatore quærẽdam eſſe alibi diximus: ſed multas alias eſſe artes eximias, huius adminiſtras, comitesque virtutis. & quidem, cùm
1 nullum ſit animal*, vt ſenſit Seneca, maiore arte tractandum, quàm homo: quę-

ri ſo-

ri ſolet, vtrùm in imperatore requiratur magis aſperitas & ſæuitia; an verò humanitas & beneuolentia. qua de re in vtramque partem innumera poſſent adduci exempla: & in primis ſeſe offerunt Annibal & Scipio *, ſummi duces, 2
qui diuerſiſsimis ingenijs, longè diuerſiore modo ac ratione, parem ex rebus bellicis gloriam reportauêre. hic enim in Hiſpaniam miſſus, innata ſibi humanitate & beneuolentia, non ſolùm militum animos ſibi deuinxit: ſed etiam conciliata clementiæ fama, totam Hiſpaniam Romanæ ditionis fecit: ille contrà, magna violentia, crudelitate, & rapina, Italiam deuaſtauit; & omnes populi Italiæ, omnia fere oppida ad eum defecêre: ita vt, quemadmodum Hiſpania, beneuolentia Scipionis; ſic Italia, timore Annibalis ſubacta fuerit. Simile exemplum habemus in Manlio Torquato, & Valerio * Coruino, qui pari 3
virtute & gloria vixêre Romæ: diſpari tamen ingenio & ratione procedendi. Manlius enim ferox natura, maximè ſeuerus in diſciplina militari fuit: Valerius verò omni genere humanitatis & beneuolentiæ milites proſecutus eſt. vſque adeò vt, ad milites in officio continendos, ille filium victorem, & ſpecioſa ſpolia referentem, quòd eius iniuſſu pugnaſſet cum hoſte, virgis cæſum

ſecu-

ſecuri percuſſerit: hic verò neminem vel offenderit quidē. attamen pro tam diſsimili ratione agēdi, nō diſsimilē fructum & gloriam retulêre. nulla enim vnquam ſeditio inter vtriuſque ducis milites orta fuit: nūquam vllus pugnam detrectauit, aut dicto minùs obediens fuit: & vterque maximas res geſsit. Manlius itaq; ſua ſeueritate & imperioſis edictis, diſciplinam militarē mirum in modum ſtabiliuit: Valerius verò, tantū in militari diſciplina ſeruans, innata ſibi humanitate & lenitate militum animos flexit, & obedientiſsimos habuit: & ſi quos fortè legum & diſciplinæ contemptores puniebat, non hoc imperatoris ſeueritati, ſed conſtitutioni legū aſcribebant. non enim vbi imperio, vbi lege agi poterat, volebat. & hæc exempla propoſitā quæſtionem ſatis dubiam relinquunt. Porrò
4 illud certè* magno iudicio, vtràuis viam ſequamur, cauendum: ne nimia lenitas pariat contemptum: quod Scipioni euenit: inter cuius milites maxima ſeditio mota eſt in Hiſpania: neque nimia ſæuitia odium excitet: quod Annibali accidit: qui crudeliter & auarè ſpoliando ea, quæ tueri nequibat, vt vaſta hoſti relinqueret, omnium animos à ſe abalienauit, neque indigna patientium modò, ſed ceterorum etiam: quippe ad plures exemplum, vt inquit Liuius[a], quàm ca- *a libro 36.*

lamitas pertinebat. Ceterum qui de in-
ſtitutione principis * ſcripſère, potiùs 5
Valerium & Scipionem imitãdos pro-
ponunt; & humanitaté, beneuolentiam,
& ſimiles virtutes in principe requirunt:
vt de Cyro ſcripſit Xenophon. malus e-
a offic. lib. 2. nim cuſtos *, vt inquit Cicero [a], diutur- 6
nitatis metus, contraq; beneuolentia fi-
delis eſt, vel ad perpetuitatem. & Præ-
b Satur. lib. 1. cap. 2. textatus apud Macrobiũ [b], Qui colitur, "
inquit, etiam amatur: non poteſt amor "
cum timore miſceri. vnde putas arrogan- "
tiſsimum illud manaſſe prouerbiũ quod "
iactatur; Totidem nobis hoſtes eſſe quot "
ſeruos? non habemus illos hoſtes, ſed fa- "
cimus, cùm illis ſuperbiſsimi, contume- "
lioſiſsimi, crudeliſsimi ſumus. Itaq; præ- "
clarè Ennius.

Quem metuunt, oderunt;
Quem quiſque odit, periſſe expetit.

Et multorum odijs nullas opes poſſe ob-
ſiſtere, interitu C. Cæſaris oſtendit Ci-
c offic. lib. 1. cero [c]. atque hanc ſententiam etiam in
Imperatore * confirmat exemplum Ap- 7
pij Claudij, & T. Quintij conſſ.: Appius
enim in Volſcos miſſus, vexando ſæuo
imperio exercitum, hoc ſua acerbitate
effecit, vt milites omnia ſegniter, ocioſè,
negligenter, contumaciter agerent: &
eos nec pudor nec metus coërceret, o-
dio conſulis exacerbatis omniũ animis:
vſque adeò vt Romanus exercitus in a-

tiem productus, non ſolùm vincere noluerit, ſed vinci voluerit, & turpi fuga petierit caſtra. Quintius verò in Volſcos miſſus, natura lenior, comitate & beneficijs animos militum ſibi concilians, præda omni militi data, & laudes addens, quibus haud minùs quàm præmio gaudent militum animi, rebus egregiè geſtis, in vrbem redijt[a]. Item Cæſo fabius conſ. in Veientes miſſus, cùm præter ceteras imperatorias artes, quas parando gerendoque bello ediderat plurimas, ita inſtruxiſſet acié, vt ſolo equitatu emiſſo, exercitum hoſtium funderet, inſequi fuſos, pedes odio conſulis, propter morum aſperitatem, noluit; & iniuſſu ſigna retulit: nec huic tam peſti-
„ lenti exemplo, inquit Liuius[b], remedia
„ vlla ab imperatore quæſita ſunt: adeò
„ excellétibus ingenijs citiùs defuerit ars,
„ qua ciuem regant, quàm qua hoſtem ſuperent. Similiter L. Papyrius dictator, ob ſæuitiam, qua M. Fabium magiſtrum equitum (quòd eius iniuſſu quãuis proſperè pugnauerat cum hoſte) conſtanter ad ſupplicium popoſcerat, neque militibus gratus fuit, neque hoſtibus terribilis: quam tamen maximam imperatoris laudem eſſe cenſet Ageſilaus. itaque cùm hoſtes ad caſtra Papyrij acceſsiſſent, tantum momenti in vno viro Papyrio erat, inquit Liuius[c], vt ſi ducis conſilia fauor

a *Liuius lib. 2. Dion. Hal. lib. 9.*

b *lib. 2.*

c *lib. 8.*

 ſub-

ſubſecutus militum foret, debellari eo die cum Samnitibus potuiſſe pro haud dubio proditũ ſit: ita inſtruxerat aciem loco ac ſubſidijs, ità omni artè bellica firmauerat: ſed ceſſatum a milite, ac de induſtria, vt obtrectaretur laudibus ducis, impedita victoria fuit. verùm ſenſit peritus dux, quæ res victoriæ obſtaret: temperandum ingènium ſuum eſſe, & ſeueritatem miſcendam comitati: atque ita maxima dexteritate, ſauciorum præcipuè curam ſuſcipiens, tantum profecit, vt mèdẽdis corporibus, animi priùs militum imperatori conciliarentur: & refecto exercitu, cum hoſte congreſſus, haud dubia ſpe ſua militumque, fudit fugauitque Samnites. Eſt itaque comitate condienda* grauitàs. nam vt ſapienter à Xenophonte ſcriptum eſt: cùm tribus præcipuè rebus ad obtemperandum adducãtur alia animalia, cibis abiectiora, delinimentis erectiora, verberibus contumacia: homo, quod eſt animal generoſiſsimum, neque minis, nèque ſupplicijs cogi vult; ſed beneficio & beneuolẽtia inuitari cupit. Cùm enim bruta ſe vi trahi ſinant, homo non niſi ratione ſe duci patitur.* Nihilominus tamẽ ſciẽdum eſt, regum ducumque clemẽtiam, vt Alexander Magnus dicebat, non in ipſorum modò, ſed etiam in illorum, qui parent, ingenijs ſitam eſſe: obſequio enim

num mitigantur imperia. vbi verò reuerentia exceſsit animis, & ſumma imis confundimus, vi opus eſt, vt vim repellamus [a]. Ceterum beneuolentia * & humanitas, non ſolùm apud milites & ciues prodeſt, ſed etiam apud hoſtes nõ ſemel plus potuit, quàm inuicta Romanorum arma, vt exemplo Scipionis iam oſtẽſum eſt. & facit quoque exemplum Camilli, cùm Faliſcos obſideret, qui alioqui diuturnus videbatur futurus labor, niſi ſua beneficentia, tradens proditorem filiorum regis, ipſos ad deditionem pellexiſſet [b]. Fabricij quoque liberalitas, cùm inſidiantem vitæ Pyrrhi medicum, ipſi indicaret, regis animum fregit & vicit. Humanitas itaque, vt inquit Valerius Maximus [c], vincit iram, proſternit odiũ, hoſtilemque ſanguinẽ hoſtilibus lacrymis permiſcet.

a Q. Curt. l. 8.

b Liuius lib. 5.

c lib. 5. cap. 4.

TEMPORVM RATIONEM PRAEcipuè in bello habendam.

1. *Aliter in bello, aliter in pace agendum.*
2. *In pace conſuetudini, in bello vtilitati parendum.*
3. *Sententia Fabij Max. de Altinio tranſfuga.*
4. *Marcellus L. Brantium beneficio ſibi conciliare, quàm pœna cohibere maluit.*
5. *Scipio Naſica, priuato conſilio conuocatis bonis, Gracchum oppreſsit.*

6 *Octauius Cæſar ſua ſponte bellum intulit Antonio.*

7 *Silent leges inter arma.*

8 *Neceſſitas ex illicito facit licitum.*

9 *Non dicitur fieri contra legem, quod vrgente neceßitate fit.*

10 *Ex occaſionibus belli ratio commutanda.*

11 *Fabius natura cunctator non iudicio.*

CAPVT QVINTVM.

QVi de officijs ſcripſère, in omnibus actionibus maximã temporum rationem habendam cenſuerunt, præſertim in ijs, quæ in caſu conſiſtunt. vnde, vt Q. Fabius Max. Q. Fabio Max. filio conſuli dicebat, aliter in medio ardore belli*, aliter in pace tranquilla arbitrandum & agendũ eſt. 1 in pace enim liberè, prout æquitas & iuſtitia dictat, conſulendum eſt, & legibus inſiſtendum: in bello autem & turbulentis temporibus, ordinarijs hiſce remedijs, irritantur ſępe magis, & accenduntur bella & ſeditiones, quàm ſedantur. Vnde fit plerumque, vt lęges quæ in pace latæ ſunt (niſi forte eæ quæ perpetuę vtilitatis cauſa in ęternum latæ ſint) bellum abroget; quæ in bello pax [a]. vt in nauis adminiſtratione alia in ſecunda, vt inquit Liuius, alia in aduerſa tempeſtate vſui ſunt. Itaq; maiores noſtri inquit Cicero [b], ſemper in pace conſuę-

[a] l. vn. in pr. C. de cad. tol.

[b] pro lege Manil.

2 ſuetudini *, in bello vtilitati paruerunt: ſemper ad nouos caſus temporum nouorum conſiliorum rationes accommodarũt. & alibi[a]: Neceſſe eſt, inquit, in tãta concurſatione perturbationum ac rerum, temporibus potiùs parere quàm
3 moribus. Qua ratione Q. Fabius Max.* pater, Claſsium Altiniũ Arpinatem (qui clam nocte in caſtra Romana vene. at, promittens ſi ſibi pręmio foret, ſe Arpos proditurum eſſe) noluit pro transfuga verberari necarique, quod alijs videbatur, quia poſt Cannenſem cladem, tanquam cum fortuna fidẽ ſtare oporteret, ad Annibalem defeciſſet, traxiſſetque ad defectionem Arpos: & tum poſteaquam res Romana, contra ſpem votaque eius, veluti reſurgeret, nouã refert proditionem. documentum enim ſtatui oportere cenſebat Fabius, ſi quis reſipiſceret, & antiquam ſocietatẽ reſpiceret. nam ſi abire a Romanis liceret, redire ad eos non liceret; cui dubium eſſet, quin breui deſerta ab ſocijs Romana res; fœderibus Punicis omnia in Italia iuncta viſura eſſet. non tamen fidei quicquam Altinio habendum cẽſebat, ſed mediam conſecutus conſilij viam, neque eum pro hoſte, neque pro ſocio habẽdum[b]. Item
4 cùm in maximo diſcrimine Nola eſſet *, quam non tam fiducia ſui pręſidij, quàm volũtate principum Marcellus habebat,

a Philipp. 11.

b Liuius l. 24.

plebe ad defectionem ſpectāte, quæ plurimū timebatur; & ante omnes L. Brantius iuuenis acer, quem conſenſus attentatæ defectionis ac metus à prætore Romano, nunc ad proditionem patriæ, nunc ad transfugiendum ſtimulabat: & Marcellus eum aut pœna cohibendum, aut beneficio conciliandum videret: ſibi aſſumpſiſſe, quàm hoſti ademiſſe, fortem ac ſtrenuum maluit ſocium accitumq; ad ſe, ita comitate ſua, additis etiam premijs, ferocis iuuenis animum emolliuit, vt nemo inde ſociorum, rem Romanam fortius ac fidelius iuuerit. De ceteris verò Nolanis proditionis reis Marcellus, Annibale demum prælio victo, clauſis portis quæſtionem habuit [a]. Et huc quoque ſpectare videtur, quod de Scipione Naſica proditum eſt *. nam cùm Tib. Gracchus, in tribunatu profuſis largitionibus, fauore populi occupato, rempubl. oppreſſam teneret, palamque dictitaret, interempto ſenatu, omnia per plebem agi debere, & conſentientibus cunctis, vt cōſul armis remp. tueretur, Mucius Scæuola conſul negaret ſe vi quicquam eſſe acturum: tum Scipio Naſica: Quoniam, inquit, conſul, dum iuris ordinē ſequitur, id agit, vt cum omnibus legibus Romanum imperium corruat: egomet priuatus voluntati veſtræ me ducem offero: & ſublata dextra proclamauit:

a *Liuius l. 23.*

* 5

mauit: Qui rempub. ſaluam eſſe volunt, me ſequantur: eaque voce, cunctatione bonorum ciuium diſcuſſa, Gracchum cum ſcelerata factione, quas merebatur pœnas ſoluere coëgit[a]. Hinc quoque
6 Cicero[b] laudat Octauiū * Cæſarem, qui non exſpectato ſenatus decreto, bellum contra Antonium ſua ſponte ſuſceperat. Decernēdi enim tempus, vt ille ait, nondum venerat; belli autē gerendi tempus ſi prętermiſiſſet, videbat repub. oppreſſa nihil poſſe decerni. Silent ergo nonnun-
7 quam leges* inter arma, nec ſe exſpectari ſinunt: cùm ei qui exſpectare velit, ante pœna luenda ſit, quàm iuſta repetenda[c]. Eoque ſpectat, quod de C. Mario proditum eſt, qui, cùm duas cohortes Camertiū, quòd mira virtute vim Cimbrorum in acie ſuſtinuiſſent, aduerſus conditionem fœderis, ciuitate donaſſet; excuſauit factum dicendo, inter armorum ſtrepitum, verba ſe iuris ciuilis exaudire non potuiſſe. erat enim id tempus, quo magis defendere, quàm audire leges oportebat[d]. Et certè neceſsitas ſæpe facit lici-
8 tum*, quod alioqui eſſet illicitum[e]. Itaque clade Cannēſi afflictis Romanorum viribus, eò res deducta eſt, vt M. Iunij dictatoris opera, ſpolia hoſtiū affixa templis, deorum numini conſecrata, inſtrumenta militiæ futura, conuellerentur: ac prætextati pueri arma induerent: ad-

a *Val. Max. lib. 3. cap. 2. Appian. de bel. ciuil. lib. 1.*
b *Philipp. 8.*
c *Cicero pro Milone.*
d *Val. Max. lib. 5. c. 2.*
e *c. diſcipulos de cōſec. diſt. 4. cap. ſi quis propter neceſſitatē. de furt.*

dictorũ etiam, & capitali crimine damnatorum, atque ſeruorum aliquot millia (cùm ad id tempus capite cenſos habere milites faſtidierant) conſcriberentur [a]. Quæ ſi per ſe aſpiciantur, vt inquit Val. Maximus[b], aliquid ruboris habent: ſi autem adiunctis neceſsitatis viribus ponderentur, ſæuitiæ temporis conuenientia remedia videbuntur. nam vt idẽ ait: Cedendum fortunæ eſt, vbi niſi tutiora eligantur conſilia, ſpecioſa ſequenti concidendum eſt. Sic quoque C. Mario, & Cn. Carbone conſſ. bello ciuili cum Sylla diſsidentibus: quo tempore non reipubl. victoria quærebatur, ſed præmiũ victoriæ res erat publica: S C. to. aurea atq; argentea templorũ ornamẽta, quę Numa Põpilius ſolẽnibus deorũ ſacris dicauerat, ne militibus ſtipendia deeſſent, conflata ſunt. tanta fuit in ſumma egeſtate honoris publici ratio. nõ autem patrũ conſcriptorum voluntas, vt inquit Valerius Max[c]. ſed tua teterrima neceſsitas, truculenta manus illi conſulto ſtylũ impreſsit. Neq; etiam dicitur fieri contra legem *, quod vrgente neceſsitate fit, & ſuadẽte vtilitate publica. Supremo enim iure, quod Iuppiter ſanxit, vt inquit Cicero [d], omnia quæ reipub. ſalutaria ſunt, legitima & iuſta habẽtur. Itaq; Scipio Africanus, cùm ad neceſſariũ reipub. vſum, pecuniam ex ęrario promi opus eſſet: idq;

a Liu. lib. 23.
b lib. 7. cap. 6.
c lib. 7. cap. 6.
d Philipp. 8.

ãdq; quæſtores, quia lex obſtare videre-
tur, aperire non auderẽt, protinus claues
popoſcit, patefactoq; ærario legẽ vtilita-
ti cedere coëgit[a]. & Lacedemonij, neceſ-
ſitati leges poſthabere coacti, dixiſſe fe-
rũtur: Dormiãt leges hodie [b]. Hinc non-
nulli exiſtimãt, ſi ſubitũ & improuiſum
bellũ timetur, vel alias ex maxima neceſ-
ſitate, teneri eccleſiã ad contributionẽ.[c]
Ceterũ etiam quod ad ipſam belli admi-
niſtrationẽ attinet, vel maximè impera-
tori vel duci exercitus, tẽpori ſeruiendũ
10 eſt*, & ex occaſionibus, belli ratio cõmu-
tandá eſt, & nunc impetu quodã & ala-
critate animi ferociter tẽporis beneficiô
vtendo: nunc cunctando & ſedẽdo cautè
res geri debet. quod quia difficile eſt, re-
pugnantę natura, cùm nõ omnia eidem,
vt inquit Liuius, dij dederint, magna cu-
ra & diligentia, vt ingenium tempori ac-
cõmodemus, enitendum: neque ſemper
exemplo Fabij bellum trahamus; neque
exemplo Marcelli, Scipionis, & aliorum,
ſtudio pugnãdi facilè prælium commit-
11 tamus. Nam Fabius * natura cunctator,
non iudicio, temporis beneficio tantam
in rebus bellicis gloriã meruit: qui impetum hoſtis Annibalis bellicoſi, & ali-
quot victorijs ferocis, cùm prælio facilè
vinci non poſſet, afflictis Romanorum
viribus, ſedẽdo fregit. ſed idem naturam
ſecutus, non tempus etiam reſtauratis
Ro-

a *Val. Max. lib. 3. cap. 7.*

b *Appian. de bello punico.*

c *Ab. Panor. in c. ſicut, vlt. de iureiur.*

Romanorum viribus, in eadem ſentẽtia perſtitit, & Scipioni Africam prouinciam ſibi decerni petenti, contradicebat: cùm tamen ea ſola ratio eſſet trahendi ex Italia Annibalem, vt euentus docuit: & Scipio ſi eo tempore, quo Fabius in Annibalem miſſus fuiſſet, veriſimiliter nimio ſtudio pugnæ, exemplo Flaminij & aliorum, qui Fabium præceſſerant, rem Romanam amplius afflixiſſet. adeo difficile eſt ingenium & naturam mutare. Qua ratione Monarchiæ preferre ſolent liberam rempub. in qua inuenias diuerſiſsima ingenia temporibus apta. Ceterum quàm plurium imperium bello inutile ſit, alio loco obiter oſtendimus.[a]

[a] *ſupra c. 3.*

CONTENTIOSAS ET LENTAS de rebus bellicis deliberationes admodũ noxias eſſe, præſertim vbi facto, magis quàm conſulto opus eſt.

1 *Saluberrimum in conſultationibus, vt omnes vnum ſentiant.*
2 *Tardæ & lentæ deliberationes pernicioſæ.*
3 *In rebus aſperis fortiſſima conſilia tutiſſima ſunt.*
4 *Præclarum Scipionis facinus.*

CAPVT SEXTVM.

CVm in omnibus deliberationibus & conſultationibus, tum præſertim in bellicis, ſaluberrimum eſt*, vt vnum omnes 1.

nes

nes ſentiant, neque diſſentione & pertinacia (quæ plerumque rem in ſummum diſcrimen deducere ſolent) bona conſilia corrumpantur. Quod Appollonides principum vnus, Syracuſanis, mortuo Hieronymo Syracuſarum tyranno, maximaque inter eos orta diſſenſione, alijs Carthaginienſium, alijs Romanorum amicitiam expetentibus, in tanta perturbatione rerum, cùm non procul à ſeditione res eſſet, oratione ſalutari, vt in tali tempore diſertè oſtendiſſe videtur, inquiens. Nec ſpẽ ſalutis, nec perniciem propiorem vnquam ciuitatum vlli fuiſſe: ſi enim vno animo omnes, vel ad Romanos, vel ad Carthaginienſes inclinarent, nullius ciuitatis ſtatum fortunatiorem gratioremq́ue fore: ſi alios aliò trahat res, non inter Pœnos Romanoſq́ue bellum atrocius fore, quàm inter ipſos Syracuſanos: cùm intra eoſdẽ muros, pars vnaquęq; ſuos exercitus, ſua arma, ſuos habitura ſit duces. Itaq; vt vnũ omnes ſentiant, ſumma vi agendum eſſe: vtra ſocietas ſit vtilior, longè minoris adeò rem momenti conſultatione eſſe a. a Liuius l.24.

2 Porrò quemadmodum contentioſæ hæ, ſic & tardæ & lentæ *deliberationes pernicioſiſsimæ eſſe ſolent; præſertim in bello, vbi non ſemel conſilium, alioqui per ſe tutum & ſalubre, mora temerarium & infœlix factum fuiſſe legimus. cuius

rei

rei documento fuêre Lanuuini, qui cùm deliberando tempus terunt, Latinis victis demum auxilium ferre cœperunt. itaque cùm iam portis primæ ſigna & pars agminis eſſet egreſſa: & nuncio allato de clade Latinorum, cōuerſis ſignis retro in vrbem redirent, prætorem eorum Milonium dixiſſe ferunt, pro paululla via, magnam mercedē Romanis eſſe ſoluendam[a]. potuerát autem Lanuuini, vel quieſcendo Romanorum amicitiam conſeruare, vel ſuo tempore auxiliū ferendo Latinis, coniunctis viribus ſuperiores eſſe. Et huc facere videtur, quod Latinis ad defectionem à Romanis ſpectantibus, & decem principibus eorum Romam euocatis, cōſultantibus quid ad ea, quę ſecum actum iri crederét, reſponderi placeret: Annius prætor eorum dicebat: Quanquā ipſe ego, inquit, retuli, quid reſponderi placeret; tamē magis ad ſummam rerum noſtrarū pertinere arbitror, quid agendum nobis, quàm quid loquēdum ſit: facile eſſe explicatis conſilijs, accommodare rebus verba[b]. Nullus itaque cunctationi locus eſt, vt inquit Tacitus, in eo conſilio, quod non poteſt laudari, niſi per actum & in rebus aſperis & tenuibus *, vt inquit Liuius, fortiſsima quæq; conſilia tutiſsima ſunt: quia ſi in occaſionis momento, cuius prǽteruolat opportunitas, cūctatus paululum

a Liu. lib. 8.

b Liu. lib. 8.

Iulum fueris, nequicquam mox omiſſam
queraris. Vnde C. Cæſar, audacia &
magna facinora facienda, non delibe-
randa eſſe dicebat. eſtque in hanc rem
4 præclarum P. Cornelij Scipionis * faci-
nus. nam cùm poſt Cannenſem cladem
ij qui Cannuſium perfugerant, ad Ap.
Claudium Pulchrum, & P. Cornelium
Scipionem tribunos militum, ſummam
imperij detuliſſent, & ijs conſultantibus
de ſumma rerum, P. Philus cõſularis viri
filius, nequicquam eos conſultare nun-
ciaret, perditã ſpem fouere, deſperatam
eſſe rempub. nobiles iuuenes quoſdam,
quorum princeps eſſet L. Cæcilius Me-
tellus, mare ac naues ſpectare, vt deſerta
Italia ad regum aliquem confugerent:
cumque tam malo nuncio omnes ſtu-
perent, & qui aderant conſilium con-
uocandum cenſerent, negabat conſilij
rem eſſe Scipio iuuenis fatalis illius bel-
li: audendum atque agendum, non con-
ſultandum, in tanto malo eſſe: irent ſe-
cum armati, qui rempub. ſaluam vellent:
nuſquam veriùs, quàm vbi ea cogitaren-
tur, hoſtium caſtra eſſe. pergit deinde ire
ſequẽtibus paucis in hoſpitium Metelli;
& cùm concilium ibi iuuenum, de qui-
bus allatum erat, inueniſſet, ſtricto ſuper
» capita conſultantium gladio: Ex mei a-
» nimi ſententia, inquit, iuro, vt ego rem-
» pub. non deſeram, neque alium ciuem
Ro-

Romanum deſerere patiar: ſi ſciens fallo, "
tum me Iuppiter opt. max. domum, fa- "
miliam, remque meam, peſsimo leto af- "
ficias. In hęc verba C. Cęcili iures expo- "
ſtulo, ceterique qui adeſtis: qui non iu- "
rauerit, in hunc gladium ſtrictum eſſe "
ſciat. haud ſecus pauidi, quàm ſi victorē Annibalem cernerent, iurant omnes, cuſtodiendosque ſemetipſos contra Annibalem Scipioni tradunt [a]. Quod certè facinus maiorem Scipioni gloriam peperit, quàm omnes poſtea acti ab eo triumphi. Non itaque cunctatione opus eſt, vt inquit Tacitus, vbi pernicioſior eſt quies quàm temeritas. quod omnium maximè in diſcordijs ciuilibus & rebellionibus locum habet: in quibus, vt idem Tacitus ait, nihil feſtinatione tutius, & magis facto quàm cōſulto opus eſt. omne enim malum naſcens, vt inquit Cicero [b], agens de bello Antonio quàm primùm inferendo, facilè opprimitur; inueteratum fit plerumque robuſtius. atq; ita Cæſar, Gallis belli conſilia renouantibus, coniurationesque facientibus, magnis itineribus, repente omnibus locis occurrit; nec dabat vlli ciuitati ſpacium de aliena potiùs, quàm de domeſtica ſalute cogitandi: qua celeritate, & fideles animos retinebat, & dubitantes terrore, ad conditiones pacis adducebat, & maxima facilitate Gallorum conatus compeſcuit.

a *Liu. lib. 22.*

b *Philipp. 5.*

peſcuit [a]. Quare vt eſt in prouerbio, tẽpus noſſe debemus: ne vt in infelicibus conſilijs euenire ſolet, optima videantur, vt inquit Tacitus, quorum tempus effugit, & inutili cunctatione agendi tempora conſumantur.

[a] Cæſar de bel. gal. lib. 8.

DVM RES ADHVC SVNT INTEgræ, ne minimum quidem regi, vel reipubl. de maieſtate ſua concedendum eſſe: & errare eos qui arrogantiam hoſtium, modeſtia & patientia vinci poſſe exiſtimant.

1 *Regum maieſtas vbi cœpit labi, facilè præcipitatur.*
2 *Hoſti non facilè quid concedendum.*
3 *Præſtat bello victum cedere regno, quàm ſine certamine.*
4 *Patientia & modeſtia hoſtes fiunt ferociores.*
5 *Malis obuiam eundum in tempore.*
6 *Apologus de cane.*
7 *Malis conatibus hoſtium nunquam belli metu concedendum.*
8 *Apologus de lupo, paſtoribus & canibus.*

CAPVT SEPTIMVM.

NIhil quicquã verius profectò, quàm quod Scipio Africanus Antiocho dicebat, monens ne conditiones pacis quas dabat, reſpueret: regum ſcilicet

maieſtatem* difficiliùs ab ſummo faſti- 1
gio ad medium trahi, quàm à medijs ad
a *Liuius l.37.* ima præcipitari[a]. Quare dum res adhuc
ſunt integræ, tum reges vel reſpubl. ſecũ
reputare debent, quicquid de maieſtate
ſua ceſſerint*, cum eo ſimul de ſumma 2
rerum periclitandum eſſe: quod ijs quibus ceſſerint, animum ad plura conſequenda accedant; ac ſuis ad ea defendenda adimant, & omnibus contemptui eſſe incipiant. Præſtat itaque pro fortuna* dignitateque, vt viro forti dignum 3
eſt, quodcunq; belli caſus tulerit, quamdiu aliqua ſpes in armis eſt, pati; quàm ſingula concedẽdo, ſine bello, tota poſſeſsione, excidere: & id de quo cõtenditur bello, omnibus nequicquã tentatis, amittere potiùs eſt, quàm metu belli cõcedere. ita enim bello & pace quæritur,
b *libro 34.* vt inquit Liuius[b], vt inter omnes conueniat, nec quicquam turpius eſſe, quàm ſine certamine ceſsiſſe regno: nec pręclarius quicquam, quàm pro dignitate ac maieſtate omnem fortunam expertum eſſe. eoque magis, quòd ita natura comparatum ſit, vt quorum arrogantiã patientia* & modeſtia vincere arbitramur, 4
ferociores nobis plerumque reddamus: quod pulchrè oſtenditur exemplo Latinorum: nam cùm Latini vna cum Campanis bellum Samnitibus inferrent, & Samnitium legati Romã miſsi in ſenatu
queſti

queſti eſſent, eadem ſe fœderatos pati, quæ hoſtes eſſent paſsi; & precibus infimis peteret, vt Latinos Campanosque, qui ſub ditione populi Romani eſſent, pro imperio arcerent Samniti agro; ſin imperium abnuerent, armis coërcerent, & aduerſus hæc anceps reſpōſum datum eſſet: quia fateri pigebat, in poteſtate ſua Latinos iam non eſſe, timerentque ne arguendo abalienarent: Campanorum verò aliam conditionem eſſe, qui non fœdere, ſed per deditionem in fidem veniſſent: itaque Campanos, ſeu vellent, ſeu nollent, quieturos: in fœdere Latino nihil eſſe, quo bellare cum quibus vellent, prohiberentur. Reſponſum hoc, inquit Liuius [a], ſicut dubios Samnites, quidnam facturum populum Romanum cenſerent, dimiſit: ita Campanos metu abalienauit: Latinos, veluti nihil iam concedèntibus Romanis, ferociores fecit. itaq; per ſpeciem aduerſus Samnites belli parandi, crebra cōcilia indicentes, omnibus conſultationibus inter ſe principes Romanum coquebant bellum: ad quod Annius prætor hac oratione eos accendit: Si quando, inquit, vnquā conſociandi imperij, vſurpandæ libertatis tempus optaſtis, en hoc tempus adeſt: & virtute veſtra, & Deûm benignitate vobis datum. tentaſtis patientiā, negando militem, quis dubitat exarſiſſe eos, cùm

[a] libro 8.

plus ducentorum annorum morem ſol- ,,
ueremus? pertulerunt tamen hunc do- ,,
lorem: bellum noſtro nomine cum Pe- ,,
lignis geſsimus, qui ne noſtrorũ quidem ,,
finium per nos tuendorum ius antea da- ,,
bant, nihil interceſſerunt. Sidicinos in ,,
fidem acceptos, Campanos ab ſe ad nos ,,
deſciſſe, exercitus nos parare aduerſus ,,
Samnites, fœderatos ſuos audiuerũt; nec ,,
mouerunt ſe ab vrbe. vnde hęc illis tan- ,,
ta modeſtia, niſi à cõſcientia virium ſua- ,,
rum & noſtrarum? Atque ita Romanis ,,
tum anceps cum Latinis bellũ fuit, quod
nimia patiẽtia Romanorum, qua ſe bel-
lum euitaturos ſperabant, infeſtiſsimum
fuit: cùm alioqui, ſi primis conatibus
Latinorum obſtitiſſent; paruo negotio
eos in officio continere potuiſſent. non
itaque Romani modeſtia ſua euitauerũt
bellum, ſed diſtulerunt, magno Latino-
rum commodo, in tempus, quo hoſtes
omnibus rebus paratiores ad bellum eſ-
ſent. Præcipienda igitur ſunt cogitatio-
ne futura, & aliquando ante conſtituen-
dum, quid accidere poſsit in vtramque
partem, & quid agendum ſit; atq; ante-
quam eueniat*, obuiam eundum, neque 5
exſpectãdum donec obruaris, & malum
in dies creſcat, & incurabile fiat, quod in
morbis etiam præcipiunt medici. Itaque
Regulus quidam in Gallia, Commano
Segoregiorum regi dixit, & affirmauit

Maſ-

Maſsiliam (quam Senanus, cui Commanus ſucceſſerat, Græcis condendam conceſſerat) aliquando exitio finitimis populis futuram: opprimendam ergo in ipſo ortu, ne mox validior ipſum obrueret, ſuaſit: ſubnectens hanc fabulam: Ca-
6 nem aliquando *partu grauidam, locum à paſtore precario petijſſe, in quo pareret: quo obtento, iterato petijſſe, vt ſibi educare eodem loco catulos liceret: ad poſtremum adultis catulis, fultam domeſtico præſidio, proprietatem loci ſibi vendicaſſe. non aliter Maſsilienſes, inquiens, qui nunc inquilini videantur, quandoq; dominos regionum futuros [a]. *a Iuſtin. l.43.*
Si itaque bellum timetur, præſtat imparatos hoſtes inuadere, quàm belli in præſentiarum euitádi cauſa, longè infeſtius bellum in futurum excipere. neq; enim
7 malis conatibus *hoſtium vnquam belli metu concedēdum eſt. nam hac ratione non tam euitatur bellū, quàm cum maximo incōmodo differtur. & ſæpe etiam te bellum oſtendendo, potiùs pacem habiturum confidas, quàm hoſtium arrogantiæ, armis poſitis, concedendo. quo non tam ſedatur ferocia hoſtium, quàm irritatur & alitur. Quò ſpectat quod Cicero ait [b], ſuadens ſenatui, ne pacem facerent cum Antonio: Cauete per deos immortales, P. C. ne ſpe præſentis pacis, perpetuam pacem amittatis. Prudenter *b Philip. 7.*

itaque Romani, Philippo atque Antiocho occultè bellum molientibus, primi vltrò bellum intulerunt; & in Græciam bellum transferre, quàm in Italia excipere maluerunt. eoq; ſpectat quod Vegetius ait: Qui pacẽ deſiderat, præparet bellum: & quod Manlius Capitolinus dicebat: Oſtendite modò bellum, pacem habebitis: videãt vos paratos ad vim, ius ipſi remittent. Salutaris enim ſeueritas, vt inquit Cicero, vincit inanem ſpeciem clementiæ. Quod ſi clemẽtes eſſe voluerimus, nunquam deerunt bella ciuilia. &
a epiſt. lib. 10. vt idem alio loco ait [a]: Hoſtibus non aliter pax dari debet (de bello ciuili agens) quàm ſi armis poſitis eam petãt: ſin autẽ pugnantes eam poſtulent, victoria pax, non pactione parienda eſt. Quò ſpectat quod Mimus ait: Ignoſcere humanum, vbi pudet, cui ignoſcitur: alioqui verò, veterem ferendo iniuriã inuitas nouam. & huc etiam referri poſſe videtur apologus ille à Demoſthene prolatus. nam cùm Alexander Macedo, ſub prætextu quodam libertatis, magnã Græciæ partem inuaſiſſet, & Athenas obſideret, excuſaretq; ſe non ea facere vt libertatem eis eriperet, vrbémve in ſeruitutem redigeret: ſed quòd decem eorum ciues infenſos haberet, qui eum continuò maledictis inceſſerẽt: proinde ſi pauci illi dederẽtur, fore vt ab obſidione decederet, popu-

populumq́ue à bello & fame liberaret: poſcebat vero in primis Demoſthenem, & nouem itidem alios ciues præſtantiſſimos: cumq; anceps eſſet ſenatus, multiq́ue acclamarent multitudini potiùs, quàm paucis eſſe conſulendum: formidarentq́ue pauci illi, qui ad ſupplicium poſcebantur, vixq́ue fari auderent, quòd eorum interitu reliqui omnes pacem ac libertatem ſperarent: ventum fuiſſet in ſententiá vt dederētur, niſi Demoſthenes huiuſmodi fabella regis dolū & in-
8 ſidias aperuiſſet. Lupus aliquando *, in-
›› quit, paſtoribus, quorum diligentiam
›› decipere cupiebat, perſuaſit, vt ſecum in
›› amicitiam conuenirent: ea conditione,
›› vt canes qui ſibi infenſi erant, & cauſas
›› inimicitiarum præbebant, obſides tra-
›› derentur. audiunt paſtores, canesq́ue ob
›› fidem ſeruandæ pacis traduntur, qui
›› ouium diligétiſsimi cuſtodes erant. tunc
›› Lupus adempta formidine, omne pecus
›› pro ſacietate & libidine lacerat ac de-
›› uorat, & paſtores ipſos laniat. Sic etiam in præſentiarum, inquit, viri Athenienſes Alexander facit: qui omnes illos, qui in eius conatus concionantur, quiq; eius inſidias pandunt, depoſcit; quò facilius vrbem cuſtodibus ſpoliatam inuadere ac diripere poſsit.[a]

a Plutar. in vita Demoſt.

AN PRAESTET BELLVM DOMI excipere, an verò in hoſtilem agrum inferre.

1 *Scipionis ſententia.*
2 *Q. Fabij Max. ſententia.*
3 *Athenienſibus feliciora bella fuère domi quàm foris.*
4 *Fabula de Antreo.*
5 *Multum animi addit patriæ aſpectus.*
6 *Agathocles cùm domi obſidionem ferre non poſſet, tamen Africæ bellũ intulit.*
7 *Conſilium Annibalis.*
8 *Sententia Agidis.*
9 *Conſilium Hieronis Syracuſarum regis.*
10 *Aliter foris, aliter domi bella tractari.*
11 *Melior miles extra patriam.*
12 *Fabij exemplum vtile.*

CAPVT OCTAVVM.

FVit hæc quæſtio variè admodum agitata à ſummis ducibus, multis in vtramq; partem adductis argumentis & exemplis: vt vtra ſententia ſequenda ſit, non facilè dixeris: fuitque in ſenatu Romanorum olim magna hac de re cõtentio, inter Q. Fabium Max. & P. Scipionem, qui Africam prouinciam ſibi decerni petebat: non aliter aſſerens finem belli cum Annibale fore *, quàm ſi exercitus in Africam deportaretur, & eò bellum ex Italia auerteretur: referens quale 1

 eſſet,

eſſet, vltrò metum inferre hoſti, & ab ſe remoto periculo, alium in diſcrimen adducere; idq́ue exemplo ipſius Annibalis: & multum intereſſe, alienos populari fines; an proprios vri excindique videas. plus enim animi eſſe inferẽti periculum, quàm propulſanti: tum etiam ad dignitatem populi Romani, famamq́ue apud reges gentesq́ue externas pertinere; non ad defendendam modò Italiam, ſed ad inferenda etiam Africæ arma videri Romanis animum eſſe: caſtraque Romana potiùs eſſe, ſi Carthaginis portis imminerent, quàm Romani iterum vallum hoſtium ex mœnibus ſuis viderent: Africa eſſet reliqui belli ſedes, illic terror fugaq́;, populatio agrorum, defectio ſociorum, cetera belli clades. Contra ea
2 Fabius * Annibalem recto itinere Italia priùs expellendum, quàm per circuitus in Africam trahendum cenſebat: idq́ue natura prius eſſe, tua cùm defenderis, aliena ire oppugnatum, & pacem priùs in Italia optandam, quàm bellum in Africa: & vt ipſis priùs decederet timor, quàm alijs inferretur; vbi non portus vllus claſsi Romanæ apertus, non ciuitas ſocia, non rex amicus, non conſiſtendi vſquam locus, non procedendi: quacunque circumſpexeris, hoſtilia omnia atq; infeſta: aliter quoque Carthaginienſes mœnia patriæ, templa Deûm, aras & fo-

cos defenſuros, quàm Hiſpaniam defenderant: vbi Annibal eſſet, ibi caput atque arcem illius belli eſſe: quem in Africam tractum propinqua Carthago, & tota ſocia Africa potentiorem armis viriſque faceret[a]. Et pro Fabio quoq; facit exemplum Athenienſium *, qui quoad domi 3 bella geſſerunt, victores ſemper exſtiterunt: ſed magna claſſe in Siciliam tranſmiſſa, vna nauali pugna florentem rempubl. ſuam in perpetuum affixerunt. facit quoque quod de Antæo * Lybiæ re- 4 ge fertur: qui ab Hercule Ægyptio, dum in ſedibus ſuis bellũ geſsit, ſuperari non potuit: fraude verò Herculis, extra fines ſuos tractus, cæſus fuit, & vitam cum regno amiſit. quod fecit locum fabulæ, quæ fingit Antæum Neptuni è Terra filium fuiſſe, robore & fortitudine nemini cedentem: cuius membra quotiens labore defecta eſſent, tactu Terrę matris ſuæ recreabantur: quem Hercules cum eo pugnans, medium complexus, quòd aliter ſuperari non poſſet, è terra ſublatum, aſtrictum pectori expirare coëgit[b]. Thomyris quoque Scytarum regina, nequaquam Cyri aduentu territa, maluit aduentum eius operiri, quàm obuiam ire: feliciorem ſibi pugnam intra regni ſui terminos futuram rata, vbi Cyrum in anguſtias pertractum, ex inſidijs cum ducentis millibus Perſarum

a Liuius l.28.

b Lucan. de bel. ciuil. lib.4.

tru-

trucidauit [a]. Item Lacedæmonijs alia *a Iuſtin. l.1.*
bella aduerſus finitimos gerentibus,
cùm Thebani Epaminonda duce, oc-
cupandę vrbis eorum ſpem cepiſſent, ta-
citiq; Lacedæmona proficiſcerētur; non
amplius centum iam effœtæ ætatis viri,
qui domi manſerant, aduerſus quinde-
cim millia militum pugnæ ſeſe obtule-
runt. tantum animorum viriumque pa-
5 triæ & penatũ cõſpectus ſubminiſtrat *,
tantoque præſentia, quàm recordatione
ſui maiores ſpiritus largitur, inquit
Iuſt. [b] nam cùm viderent intra quæ, & *b libro 6.*
pro quibus ſtarēt, aut vincēdum ſibi aut
moriendum cenſuerunt. Et huc ſpectare
videtur conſiliũ T. Quintij Flaminij cõſ.
quo Achæos bellum inferre Zacyntho
molientes, monuit; ne inſtar teſtudinis
(quę vbi collecta in ſuũ tegmē eſt, tuta ad
omnes ictus eſt; vbi exerit aliquas partes,
quodcũq; nudauit, obnoxiũ atq; infirmũ
habet) prolato extra Peloponneſum ca-
pite, periculò ſeſe exponerēt [c]. Pro Sci- *c Liuius l.36.*
pione verò facit ipſe euentus belli, quo *Plutar. in*
Annibalem (qui tredecim annis in Italia *apophth.*
impunè bellũ geſſerat) tractũ in Africam
ſuperauit, & præclara victoria potitus
6 eſt. Similiter Agathocles tyrãnus *, cùm
Pœni Syracuſas obſidione cinxiſſent, &
ſeſe nec viribus parē, nec ad obſidionem
ferendam inſtructũ videret: mira pror-
ſus audacia (vt qui ſua tueri nõ poterat,
im-

impugnaret aliena) bellum in Africam tranſtulit, & caſtra quinto lapide à Carthagine poſuit: & Hannone Pœnorum duce ſuperato, vaſtata Africa, plurimas & nobiliſsimas vrbes, amicitiarum iura non fide, ſed ſucceſſu ponderátes, à Pœ-
a *Iuſtin.lib.22.* nis deficientes, ad ſe pellexit[a]. Facit quoque pro Scipione cõſilium Annibalis *, 7
quo cùm ipſe primùm in Italia per tredecim annos cum maxima gloria bellũ geſsit: tum etiam Antiocho conſilia volutanti de Romano bello, auctor fuit, vt in Italia bellum gereret: Italiam & milites, & commeatum prębituram externo hoſti: in Italia Romanos, ſuis opibus, ſuis viribus, ſuis armis vinci poſſe: ſi nihil ibi moueatur, liceretq; populo Rom. viribus & copijs Italię, extra Italiã bellum gerere, neque regem, neque gentem
b *Liuius l.34.* vllam paré Romanis fore[b]. & hæc quoque fuit ſẽtẽtia Agidis Lacedæmoniorum regis *, qui dicebat Ætolis intra fi- 8
nes ſuos bellum inferendum, nec permittendum, vt Peloponneſi clauſtra in-
c *Plut. in vita Agidis.* trarent[c]. Idem conſilium poſt cędem C. Flaminij, exercitusque Romani ad Traſymenum, populo Romano dedit Hiero Syracuſarũ rex *, amicus populi Rom. 9
vt ſcilicet prætor, cui Sicilia prouincia eueniſſet, claſſem in Africam traijceret, vt hoſtes in terra ſua bellum haberent, minusq; laxamenti daretur ijs, ad auxilia

lia Annibali ſubmittenda [a]. Hoc quoque consilio ſenatus populusque Rom. Macedonicum bellum indixit, perſuadente Seruio Sulpitio conſ., cui Macedonia prouincia euenerat: qui populo, vt rogationem de bello Macedonico indicendo iuberent, his rationibus ſuaſit: non hoc agi, vtrùm bellum an pacem haberent Romani (neque id liberum ijs permiſſurum Philippum, qui terra mariq; ingens bellum moliretur) ſed vtrùm in Macedoniam legiones tranſportarét, an hoſtes in Italia acciperét. Hoc quantum intereſſet, Punico proximo bello expertos eſſe. quis enim dubitaret, quin ſi Saguntinis obſeſsis, fidem Romanorũ implorãtibus, impigrè tuliſſent opem; ſicut patres ipſorum Mamertinis tulerãt, totum in Hiſpaniam auerſuri bellum fuiſſent: quod cunctando cum magna clade Romanorum in Italia acceperunt. Nec illud quidem dubium eſſe, quin Philippum pactum iam per legatos literaſque cum Annibale, in Italiã traijcere, miſſo cum claſſe Leuino, qui vltrà ei bellum inferret in Macedonia, continuiſſent. multo magis florentem Italiam, multo magis integras res, ſaluis tot ducibus, ſaluis tot exercitibus, quos Punicum poſtea bellũ abſumpſit, aggreſſum Pyrrhum, tamen concuſsiſſe, & victoré prope ad ipſam vrbem Romani veniſſe: nec Ta-

[a] *Liuius l. 31.*

Tarentinos modò, oramq; illam Italię, quam maiorem Græciam vocant, ſed etiam Lucanos, & Brutios, & Samnites ab ipſis defeciſſe: quæ quoque, ſi Philippus in Italiam tranſmiſſurus eſſet, quietura aut manſura in fide non eſſe: quemadmodum nec bello Punico manſerunt. ſi piguiſſet Romanos in Africam traijcere, etiamnum tunc in Italia Annibalem futurum fuiſſe, & Carthaginiēſes hoſtes habituros. potiùs igitur eſſe, vt Macedonia quàm Italia bellum haberet, hoſtium vrbes agroſq; ferro & igni vaſtari: expertos iam eſſe, foris ipſis, quàm domi feliciora potentioraq; arma eſſe [a].

a *Liuius l. 31.*

Ex quibus certè conſtat, id quod Agathocles quoque dicebat: Aliter foris *, aliter domi bella tractari: domi ea ſola 10 auxilia eſſe, quæ patriæ vires ſubminiſtrent: foris hoſtem etiam ſuis viribus vinci. His adde, quòd melior procul à domo futurus ſit miles *; vbi nullum 11 eſt refugium, & neceſſitas pugnandi imminet. qua ratione Annibal in Hiſpania bellum gerens, Africam Hiſpanorum præſidio firmauit: & pro eo ſupplementum ipſe ex Africa petijt [b]. Sed & tanto audaciùs, fortiusque pugnaturus eſt miles in hoſtili agro, quanto maior ſpes, maiorque animus inferentis eſt bellum, quàm arcentis. huc accedit, quòd hoſtes deuicti extra fines ſuos,

b *Liuius l. 10.*

ſuos, facile reſtaurare bellum poſsint, & fines ſuos tueri: vbi ſi domi ſuæ hoſtes ſuperaueris, nullo ſpacio recreandi dato, facilè eos opprimere poſsis, & bello finem imponere. quod Annibali victori ad Cannas non difficile fuiſſet, ſi victoria & beneficio fortunę vſus fuiſſet: & ſatis conſtat moram tantùm ſuam ſaluti vrbi atq; imperio Romano fuiſſe[a]. [a] *Liuius l. 22.*
Et his quidem argumentis & exemplis in medium prolatis, vnicuique liberum hac de re conſtituendi relinquimus arbitrium. illud tamen etiam atque etiam penſitandum eſt, ſi de bello inferẽdo vel excipiendo conſultetur, an facilis ſit acceſſus in fines hoſtium, an arcibus muniti, an plani campi, an loca montuoſa, vbi inſidiæ timeri poſſent, àn cum hoſte armato & bellicoſo; an verò inermi & imbelli, & cuius vis omnis in pecunia cõſiſtat, res ſit: qui ſuis viribus domi ſuæ facilè ſuperari poterit, exemplo Carthaginienſium: ſecus ſi cum hoſte armato & bellicoſo, cui domi omnia ad bellum parata ſunt, quales fuêre Romani, res ſit. Ceterum ſi cum hoſte bellicoſo & vincere ſolito domi tuæ bellãdum erit, non
32 inutile videbitur Fabij exẽplum ſequi*; qui Annibalẽ iam aliquot victorijs ferocem, cùm facilè certamine vinci non poſſe videret, ſedendo fregit, & vincere Annibalem prohibuit, vt ab alijs vinci poſ-

poſſet: ſatis citò incipi victoriam ratus, vbi prouiſum foret ne vinceret: qua ratione imperium Romanum multis cladibus afflictum reſtituit. Suntque præclara in hanc ſententiam eiuſdem Fabij verba, quibus L. Æmilium Paulum contra Annibalem euntem ita affatus eſt:
Vna ratio belli gerendi aduerſus Anni- „
balem eſt, qua ego geſsi, nec euẽtus mo- „
dò hoc docet: ſtultorũ iſte magiſter eſt: „
ſed eadem ratio quæ fuit futuraque, do- „
nec res eędẽ manebunt, immutabilis eſt: „
in Italia bellum gerimus, in ſede ac ſolo „
noſtro, omnia circa ciuium ac ſociorum „
ſunt; armis, viris, equis, cõmeatibus iu- „
uant iuuabũtque. id iam fidei documen- „
tum, in aduerſis rebus noſtris dederunt. „
Meliores, prudentiores, conſtantiores, „
nos tempus dieſque facit. Annibal con- „
trà, in aliena, in hoſtili terra, inter omnia, „
inimica infeſtaque, procul à domo, pro- „
cul à patria; neque illi terra, neque mari, „
eſt pax: nullę eum vrbes excipiunt, nulla „
mœnia, nihil vſquam ſui videt. in diem, „
rapto viuit, partem vix tertiam exerci- „
tus eius habet, quem Iberum amnẽ tra- „
iecit: plures fames quàm ferrum abſum- „
pſit: nec his paucis iam victũ ſuppeditat. „
Dubitas ergo quin eum ſedẽdo ſupera- „
turi ſumus, qui ſeneſcat in dies? nõ com- „
meatus, non ſupplementum, non pecu- „
niam habeat [a]? Et certè eò Annibalem, „
tunc

[a] *Liuius l.22.*

tunc redactum fuiſſe conſtat, vt nullo negotio ſuperari potuiſſet, niſi temeritas Terentij Varronis occaſionem rei bene gerendæ hoſti præbuiſſet. Simili ratione Cn. Sulpitius dictator, aduerſus Gallos in Italia bellum trahebat: nolens ſe committere fortunæ aduerſus hoſtem, quem tempus deteriorem in dies & locus faceret: ſine præparato commeatu, ſine firmo munimento morantem: ad hoc ijs animis corporibuſque, quorum omnis in impetu vis eſſet, partua eadem langueſcere mora[a]. [a] *Liu. lib. 7.*

AN PRAESTET INITIO PRAELII magno clamore, & concitato curſu in hoſtes pergere; an verò loco manere, & hoſtium impetum excipere.

1 *Leuiſſima quæque in bello nonnunquam magni momenti ſunt.*
2 *Samnites & Galli primo impetu feroces.*
3 *Fabius ſuſtinuit impetū hoſtium & vicit.*
4 *Decius impetum faciendo in hoſtem victus fuit.*
5 *Fabij exemplum ſecutus T. Veturius.*
6 *A. Cornelius Coſſus dictator hoſtium impetum excipiendo vicit.*
7 *Cæſar reprehendit conſilium Pompeij, qui prædixerat ſuis, vt impetum Cæſaris exciperent.*
8 *Mos Gallorum & Germanorum initio prælij.*

9 *Syri ex clamore indicium ſumebant de futura victoria vel clade.*

10 *Cyri conſilium.*

CAP. NONVM.

IN bello nihil tam leue eſt*, quod non 1
magnæ interdum rei momentũ faciat.
cuius nobis fidem faciunt Q. Fabius, &
P. Decius conſſ., bello contra Samnites
& Hetruſcos: inſtructa enim acie, ita vt
Fabius aduerſus Samnites in dextro cornu,
& Decius aduerſus Gallos in ſiniſtro
cornu cõſiſteret, haud ſimilis pugna, in-
a libro 10. quit Liuius[a], in dextro læuoque cornu
fuit. Romani apud Fabium arcebãt magis,
quàm inferebant pugnam, extrahebantq;
in quàm maximè ſerum diei certamen:
quia ita perſuaſum erat duci, &
Samnites & Gallos* primo impetu fero- 2
ces eſſe, quo ſuſtineri ſatis ſit: longiore
certamine ſenſim reſidere Samnitium animos:
Gallorum quidẽ etiam corpora
intolerãtiſsima laboris atq; æſtus fluere,
primaque eorum prælia plus quàm virorum;
poſtrema minus quàm feminarum
eſſe. in id tempus igitur, quo vinci
ſolebat hoſtis, quàm integerrimas vires
militi ſeruabat Fabius*. Ferocior De- 3
cius, & ætate & vigore animi, quantumcunque
virium habuit, certamine primo
effudit*, impetum faciendo in hoſtem, 4
quod

quod illi nō bene ceſsit : nam ſui milites,
primo cōflictu in fugam acti ſunt & diſ-
ſipati : quos cùm nulla vi ſuſtinere poſ-
ſet, vt morte ſua eam, quam per victoriā
conſequi non poterat gloriam, ſibi para-
ret, exemplo P. Decij patris, ſe legioneſ-
que hoſtium pro exercitu populi Rom.
quiritum deuouit : & quà confertiſsimā
cernebat Gallorum aciem, concitauit e-
quum, inferenſque ſe ipſe infeſtis telis,
interfectus eſt : & Romani amiſſo duce,
quæ res terrori alias eſſe ſolet, ſiſtere fu-
gam, ac nouam de integro inſtaurare pu-
gnam cœperunt : quibus cùm ſuperue-
niſſent ſubſidia, ex nouiſsima acie iuſſu
Fabij ad præſidium collegæ miſsi, victoria
potiti ſunt. Et Fabij exemplum ſecutus
5 T. Vetuſius cōſ.* in Volſcos miſſus, cùm
ad dimicandum hoſtes acie exciuiſſet, &
multitudine aliquantulum Volſci ſupe-
rarent: nec promouit aciem, nec clamo-
rem reddi paſſus eſt; ſed defixis pilis ſtare
ſuos iuſsit : vbi ad manū veniſſet hoſtis,
tum cohortes tota vi gladijs rem gere-
rent: in quo genere pugnæ Mars eſt a-
trociſsimus. Volſci curſu & clamore feſ-
ſi, cùm ſe velut ſtupentibus metu intu-
liſſent Romanis, poſtquā impreſsionem
ſenſêre ex aduerſo factam, & ante oculos
micare gladios, haud ſecus quàm ſi in in-
ſidias incidiſſent, turbati verterūt terga,
& ne ad fugam quidem ſatis virium fuit:

quia curſu in prælium ierant. Romani contrà, quia principio pugnæ quieti ſteterant, vigentes corporibus, facilè adepti feſſos, & caſtra impetu ceperũt; & caſtris exutum hoſtem, Velitras perſecuti, vno agmine victores cum victis irrupêre [a].

a Liu. lib. 2.

Similiter A. Cornelius Coſſus dictator*, 6 acie decertaturus cum Volſcis; quorum ingens erat exercitus, milites ſuos ita affatus eſt: Noſtra victoria eſt milites, ſi „quid dij vateſque eorum in futurum vi- „dent. Itaque vt decet certę ſpei plenos, & „cum imparibus manus conſerturos, pi- „lis ante pedes poſitis, gladijs tantùm de- „xtras armemus: nec procurſari quidem „ab acie velim, ſed obnixos vos ſtabili „gradu impetum hoſtium excipere: vbi „illi vana iniecerint miſsilia, & effuſi ſtan- „tibus vobis ſe intulerint, tum micẽt gla- „dij, & veniat in mentem vnicuique deos „eſſe, qui Romanum adiuuent, deos qui „ſecundis auibus in prælium miſerint. & „ſic vt præceperat pugnant; nec dux legiones, nec fortuna fefellit ducem [b].

b Liu. lib. 6.

Hoc quoque conſilio Pompeius, prælio decertaturus cum Cæſare ad Pharſalũ, ſuis prædixerat, vt Cæſaris impetum exciperent, néue ſe loco mouerent, aciemque eius diſtrahi paterentur: idq; admonitu C. Triarij feciſſe dicitur, vt primus excurſus viſque militum infringeretur, acieſque diſtenderetur: leuiuſque caſura

pila

pila ſperabat, in loco retentis militibus, quàm ſi ipſi immiſsis telis occurriſſent: ſimul fore, vt duplicato curſu, Cæſaris milites examinarētur, & laſsitudine conficerētur: quod Cæſari tamen nullo con-
7 ſilio factum videbatur *: propterea quòd eſt quædam animi incitatio, atque alacritas naturaliter innata omnibus, quæ ſtudio pugnæ incenditur: hanc non reprimere, ſed augere imperatores debere; neque fruſtra antiquitus inſtitutum eſſe, vt ſigna vndique concinerent, clamoremque vniuerſi tollerent; quibus rebus & hoſtes terreri, & ſuos incitari exi-
8 ſtimauerūt[a]. Sic Galli & Germani*, quibus inconſulta ira & furor erat, ſi quādo cum hoſte congredi pararent, diſſono & truci cantu, quem harritum vocabant, cum vlulatu & tripudijs ſcuta quatientes, prælium inibant, ex quo futuræ pugnæ fortunam augurabantur. Similiter
9 Syri * primo congreſſu, Solem venerati, cūm claſsico ſigno dato, pugnam inirent, primo occurſu ad ardorem excitandum, ardentiſsimo clamore concurrebant, & ſigna inferebant: qui ſi conſona voce editus, neque impar, varius, vel diſſonus foret, haud dubiè ſatis animorum ad certamen eſſe, & futuram victoriam ſpondebant. nam is erat index voluntatis & animi cuiuſque: ſi verò excitatior crebriorque ab hoſte ſublatus

a Caſ. de bel. ciuil. lib. 3.

eſſet: quò euentus prælij caſurus foret, indicium haud dubiè præbebat. Quò ſpectat quod Liuius[a] refert, incautè inconſulteque à C. Sempronio conſule prælium commiſſum cum Volſcis: Clamor, inquit, indicium primum fuit, quò res inclinatura eſſet, excitatior crebiorque ab hoſte ſublatus: ab Romanis diſſonus, impar, ſegnis, ſæpe iteratus incerto clamore prodidit pauorem animorum. Cyri verò conſilium fuit *, vt ſi hoſtes tumultuoſiùs irruerent, taciti milites impetum exciperent: ſin autem taciturni, clamore & ſtrepitu acies inuaderent[b]. Plurimum certè refert, vtrùm cum tyronibus, & militiæ inſuetis, qui facilè inuſitato clamore & impreſsione commoueri poſsint, an verò cum veteranis & bello aſſuetis, qui non facilè terreri ſolent, res ſit.

a *libro 4.*

b *Alex. ab Alex. genial. dier. lib. 4. c. 7.*

NON ESSE CONSILII, INVICEM infenſos ciuilibus diſſenſionibus hoſtes, ſola diſcordia fretum inuadere.

1 *Seditio remp. alioqui æternam, mortalem facit.*

2 *Fouendæ ſeditiones hoſtium.*

3 *Hoſtes diſſentientes non ſunt inuadendi.*

CAP.

CAPVT DECIMVM.

1 ÆTernam eſſe magnam rempub.* niſi ciues inter ſemetipſos ſeditionibus ſæuiant: id vnum venenum, eam labem ciuitatibus opulentis repertá, vt magna imperia mortalia eſſent, non temere ab antiquis creditum eſt. cuius rei exemplo eſſe poteſt Romana reſpub., quæ tam diu imperium totius orbis tenuit, donec ciuilibus & inteſtinis bellis, ſuis viribus conſumpta, & ad nihilum redacta eſt. Vnde ſolent prudentes duces fouere ſe-
2 ditiones hoſtium*, ſi quando poſſent; vt hac ratione incruenta victoria, hoſtium viribus potiri poſſent. Quo cõſilio Marcius Coriolanus, victor ad vrbẽ pergens, cùm agrum Romanum popularetur, à Patriciorum agris abſtineri iuſsit; quò illos ſuſpectos plebeijs redderet, & diſcordiam ciuium iam ante natam incitaret[a]. Et Annibal cùm videret Q. Fabium ſolerti cunctatione illi victoriam præripere, qui bellum ratione, non fortuna gereret: quo nomine contemptui erat Romanis, & timidus dictus, ad augendã Fabij inuidiam ab agro ipſius omnẽ vim hoſtilem abſtineri iuſsit, omnibus circa ſolo æquatis, vt occulti alicuius pacti, ea merces videri poſſet[b]. Quam inuidiam vt euitaret Fabius, fertur agros illos vendidiſſe, & precium in redemptionem

a *Liu. lib. 1. Dion. Hal. lib. 8.*

b *Liu. lib. 22.*

captiuorum conuertiſſe: Periclem imitatus, cuius agros in populatione ceterorum Spartani intactos reliquerãt, ſperantes acquirere ſe illi poſſe, aut periculũ ex inuidia, aut ex ſuſpicione proditionis infamiã: quod ante perſpiciens Pericles, & futurũ populo prædixerat, ad inuidiæ impetum declinandũ, agros ipſos dono reipub. dederat; atque ita vnde periculũ quæſitum fuerat, ibi maximam gloriam
a Iuſtin.l. 3. inuenit[a]. Porrò non erit conſultum ſeditioſos hoſtes*, ſola diſcordiæ fiducia 3
inuadere. Nã externus timor, vt inquit Liuius, optimum concordiæ vinculum. Itaque cùm Præneſtini, ex diſcordia Romanorum, occaſionem ſibi dari rati, raptim agmine facto, peruaſtatis protinus agris, ad portã Collinam ſigna inferrẽt: ingensque in vrbe trepidatio eſſet: conclamatum ad arma, concurſumq; in muros atque portas eſt: tandemque ab ſeditione ad bellum verſi, dictatorẽ T. Quintium Cincinnatum creauêre. quod vbi auditum eſt (tantus eius magiſtratus terror eat) ſimul hoſtes à mœnibus receſſêre, & iuniores Romani ad edictum ſine
b Liu. l. 6. detrectatione conuenêre[b]. ciuilia enim certamina terror externus cohibet. Sicque cùm Cæſar Britannis bellũ inferret, ſummam imperij bellique adminiſtrãdi Britanni, communi conſilio, permiſerũt Caſsinellauno, cui cum reliquis ciuitatibus

bus continentia bella intercellerant: ſed aduentu Cęſaris permoti, eum toti bello imperioque præfecerunt [a]. Similiter Veienti bello, Cn. Mālio, & M. Fabio conſſ. cùm ciuilibus diſſenſionibus exaſperatis militum animis, conſules caſtris ſe tenerent, nec prælio rem committere auderent: quòd arma militi non crederent: & his freti hoſtes, omnibus modis laceſſerent ad pugnam Romanos, probra ingerentes, & Romanis inſultantes: Romanus non vltrà contumeliam pati potuit; cumque externa & domeſtica odia certarent in animis, tandem ſuperabant externa: adeò ſuperbè inſolenterque hoſtis illudebat. itaque acie inſtructa, irritatis in hoſtem, & ſibi inuicem reconciliatis militum animis, non alio ante bello, inquit Liuius [b], infeſtior Romanus prælium iniјt. cùm, ſi ſe continuiſſent hoſtes, proprijs ipſorum viribus, & ſuo milite facilè Romanos ſuperare potuiſſent: vt exemplo ſunt Æqui & Volſci: inter quos agrum Romanum ingreſſos, ex certamine Volſci, Æquive imperatorem coniuncto exercitui darent, ſeditio deinde atrox, prælium ortum, & inuicem hoſtes perniciosō & pertinaci certamine ſe confecerunt, & Romanis victoriam tradiderunt [c]. Prudenter itaque Scorio Dacorum dux, cùm ſciret ciuilibus armis di-

a *Cæſ. de bel. gal. lib.* 5.

b *lib.* 2.

c *Liu. lib.* 2. *Dion. Hal. lib.* 8.

ſtineri populum Rom., non tamen occaſione inde arrepta, laceſſendum arbitrabatur, proſpiciens externo bello inteſtinum plerumque reſtingui: & ſuorum animos qui ſtudio pugnæ ardebant, lepidè repreſsit reprehenditque: canes ſiquidem duos ipſis inſpectantibus commiſit: iiſque mox acriter pugnantibus, lupum ingeſsit: quem canes, omiſſa protinus inter ſe ira, communem hoſtem alacriter inuadentes confecêre.[a]

[a] *Cæl. Rhodig. lect. antiq. l. 9. c. 50.*

NECESSITATEM PVGNANDI magno ſtudio imponendam militibus eſſe, & hoſtibus remittendam.

1 *Vis neceſſitatis.*
2 *Milites neceſſitate ad certamen cōpellendi.*
3 *Fugæ ſpecies omnibus modis adimenda militibus.*
4 *Neceſsitas pugnandi, hoſtibus remittenda.*
5 *Hoſtibus aperienda via, qua fugiant.*

CAPVT VNDECIMVM.

QVanta ſit vis neceſsitatis *, à Philoſophis abūdè ſatis diſceptatum eſt, 1
qui ex neceſsitate omnia fieri contendunt. Itaque Thales interrogatus quid validiſsimum eſſet, reſpondit neceſsitas: eam enim ſolá ſuperari non poſſe. Cuius vi ac virtute cognita, & quantum cùm in reliquis omnibus actionibus, tum præcipuè

cipuè in bello poſſet, quātum animi adderet, conſiderantes ſummi duces, ſolent hoc ſtudioſè agere, vt milites ſuos necesſitate aſtringerét ad certamen*. nam, vt inquit Q. Curtius, necesſitas ante rationem eſt, maximè in bello. Atq; ita Q. Fabius dictator, cùm per aliquot dies, poſt ancipitem pugnā cum Samnitibus, cōtinuiſſet ſuos intra vallum, obſeſsi magis quàm obſidentis modo, ſignum repentè pugnæ propoſuit: & efficaciùs ratus ad accendendos virorum fortium animos, nullam alibi, quàm in ſemetipſo cuiquam relictam ſpem, de C. Fabio magiſtro equitum, nouoque exercitu, qui Roma aduenerat, militem celauit; & tanquam nulla niſi in eruptione ſpes eſſet, locorum anguſtias, & commeatus inopiam, militibus expoſuit: & niſi quam victoria patefacerent, viam nullam habere: caſtra quoque, ne infecta victoria, ſicut priſtino die, in ea ſe reciperent, incendi iuſsit: armis munimenta, non munimentis arma tuta eſſe debere inquiés. itaque oratione dictatoris, quæ necesſitatis index erat, accenſi milites, ibant in hoſtem: & reſpectus ipſe ardentium caſtrorum haud paruum erat irritamétum ad victoriam[a]. Sic quoque M. Portius Cato in Hiſpania bellum gerés, circumducto exercitu, procul à nauibus ſuis caſtriſque, vbi ſpem niſi in virtute haberét,

[a] *Liu. lib. 9.*

inter

inter medios hoſtes prælium commiſit, hac exhortatione vſus ad ſuos: Nuſquã ,, niſi in virtute ſpes eſt milites: & ego ſe- ,, dulò ne eſſet feci. inter caſtra noſtra & ,, nos, medij hoſtes, & à tergo hoſtiũ agger ,, eſt. quod pulcherrimum, idem tutiſsi- ,, mum, in virtute ſpem poſitam habere[a]. ,,

a *Liu. lib.* 34.

Et Annibal ſuperatis Alpibus, cum P. Scipione dimicaturus, neceſsitatem pugnandi ſuis expoſuit, inquiens: Dextra ,, læuaque duo maria claudunt: nullam ne ,, ad effugium quidem nauem habemus: ,, circa Padus amnis, maior ac violentior ,, Rhodano: à tergo alpes vrgent, vix inte- ,, gris vobis ac vigentibus tranſitæ. hic vo- ,, bis vincendum, aut moriendum milites, ,, eſt, vbi primùm hoſti occurriſtis: & eadẽ ,, fortuna, quę neceſsitatem pugnandi im- ,, poſuit, præmia vobis ea victoribus pro- ,, poſuit, quibus ampliora homines ne à ,, dijs quidem immortalibus optare ſolẽt. ,, Duos conſules huius anni, vnum in A- ,, fricam, alterum in Hiſpaniam Romani ,, miſere: nihil vſquam nobis relictum eſt, ,, niſi quod armis vindicauerimus. illis ti- ,, midis & ignauis licet eſſe, qui receptum ,, habent, quos ſuus ager, quos ſua terra, ,, per tuta, per pacata itinera, fugientes ac- ,, cipient: vobis neceſſe eſt fortibus viris ,, eſſe, & omnibus inter victoriam mor- ,, témve, certa deſperatione abruptis, aut ,, vincere, aut ſi fortuna mutabit in prælio ,,

„ potiùs, quàm in fuga mortem oppetere.
„ Si hoc bene fixum omnibus deſtinatum-
„ que in animo eſt, iterum dicam viciſtis.
Nullum incitamentum ad vincendum, inquit Liuius [a], homini à dijs immortalibus acrius datũ eſt. Item Vectius Meſſius Volſcorum dux, cùm videret ſuos in medio circumuentos à Romanis, eos increpans clara voce: Hic perituri, inquit,
„ vos telis hoſtium eſtis, indefenſi, inulti?
„ quid igitur arma habetis? aut quid vltrò
„ bellum intuliſtis, in otio tumultuoſi, in
„ bello ſegnes? Quid hic ſtantibus ſpei eſt?
„ an deum aliquem protecturum vos, ra-
„ pturumq; hinc putatis? ferro via facien-
„ da eſt. hac qua me progreſſum videtis, a-
„ gite, qui viſuri domos, parentes, coniu-
„ ges, liberos eſtis: ite mecum. non murus
„ nec vallum, ſed armati armatis obſtant,
„ virtute pares, neceſsitate, quæ vltimum
„ ac maximum telum eſt, ſuperiores eſtis[b].
Porrò vt neceſsitatem militibus imponerent ſummi duces, ſolent varijs modis
3 fugæ ſpem adimere*. itaque Cæſar primùm ſuo, deinde omnium è conſpectu remotis equis, vt æquato omnium periculo ſpem fugæ tolleret, cohortatus ſuos prælium commiſit cum Heluetijs[c]. idq; apud Germanos frequens fuit. Agathocles tyrannus cùm in Africam traiéciſſet, omnes naues conſentiente exercitu incendi iuſsit; vt omnes ſcirét auxilio fugæ adem-

a libro 21

b Liu. lib. 4

c Cæſ. de bel. gal. lib. 1.

adempto, aut vincendum, aut moriẽdum eſſe [a]. Aſtyages Medorum rex cùm Cyro & Perſis prælio decertans, pugnantibus ſuis partem exercitus a tergo poſuit; & in tergiuerſantes ferro agi, vt in hoſtes iuſsit: ac ſuis denunciari ni vincerẽt, non minùs fortes etiam poſt terga inuenturos, quàm à fronte viros atque ingens, ex neceſsitate, pugnandi animus militibus acceſsit [b]. Et fuit apud Romanos frequens, vt fugientes pro hoſtibus cædi iuberentur: profuitq́ue ſæpius ſalubre conſilium, quod in magna conſternatione, abſciſsis rebus ac deſperata ſalute, à Romanis factitatum legimus: vt diſpoſitis equitũ turmis ante munimenta, fugientes temere ex prælio ad caſtra, pro hoſte haberent; illosq́ue ſtrictis gladijs inuaderent: vt non minus à tergo, quàm à fronte infeſtas acies viderẽt. Hęc vltima deſperatio nonnunquã militum animos ita incendit, vt inclinatas, & turpi fuga profligatas acies plerumque repararit: tantoq́ue ardore pugna fuerit reſtituta, vt milites ancipiti coacti metu, victoriã ex hoſtium manibus ſæpe eripuerint. Ceterum eadem ratio, quæ neceſsitatem pugnandi militibus imponendã ſuadet, eandem hoſtibus remittendam * eſſe oſtendit. fit enim plerumque vt deſperatio in virtutem conuertatur: ſecundùm illud Maronis, 4

a *Iuſtin. l. 22.*

b *Iuſtin. lib. 1.*

Vna

Vna ſalus victis, nullam ſperare ſalutem.

Itaque bello Veienti, cùm hoſtes ex prælio ſubtractis ſubſidijs ad caſtra Romana oppugnanda iuiſſent, & Cn. Manlius cõſul euectus in caſtra, ad omnes portas milite oppoſito, hoſtibus viam clauſiſſet: hæc deſperatio hoſtibus rabiem magis, quàm audaciam accẽdit: ita vt cæſo conſule, vis hoſtium amplius ſuſtineri non poſſet, & ad extrema ventum foret, ni legati patefeciſſent vna porta hoſtibus viam, qua erumperent[a]. Quare meritò Scipionis ſentẽtia laudata fuit, qui viam hoſtibus, qua fugerent, eſſe muniendam
5 dicebat[*]. Quanto enim plus ſpei, vt inquit Tacitus, tanto minor ad reſiſtẽdum animus erit: nam ignauiam quoque neceſsitas acuit, & ſępe deſperatio ſpei cauſa eſt: aut ſaltem, vt Q. Curtius ait, magnum ad honeſtè moriendũ incitamentum. Vnde prudenter Themiſtoclès, Græcis volentibus Xerxis prælio victi tranſitum impedire, ipſumque regem cum exercitu intercludere, timens ne interclusi hoſtes deſperationẽ in virtutem verterẽt, & iter quod aliter non pateret, ferro patefacerent; cùm vincere ceteros conſilio non poſſet, per ſeruum Xerxem monuit, vt maturata fuga, tranſitum occuparet[b]. Prudenter quoque M. Furius Camillus dictator, cùm Veios oppugnaret, & cuniculo per Veientanam arcem acto,

a *Liu. lib 2. Dion. Hal. lib. 9.*

b *Iuſtin. lib. 2.*

acto, per quē electos milites immiſerat, vrbem ſuis militibus impleſſet, & omnibus locis pugnaretur; multa iam edita cæde, quo faciliùs vrbe potiretur, neceſſitate defendendi hoſtibus remiſſa, edicere per præcones iuſsit, vt ab in mi abſtineretur: quo factum eſt, vt finis ſanguinis eſſet, & dedi inermes inciperent [a].

a Liu. lib. 5.

Similiter cùm Fregellæ Colonia, nec opinato aduentu Samnitium, nocte occupata eſſet, & Fregellani pugnā aliquam diu æquam (quòd pro aris & focis dimicaretur, & ex tectis adiuuaret imbellis multitudo) ſuſtinuiſſent: fraus deinde rem inclinauit, inquit Liuius [b], quia vocem præconis audiri paſsi ſunt, incolumem abiturum, qui arma poſuiſſet: eaq; ſpes remiſit à certamine animos & paſſim arma iactari cœpta.

b libro 9.

Eodem aſtu C. Fabius Ambuſtus, in Auxuris oppugnatione, cùm vrbe capta, magna adhuc reſiſtentiū (quia cedentibus nihil ſpei erat) pugna eſſet, pronunciari repente iuſsit, ne quis præter armatos violaretur; reliquam omnem multitudinem voluntariam exuit armis: qua ratione facili victoria potitus eſt [c].

c Liu. lib. 4.

Simili modo cùm Sutrium ex ſocijs populi Rom. eodem die, quo ab Hetruſcis oppugnatum erat, Camillus ex improuiſo recepiſſet, & paſſim trucidatis Hetruſcis portas claudi iuſsiſſet, ſpe fugæ adempta, reſtitutum & accen-

accenſum deſperatione hoſtiũ prælium fuiſſe refert Liuius [a], ni præcones per vrbem dimiſsi, poni arma, & parci inermes iuſsiſſent, nec prȩter armatos quenquam violari. tum verò etiam, quibus animi in ſpe vltima obſtinati ad decertandum fuerant, poſtquam data ſpes vitæ eſt, iactare paſsim arma; inermeſque, quod tutiùs fortuna fecerat, ſe hoſti offerre. Cæſar quoque prælio Pharſalico inclinata iam acie Pompeij, prudentiſsimo conſilio, ne hoſtes rurſum inſtaurarent ordines, quoque faciliùs victoria potiri poſſet, dimiſsis circumquaque præconibus, edixit ſuis, vt ciuibus parcerent, & in ſola ſæuirent auxilia: ſimulque victores victis occurrentes, iubebant ſtare ſecuros; quo facto hæc vox, Sta ſecurus, Pompeianis cœpit eſſe pro teſſera: itaque Cæſar victoriam obtinuit [b]. huc ſpectare videtur quod Lycurgus ſuis præcepit, vt ſi prælio hoſtes fudiſſent ac viciſſent, tantiſper modò inſequerentur fugientes, dum victoriam ſtabilirent, deinde ſtatim ſe reciperent: non modò quia græcanicum non eſſet cedentes interficere, ſed & vtilis hæc eſſet ratio. hoſtes enim, ſi ſcirent cedentibus parci; repugnantes occidi, fugam pugna vtiliorem ſibi arbitraturos. [c]

a *libro 6.*

b *Appian. de bel.ciuil.lib.2.*

c *Plut. in apophth.*

IN VICTORIA POTISSIMVM DE pace cogitandum.

1 *Meliùs malam quàm bonam fortunam ferre poſſumus.*
2 *Nec ſecundæ nec aduerſæ res immoderatè ferendæ.*
3 *In victoria paci ſtudendum.*
4 *In bello nihil miſerius victoria.*

CAPVT DVODECIMVM.

ITa profectò natura cõparatum eſt *, 1 vt meliùs malam quàm bonam fortunam ferre poſsimus. etenim, vt inquit Tacitus, ſecundæ res acrioribus ſtimulis animum explorant, quàm aduerſæ: quia miſeriæ tolerantur, felicitate corrumpimur. quod cognoſcens Abdolominus è ſtirpe quidẽ regia, ſed inops admodum & pauper, à Sidonibus permiſſu Alexandri rex conſtitutus, rogatus ab Alexandro qua patientia inopiam tuliſſet, reſpondit: Vtinam eodẽ regnum pati poſſim [a]! & huius quoque rei exemplo eſt ipſe Alexander Magnus, qui, priuſquam ſe fortuna animo eius infudiſſet, oriẽtem eam moderatè & prudenter tulit, ad vltimum verò magnitudinẽ eius non tulit [b]. Fit enim plerunque, vt rebus proſperis inſoleſcat animus humanus, vt iam nec alios ferre poſsit, nec ſe: vbi tamen

a *Q. Curtius lib. 4.*

b *Q. Curtius lib. 4.*

men maximę cuiq; fortunę minimè cre-
dendũ ſit;cùm,quid veſper feret,incertũ
2 ſit. Vnde vt aduerſas res*, ſic ſecũdas im-
moderatè ferre, maximæ leuitatis eſt. &
rectè prçcipere videntur, qui monent, vt
quanto ſuperiores ſimus, tanto nos ſub-
miſsiùs geramus. Sicuti enim equos, vt
ait Cicero [a], propter crebras contentio- a *offic. lib.* 1.
nes prçliorum ferocitate exultantes, do-
mitoribus tradere ſolent, vt his facilio-
ribus poſsint vti: ſic homines ſecundis
rebus effrenatos, ſibiq; præfidentes, tan-
quam in gyrũ rationis & doctrinæ duci
oportet: vt percipiant rerũ humanarum
imbecillitatem, varietatemque fortunę.
nam non ſtatuendo tandem felicitati
modum, nec cohibendo efferentem ſe
fortunam, quanto quis altiùs elatus fue-
3 rit, eo fœdiùs corruet. Itaq; in victoria*,
quæ alioqui inſolens & ſuperba eſt, po-
tiſsimùm paci ſtudendum: neque exſpe-
ctandum, donec (vt Demades de Athe-
nienſ. intempeſtiuo belligerandi ſtudio
deditis dicebat) atrati eãdem petere co-
gamur [b]. nuſquam enim minùs, quàm in b *Plut. de ſa-*
bello, euentus reſpõdet. Quare cùm Ma- *nit. tuenda.*
go, nuncius victoriæ Annibalis ad Can-
nas, Carthaginem veniſſet, &, ſenatu ei
dato, res fratris in Italia ampliſsimis ver-
bis extolleret, & quo propior ſpes belli
perficiendi eſſet, eo magis omni ſpe iu-
uandum Annibalẽ eſſe diceret; his nihil

motus Hanno, quem ſemper belli ſuſcepti aduerſus Romanos pœnituit, prudenter monuit, vt in ſecundis rebus fortuna vti vellent, & de pace potiùs, quàm de bello cogitarent: Nam, inquit, ſi prætermittas hoc tempus; quo magis dare quàm accipere poſſumus videri pacem, vereor ne hæc quoque lætitia luxuriet nobis, & vana euadat[a]. cuius ſententia tunc temporis ſpreta, poſtea ſed ſerò nequicquam à ſenatu laudata fuit: cum eò adacti eſſent, vt quas dare potuiſſent conditiones pacis, poſtea ſibi dari petentibus, denegatæ fuerint: & eo ſtatu eſſent, quo de Latinis refert Liuius, vt neque pacem, neque bellum ferre poſſent; qui ſtatus rerum omniũ miſerrimus eſt. Idem euenit Antiocho, cui (iam Romanis in Aſiam contra ipſum tranſuectis) de pace componenda agenti reſpondit Scipio, hoc priùs faciendum fuiſſe; non iam, vbi frenum ſeſſoremque rex accepiſſet[b]. Non eſt itaque ſapientis, pacem certam, quæ in victoris manu ſit, fallaci ſpe incertæ victoriæ, quæ in fortunæ manu ſit, redimere. Quare Haſdrubal Hœdus Carthaginienſium legatus, cùm de pace in ſenatu Romæ ageret, dicebat, raro ſimul hominibus bonam fortunam bonamque mentem dari, & populum Roman. eò inuictum eſſe, quòd in ſecundis rebus ſaperet, &

a *Liuius l.* 23.

b *Plut. in apophth. App. de bel. Syr. Liuius lib.* 37.

conſulere meminiſſet: ſi in ſecundis rebus bonam quoque mentem donarent dij, non ſolùm ea quæ eueniſſent, ſed etiam ea quæ euenire poſſent, reputaremus. Et Cicero[a] ad Marcellum ſcribens: Licet, inquit, omnia ſint miſera in bellis, miſerius tamen nihil, quàm ipſa victoria*: quæ etiam ſi ad meliores venit, tamen eos ipſos ferociores impotentioreſque reddit: vt etiam ſi natura tales non ſint, neceſsitate tamen tales eſſe cogantur. Itaque Cæſar memor huius impotētiæ humani animi, hoc vnum eſſe tempus de pace agendi cum Pompeio inquit, dum ſibi vterque confideret, & pares ambo viderentur: ſi verò alteri paululum tribuiſſet fortuna, non eſſe vſurum conditionibus pacis eum, qui ſuperior videretur, neque fore æqua parte contentum, qui ſe omnia habiturum confideret.[b]

a epiſt. fam. lib. 4 epiſt. 3.

4

b Cæſ. de bel. ciuil. lib. 3.

DEVICTIS HOSTIBVS, QVA POtiſsimum ratione perpetua pace quieti obtineri poſsint.

1 *Non minor virtus parta tueri, quàm acquirere.*

2 *Conſilium Herennij Pontij de Romanis ad Furcas Caudinas incluſis.*

3 *Sententia Camilli de Latinis victis.*

4 *Iudicium ſenatus de Priuernatibus ad deditionem coactis.*

5 *M. Catonis ſententia in rebellantes.*
6 *Romani non permiſerunt ſociis ſine Romano duce bellum gerere.*
7 *Mos deducendi colonias.*

CAPVT XIII.

CVm non minor ſit virtus *, quàm 1
quęrere parta tueri; & victoria rectè vti, quàm vincere; ideoque bella geramus, vt in pace viuamus. (nam, vt rectè Ouidius,

Caſus ineſt illic, hic erit artis opus:)

deuictis hoſtibus tota cõſultatio eſſe debet, qua potiſsimũ ratione in perpetuum à rebellando eos contineamus. Quid enim profuit Pyrrho, in deuincendis hoſtibus magnum fuiſſe, cùm acquiſita tueri non potuerit? tanto meliùs ſtudebat acquirere imperia, quàm retinere [a].

a Iuſtin. l. 25.

quamobrem collatus fuit ab Antigono indocto luſori, qui cùm & multa & feliciter edat, ijs tamen neſciat vti. in quam rem longè vtiliſsimum cẽſeo conſilium Herennij Pontij, * C. Pontij pa- 2
tris. nam cùm Samnites, duce C. Pontio, Romanos fraude ad furcas Caudinas inter duos ſaltus pertraxiſſent, & inopes conſilij in tam lætis rebus Herennium Pontium conſulendum cenſerent, conſultus à nuncio filij Herennius, cenſuit omnes inde quàm primùm in-

inuiolatos dimittendos. quæ vbi ſpreta ſententia eſſet, & iterum iterumque eodem remeante nuncio conſuleretur, cenſuit ad vnum omnes interficiendos: indicans priore conſilio, quòd optimum duceret, cum potentiſsimo populo per ingens beneficium perpetuam firmare pacem amicitiamque: altero, in multas ætates, quibus amiſsis duobus exercitibus, haud facilè receptura vires Romana res eſſet, bellum differre: tertium nullum conſilium eſſe. & cùm filius, alijque principes percunctãdo exquirerent, quid ſi media via conſilium caperetur, vt & dimitterentur incolumes, & leges ijs
» iure belli victis imponerentur: Iſta, in-
» quit, ſentẽtia ea eſt, quæ neq; amicos pa-
» rat, neque inimicos tollit, ſeruare modò
» quos ignominia irritaueris. ea eſt Roma-
» na gens, quæ victa quieſcere neſcit: viuet
» ſemper in pectoribus illorum, quidquid
» iſthuc præſens neceſsitas iniunxerit, ne-
» que eos ante multiplices pœnas experti-
» tas à vobis quieſcere ſinet. At neutra ſententia accepta fuit; ſed, Romanis ſub iugum miſsis, pax illa Caudina facta fuit: qua poſtea ſpreta à ſenatu, quòd minùs rite facta eſſet, deditis pacis auctoribus, & Samnitibus pro ſuperba pace infeſtiſſimum cernẽtibus renatum bellum; omnia quæ inde venerunt, non in animis ſolùm, ſed propè in oculis erant: &

ſerò nequicquam laudata ſenis Pontij vtraque conſilia: inter quæ ſe inedia lapſos victoriæ poſſeſsionem pace incerta mutaſſe, & beneficij & maleficij occaſione omiſſa, pugnaturos cum ijs, quos potuerant in perpetuum vel inimicos tollere, vel amicos facere [a]. prudentiùs verò Romani, nam cùm Camillus *3 victis & perdomitis Latinis, ad ſenatum quid de ijs fieri placeret, referret; ita locutus fuiſſe fertur: Reliqua conſultatio eſt, quoniam rebellando ſæpius nos ſolicitant Latini, quonam modo perpetua pace quietos obtineamus. Dij immortales ita vos potentes huius conſilij fecerunt, vt ſit Latium, deinde an non ſit, in veſtra manu poſuerint. Itaque pacem vobis, quod ad Latinos attinet, parare in perpetuum, vel ſæuiendo vel ignoſcendo poteſtis. Vultis crudeliter conſulere in deditos victoſque? licet delere omne Latium, & vaſtas inde ſolitudines facere, vnde ſociali egregio exercitu, per multa bella magnaque ſæpè vſi eſtis. Vultis exemplo maiorum augere rem Romanam, victos in ciuitatem accipiendo? materia creſcendi per ſummam gloriam ſuppeditat. Certè id firmiſsimum longè imperium eſt, quò obedientes gaudent: ſed maturato opus eſt, quicquid ſtatuere placet. Tot populos inter ſpem metumque ſuſpen-

ſos

[a] *Liuius lib. 9.*

» ſos animo habetis: & veſtram itaque de
» ijs curam quàm primùm abſolui, & il-
» lorum animos dum exſpectatione ſtu-
» pent, ſeu beneficio, ſeu pœna præoccu-
» pari oportet. hæc ille, cuius relationem de ſumma rerum ſenatus laudans, ſed quòd aliorum cauſa alia eſſet, ita expediri poſſe conſilium dicere, vt pro merito cuiuſque ſtatueretur, relatione habita de ſingulis populis. Quo facto ex decreto ſenatus, alijs ciuitas data, ſacraque ſua reddita: alijs ciuitas quam habebant ſeruata, crimenque rebellionis à publica fraude in paucos auctores verſum: alijs muri deiecti, & alio habitari iuſsi [a]. Eſt quoque in hanc rem memorabile iudicium ſenatus de Priuernatibus *, quibus ad deditionem coactis, & ex ſenatus decreto dirutis Priuerni muris, Vitrubioque eorum duce necato, cùm ſocijs eius noxæ: cùm Plancius conſ. quid de reliqua multitudine fieri placeret, ad ſenatum referret: vnus ex Priuernaribus legatis, magis conditionis in qua natus eſſet, quàm præſentis neceſsitatis memor, interrogatus à quodam ex ſenatoribus, quam pœnam meritos Priuernates cenſeret: eam inquit, quam merentur, qui ſe libertate dignos cenſent. cuius feroci reſponſo, cùm infeſtos factos videret conſul eos, qui Priuernatium cauſam impugnabant, vt

a *Liuius lib. 9.*

ipſe benigna interrogatione mitius reſponſum eliceret, Quid ſi pœnam, inquit, remittimus vobis, qualem nos pacem vobiſcum habituros ſperemus? Si bonam dederitis, inquit, & fidam, & perpetuam; ſi malam, haud diuturnam. Quibus verbis concitatis nonnullorum animis, pars tamen melior ſenatus ad meliora reſponſa trahere, & dicere, viri & liberi vocem auditam: nec credi poſſe, vllum populum, aut hominem denique, in ea conditione, cuius eum pœniteat, diutius quàm neceſſe ſit, manſurum: ibi pacem eſſe fidam, vbi voluntarij pacati ſunt: neq; eo loco, vbi ſeruitutem eſſe velint, fidem ſperandam eſſe. Itaque ex auctoritate patrũ latum ad populum

a Liuius l.8. eſt, vt Priuernatibus ciuitas daretur [a]. M. verò Cato * ita maximè rebellantes 5
contineri in officio poſſe cenſebat, ſi effectum eſſet, ne poſſent rebellare. itaque arma omnibus cis Iberum Hiſpanis ademit, vna die muris omnium dirutis: quam rem adeò ægre paſſi ſunt, vt multi mortem ſibimetipſis conſciſcerent: ferox gens nullam vitam rati ſine ar-

b Liuius l.34. mis eſſe [b]. In quo Cato videtur ſecutus exemplum Cyri, qui Lydis iterum rebellantibus arma & equos ademit, iuſſitque cauponias, ludicras artes, & lenocinia exercere. Qua ratione effeminati mollitie, priſtinam virtutem perdiderunt;

diderunt; & quos ante Cyrum inuictos bella effecerant, in luxuriam lapſos ocium atque deſidia ſuperauit [a]. Annibal autem Sagunto capto, ſigno dato, omnes puberes interfici iuſsit. quod imperium crudele, vt inquit Liuius [b], cetèrum propè neceſſarium cognitum in ipſo euentu eſt. cui enim parci potuit ex iis, qui aut incluſi cum coniugibus ac liberis domos ſuper ſeipſos concremauerunt, aut armati nullum antè finem pugnæ, quàm morientes, fecerunt? Quò ſpectare videtur Ageſilai dictum, difficile eſſe miſereri ſimul & ſapere [c]. Hoc quoque conſilio Romanis, vt omnem rebellandi occaſionem ſocijs adimerent, non placebat *, ſocios ſine Romano duce exercituque proprijs viribus conſilioque bella gerere [d]. Vnde cùm Æqui Latinum agrum inuaſiſſent, & oratores Latinorum à ſenatu peterent, vt aut mitterent ſubſidium, aut ſeipſos tuẽdorum finium cauſa capere arma ſinerent; tutius viſum eſt defendi inermes Latinos, quàm pati retractare arma [e]. Mos quoq; vetuſtus erat Romanis, cum quo nec fœdere nec æquis legibus eſſet amicitia, non priùs imperio in eum tanquam pacatum vti, quàm omnia diuina humanaque dediſſet, obſides accepti, arma adempta, præſidia vrbibus impoſita forent [f]. Fuit preterea mos Romanis, nunc

hos

a *Iuſtin. l. 1.*

b *libro 21.*

c *Plut. in apophth.*

d *Dion. Hal. lib. 8.*

e *Liuius l. 2.*

f *Liuius lib. 8.*

hos nunc illos Italiæ populos ſubiugando, parte agri multare*, in eumque colonias ducere: aut in iam ante condita oppida, nouos colonos ſui generis aſſcribere. hæ coloniæ tanquam præſidia, partis bello prouincijs imponebantur[a]. Itaque prouidè Sylla, licet tyrannicè, armis oppreſſa republ. eos, quorum opera in eo bello vſus fuerat, colonos deduxit in agros & oppida eorum, qui illi reſtiterant: qui opportunis locis diſpoſiti, in ipſius poteſtate continerent Italiam, translatis ad eos veterum poſſeſſorum prædijs: quo beneficio eos per totam vitam habuit obnoxios; & dominationẽ ſuam mirũ in modum ſtabiliuit. cùm enim res ſuas, niſi actis Syllæ ratis, tueri nequirent, propugnatores eius dignitatis fuerunt etiam poſt illius obitum: neque illi, quorum arces, mœnia, pecunias, immunitates ſuſtulerat, propter inopiam nocere poterant[b]. Perſeo autem victo, & Macedonibus liberis eſſe iuſsis, regis amicos purpuratoſque, duces exercituum, præfectos nauium aut præſidiorum, alioſque miniſtros omnes, regi ſeruire humiliter, alijſque ſuperbè imperare aſſuetos, Macedonia excedere Romani, & in Italiam migrare iuſſerunt: ne fortè quid noui in Macedonia molirentur[c]. Huc ſpectaſſe videtur Lycurgus in legibus ſuis, quas

a *Dion. Hal. libro 3.4.5. App. de bell. ciuil. libro 1.*

b *Appian. de bel. ciuil. lib. 1.*

c *Liuius l. 45.*

quas Retras vocant: quibus vetuit ſæpius contra eoſdem bellum gerere, ne ij bellandi rationem diſcerent. Itaq; Ageſilao continenter cum Thebanis bella gerente, & in pugna quadam vulnerato, Antalcidam ei dixiſſe ferunt: Pulchram à Thebanis mercedem reportas, quos neſcientes pugnare docuiſti. nam reuera narratur nunquam bellicoſiores fuiſſe Thebanos, quàm tum temporis, ob crebras Lacedæmoniorum aduerſus eos expeditiones [a]. fortuna enim belli, vt inquit Q. Curtius, artem victos quoque docet.

a Plut. in apophth.

DE

DE IVRE

ET OFFICIIS BELLICIS, ET DISCIPLINA MILITARI, LIBER TERTIVS.

DE DISCIPLINA MILITARI.

1 *Diſciplina militaris magni eſt momenti.*

2 *Tyrones & imbelles diſciplina militari fiunt bellicoſi.*

3 *Capuanæ deliciæ perdiderunt Annibalis exercitûm alioqui inuictum.*

4 *Neglectæ vel retentæ diſciplinæ militaris teſtimonium.*

5 *Mulieres caſtra ſequi turpe.*

6 *Cura recidendorum impedimentorum.*

7 *Muli Mariani.*

8 *Exercitus vnde nomen habeat.*

9 *Leges militares.*

10 *Tria curare debent milites.*

11 *Militaris diſciplina.*

CAPVT PRIMVM.

QVantum momenti * in diſ- 1
ciplina militari poſitum ſit, docent nos hiſtoriæ, & ipſa quotidiana experientia. & certè nulla alia re populum Roman. ſibi orbem terrarum ſubegiſſe, niſi armorum exercitatione, diſci-

diſciplina caſtrorum, vſuque militiæ, ſatis conſtat [a]: idque pulchre expreſsit *a Vegetius de*
„ Quintilianus [b] cùm ait: Si verè exiſti- *iur. milit. l. 1.*
„ memus, imperium populi Romani ad *Liuius in*
„ hanc diem militari diſciplina ſtetit. non *proœm. hiſt.*
„ enim nobis aut multitudo maior, quàm *b in milite*
„ Cimbris; aut maiores opes, quàm lo- *Marian.*
„ cupletiſsimis regnis; aut mortis con-
„ temptus facilior, quàm pleriſque barba-
„ ris, cauſam vitæ non habentibus. prin-
„ cipes nos facit ſeueritas inſtitutorum,
„ ordo militiæ, amor quidam laboris, quo-
„ tidianæ exercitationes, aſsidua belli me-
„ ditatio. Vnde Valerius Max. [c] præci- *c lib. 2. cap. 7.*
puum decus & ſtabilimentum Romani imperij, diſciplinæ militaris tenaciſsimum vinculum fuiſſe dicit: in cuius ſinu ſerenus tranquilluſque beatæ pacis ſtatus acquieſcit. Et quidem plures exerci-
2 tus ſeruorum *, tyronum, & imbellium, ſola diſciplina & imperio inuictos & bellicoſiſsimos factos fuiſſe legimus: & ecõtra, plurimos exercitus veteranorum militum, inuictos alioqui, ſola licentia, omnibus vitijs, neglecta diſciplina militari, corruptos & conſumptos fuiſſe, & longè antè perijſſe, quàm hoſtem vidiſſent. cuius rei fidẽ facit Tullus Hoſtilius, Romanorum rex, qui Romanos quadraginta iam annos in ocio agentes, ad bellum exciuit; & belli expertes, ſola diſciplina optimos milites reddidit [d]. & T. *d Liuius l. 1.*
Sem-

Sempronius Gracchus, cùm ei ſeruorum exercitus datus eſſet, breui effecit exercitatione & ordine militis, vt nemo eorum generis ac ſanguinis ſui memor in acie eſſet, præſidio ſocijs, hoſtibus terrori eſſent [a]. Sic quoque Pelopidas & Epaminondas, liberatis Thebis à ſeruitute Spartanorum, facilè eos inſtitutis militaribus ex imbellibus optimos milites effecerunt: ita vt non ſolùm pares eſſent Spartanis, ſed etiam ſuperiores. Scipio verò Æmilianus, optimus imperator, & qui imperatorias artes optimè callebat; vt Numantinæ vrbis magnos ſpiritus ſuperiorum ducum culpa nutritos contunderet, collapſam militiæ diſciplinam, vt primùm caſtra intrauit, eiectis duobus millibus ſcortorum, & omnibus ijs quæ voluptatis cauſa comparata erant, reſtituiſſe fertur. qua ratione acrem illam & animoſam Numantiam, incendijs exuſtam, ruinisque proſtratam, ſolo æquauit. ita vt neglectæ militaris diſciplinæ iudicium, vt ait Valerius Max.[b] Mancini miſerabilis deditio, ſeruatæ merces, Scipionis ſpecioſiſsimus triumphus exſtiterit. quem ſecutus Metellus, cùm exercitum in Africa Iugurthino bello, nimia Sp. Albini indulgētia corruptum accepiſſet, diſciplinā militarem in ſtatum ſuum redegit: & edicto primùm adiumenta igna-

a Liuius l. 26.

b lib. 2. cap. 7.

ſignauiæ ſuſtuliſſe dicitur: atque præclaras ex hoſte victorias adeptus eſt [a]. Et Scipio Africanus poſterior, conſul in Africam miſſus, videns corruptam diſciplinam militum ſub Piſone aſſuetorum ocio, rapinis, & auaritiæ, & nunquam ſe deuicturum hoſtes, ni ſuos in poteſtate haberet, caſtigatis graui oratione militibus, omnibusque, qui non militarent, exactis, diſciplina militari ſtabilita, potentem illam Carthaginem Rom. imperij æmulā euertit [b]. Annibalis verò exercitum, aduerſus omnia humana mala ſępe ac diu durantem, bonis inexpertum atque inſuetum, quem nulla mali vicerat vis, perdidere nimia bona ac volup-
3 tates immodicæ Capuanæ *. Somnus enim, & vinum, & epulæ, & ſcorta, balneaque, & ocium conſuetudine in dies blandius, ita eneruauerant corpora animosque, inquit Liuius [c], vt magis deinde præteritæ victorię eos, quam præſentes tutarentur vires: maiusq; id peccatum ducis apud peritos artium militariū habitum, quàm quòd non ex Cannenſi acie protinus ad vrbem Romani duxiſſet: illa enim cunctatio diſtuliſſe victoriā videri potuit, hic error vires ademiſſe ad vincendū. Itaq; hercle, velut ſi cum alio exercitu à Capua exiſſet, nihil vſquā priſtinæ diſciplinæ tenuit. nam & redierunt pleriq; ſcortis impliciti: & vbi primū ſub

a *Valer. Max. lib. 2. cap. 7.*

b *[illegible] de [illegible]*

T pel-

pellibus haberi cœpti ſunt, viaque & alius militaris labor excepit, tyronũ modo corporibus animiſque deficiebant: & deinde per omne æſtiuorum tempus magna pars ſine commeatu ab ſignis dilabebantur, neque aliæ latebræ, quàm Capua, deſertoribus erãt. Itaq; M. Marcellus in aciem copijs ſuis eductis apud Nolas, vt ſuorũ militum animos erigeret, hoſti exprobrabat, Capuam Annibali Cannas fuiſſe: ibi virtutẽ bellicam, ibi militarem diſciplinam, ibi præteriti temporis famam, ibi futuri extinctam: atque ita prælio commiſſo hoſtes fudit. & quemadmodum Annibalis exercitui Capua, ſic militibus Alexandri Babylonia plurimum nocuit, & diſciplinam militarem admodum corrupit: vſque adeò, vt Alexandrum ad diſcrimina, quæ poſtea ſequebantur, haud dubiè debiliorem futurum fuiſſe, ſi hoſtem habuiſſet, ſcribat Q. Curtius [a]. Et, vt breuiter dicam, nullum maius neglectæ vel retentæ diſciplinæ militaris teſtimonium * habere 4 poſſumus, quàm de Romanis: qui cùm antè iuſtitiæ opinione, ac belli gloria, omnes populos ſuperarent; poſtea, labente diſciplina, ab omnibus ſuperati ſunt. Itaque Cato apud Salluſtium: No- „ lite, inquit, exiſtimare, maiores noſtros „ armis rempubl. ex parua magnã feciſſe. „ ſi ita res eſſet, multo pulcherrimam eam „ ha-

a libro 5.

" haberemus: quippe ſociorum atque ci-
" uium, præterea armorum atque equo-
" rum maior nobis copia, quàm illis eſt.
" ſed alia fuêre, quæ illos magnos fecêre,
" quæ nobis nulla ſunt: domi induſtria,
" foris iuſtum imperium, animus in con-
" ſulendo liber, neque delicto neque libi-
" dini obnoxius. pro his nos habemus lu-
" xuriam, atq; auaritiá; publicè egeſtatẽ,
" priuatim opulẽtiam; laudamus diuitias,
" ſequimur inertiá: inter bonos & malos
" diſcrimẽ nullum eſt: omnia virtutis prę-
" mia ambitio poſsidet. Scitè verò Fabricius, legatus ad Pyrrhum profectus, cùm apud eum Cyneam Theſſalũ narrantem audiſſet, quendam Athenienſem clarum ſapientia ſuadere, ne quid aliud homines quàm voluptatis cauſa facerent, pro monſtro eam vocem accepit, continuoq; Pyrrho & Samnitibus hoſtibus iſtam ſapientiam deprecatus eſt [a]. Prudenter quoque Spartana ciuitas diu ciuiũ ſuorum oculos ab Aſię aſpectu retraxit, quia inde omnes manare delicias, certa corporis & animi venena perniciosiſsima, cognoſcebat; & plus ſimilibus victorijs amitti, quàm bello quæri [b]. Hinc quoq;
5 mulieres caſtra *ſequi, apud maiores maximæ turpitudinis fuit, & ſeueriſsimæ animaduerſionis: & militi vxorẽ vel familiam apud ſe habere non conceditur, niſi cum venia principis [c]. Et ne quidem

a *Valer. Max. lib. 4. cap. 2.*

b *Valer. Max. lib. 2. cap. 6.*

c *l. quicunque. C. de re milit. lib. 12.*

a l. etſi cõtra. C. de nupt. l. eos. ff. de ritu nupt.
b l. 4. §. proficiſci. ff. de off. proconſ.
c in d. §. proficiſci.
d Annal. l. 3.
e auth. vt liceat mat. vel auiæ. §. illo indubitanter. l. à caligato. C. de nupt.
f Appian. de bell. Hiſp.

in prouincia vxorẽ ducere militi licuit[a]. Sed & procõſul tenetur de delictis vxoris, quam ſecum in prouinciam duxit[b]. Melius quoque eſſe dicit Vlpianus[c], vt proconſul ſine vxore in prouinciã proficiſcatur: idque Seuerus Cæcina apud Tacitum[d] cenſuit: ineſſe enim dicebat mulierum comitatui, quæ pacem luxu, bellum formidine morentur, & Romanum agmẽ ad ſimilitudinem barbari inceſſus conuertant. Olim quoq;, ex conſtitutione Conſtantini, abiectarum mulierum coniunctiones quibuſdam militibus interdicebantur. quod tamen imperator Iuſtinianus correxit, concedens militibus, vt quaſcunque vellent, modò ingenuas, vxores ducerent[e]. Præcipuè etiam ad diſciplinam militarem ſpectat* cura recidendorum impedimentorum, quibus maximè agmen grauari ſolet. 6
Vnde Philippus Macedo, cùm primùm exercitum conſcriberet, vehiculorum vſum interdixit: equitibus non ampliùs quàm ſingulos calones habere permiſit, peditibus verò denis ſingulos, qui molas & funes ferrent. Scipio culcitras haberi prohibuit, primusque ipſe culcitra fœnea vſus eſt: milites in itinere aſinos aut mulos inequitare vetuit, dicens parũ ab eo homine in bello exſpectãdum eſſe, qui ſuis pedibus ire non poſſet[f]. C. Marius, recidẽdorum impedimẽtorum gratia,

tia, vaſa & cibaria militum in faſciculos
aptata furcis impoſuit, ſub quibus & ha-
bile onus, & facile eſſet: vnde & in pro-
7 uerbium tractum, Muli Mariani *: idque
& conſtitutionibus regni Hiſpaniæ cau-
tum eſt [a]. Quò ſpectare videtur Cicero [b], a reg. lib.1. tit.22. part.2.
8 cùm ait: Noſtri exercitus * vnde nomen b Tuſc.quaeſt.
„ habent vides: deinde qui labor, quantus libro 2.
„ agminis: ferre plus dimidiati menſis ci-
„ baria, ferre ſi quid ad vſum velint, ferre
„ vallum. nam ſcutum, gladium, galeam,
„ in onere noſtri milites non plus nume-
„ rant, quàm humeros, lacertos, manus.
„ arma enim membra militis dicunt: quæ
„ quidem, inquit, ita ferunt aptè, vt ſi vſus
„ foret, abiectis oneribus, expeditis armis,
„ vt membris pugnare poſſent. Alexander
verò, cùm graue ſpolijs apparatuq; lu-
xuriæ agmẽ vix moueretur, totius exer-
citus ſarcinis, exceptis admodum neceſ-
ſarijs, cõferre iuſsis, primũ ſuis face ſub-
dita, ceteras incendi præcepit, vt potiùs
ſarcinarum quàm diſciplinæ iactura fie-
ret [c]. Præterea quod ad militarem diſci- c Q.Curtius libro 6.
plinam attinet, lege militari cautũ fuit,
9 ne * lixæ permixti cum equitibus vagen-
tur, néue frumentũ publicè datum miles
vendat, aut prædas pecorum vel manci-
piorum vino commutet, néue gregarius
miles in acie vel in caſtris ſeruũ aut iu-
mentum habeat, neu quis, vbi tribunus
militum fuiſſet, poſtea ordinum ductor

eſſet, neque qui ordines duxiſſet, miles
poſtea fieret. Itaque refert Liuius[a], Vo-
leronem quendã de plebe hominem, qui
ſuperioribus expeditionibus ordines du-
xiſſet, inter gregarios aſcriptum, recu-
ſaſſe militiã: quia negaret, eo quòd ordi-
nes duxiſſet, ſe militẽ fieri debere, nullam
ignominiam in militia meritum[b]. Miles
quoque, qui ſuo tempore annonã non ex-
egiſſet, ea fraudabatur[c]. Docẽdos etiam
milites monebat Cato, vt feroces aduer-
ſùs hoſtes eſſent, humani erga ciues ac
ſocios; timidi ad iniurias inferendas,
prompti verò ad vindictã: vtq; nihil ma-
gis cuperẽt, quàm laudẽ & gloriam adi-
piſci. Sedulò quoq; olim cauebatur, vt
primum vinculũ militum putarẽt ſacra-
menti religionem; ſecũdum ſingulorum
amorem, velut inexplicabilem nexum;
tertium deſerendi nefas. L. Æmilius
Paulus dicebat, vnum imperatorem in
exercitu prouidere & conſulere, quid
agendũ ſit, debere, nunc per ſe, nunc cum
ijs quos aduocauerit in conſiliũ: qui non
ſint aduocati, eis nec palàm nec ſecretò
iactare conſilia ſua: militẽ hæc tria cura-
re debere *: corpus vt quàm validiſsimũ 10
& perniciſsimum habeat, arma apta,
cibum paratum ad ſubita imperia: cetera
ſcire de ſe dijs immortalibus & impera-
tori ſuo curę eſſe debere. in quo exercitu
conſul & imperator rumoribus vulgi
cir-

a libro 2.

b Dion. Hal. lib. 9.

c l. fortiſsimi. l. nulli. C. de erog. milit. ann. lib. 12.

circumageretur, ibi nihil ſalutare eſſe [a]. a *Liuius l. 44.*
Nam, vt inquit Tacitus, tam neſcire quædã milites, quàm ſcire oportet. Ita ſe ducum auctoritas, ſic rigor diſciplinæ habet, vt multa per cēturiones tribunoſque tantũ iuberi expediat. Parēdo quoq; potiùs, quàm imperia ducum ſuſcitando, res militares continētur: & fortiſsimus in ipſo diſcrimine exercitus eſt, qui ante diſcrimē quietiſsimus. Itaq; Cæſar apud Auaricum temeritatem cupiditatemque militũ reprehendit, quòd ſibi ipſi iudicaſſent, quò procedendũ, aut quid agendum videretur; neq; ſigno receptui dato conſtitiſſent, neq; à tribunis militũ legatiſq; retineri potuiſſent: & quãtopere eorum animi magnitudinē ſe admirari dicebat, quòd non caſtrorũ munitiones, non altitudo montis, non murus oppidi tardare potuiſſet, tantopere licentiã arrogãtiamque reprehendere, quòd plus ſe, quã imperatorē, de victoria atq; exitu rerũ ſentire exiſtimaſſent: nec minùs ſe in milite modeſtiã & continentiã, quàm virtutem atque animi magnitudinem deſiderare [b]. b *Caſ. de bel. Gal. lib. 7.*
Ceterùm exſtat apud Flauium Vopiſcum Aureliani Cæſaris epiſtola, ad tribunum quendam, qua diſciplina militaris * breuiter perſtringitur, in hæc verba: Si vis tribunus eſſe, imò ſi vis viuere, manus militum contine: nemo pullum alienum rapiat, ouem nemo cõtingat, vuam nul-

 lus

lus auferat, oleũ, ſal, lignum nemo exi- "
gat, annona ſua contentus ſit, de præda "
hoſtium, non de lacrymis prouincialium "
habeat: arma terſa ſint, ferramenta ſan- "
nata, calciamenta fortia, veſtis noua, ve- "
terem veſtem excludat, ſtipendiũ in bal- "
teo, non in popina habeat, torquem bra- "
chialem & annulũ apponat, equum ſa- "
ginariũ ſuum defricet, animal non ven- "
dat, mulum centuriatum comiter curet, "
alter alteri quaſi ſeruus obſequatur, à "
medicis gratis curetur, aruſpicibus nihil "
dent, in hoſpitijs caſtè ſe gerat: qui litem "
fecerit, vapulet. Hęc ille. Sed & quo me- "
liùs milites in officio contineantur, præcipitur præſidibus prouinciarũ, per quas ſit militum trãſitus, vt in parato habeant vnde exercitus ali poſſit, ſine querela prouincialium: & expenſæ eo nomine factæ imputantur tributo, quod fortè principi debetur: milites quoque iubentur ijs cibarijs contenti eſſe, quæ in ſingulis inueniuntur locis; nec alia exigere poſſunt [a]: quod & conſtitutionibus Galliæ ſtatutum eſt.

[a] *authen. de tranſ. milit. col. 10.*

DE OFFICIO LEGATI, TRIBVNI, & aliorum qui militibus præſunt.

1 *Pracipua militia munia apud Romanos.*
2 *Legati qui.*
3 *Alia legati partes, alia imperatoris.*

4 *Man-*

4 *Mandati fines in bello non licet excedere.*
5 *Vtrùm ex noua rei bene gerendæ occaſione à mandato recedi poſſit.*
6 *Officium regentis exercitum.*
7 *Commeatus parcè dandus militibus.*
8 *Milites pro meritis promouendi ſunt.*
9 *Tribuni militum imperium habuerunt in milites, iiſdémq; vites præferri ſolent.*
10 *Tribunorum munus.*
11 *Falſum numerum militum referens quomodo puniatur.*

CAPVT SECVNDVM.

QVæ præcipua fuerint olim apud
1 Romanos * militiæ munia, ſatis
indicant hæc Papyrij dictatoris verba à
» Liuio prolata [a], cùm ait: Non miles cen- a libro 8.
» turionis, non cẽturio tribuni, non tribu-
» nus legati, non legatus conſulis, non ma-
» giſter equitũ dictatoris pareat imperio:
» non edicta imperatorũ obſeruentur. De
officio autẽ imperatoris ſeu ducis exercitus, & eius poteſtate, alibi diximus. Le-
2 gati verò erãt* comites expeditionis, & adiutores negotiorum, qui conſulibus & imperatoribus decernebãtur, vt ipſorum vices gererent, & eorum cõſilio res adminiſtrarent. conſiliorum quoque, & fortium factorum, ac meritæ virtutis & ignauiæ cuiuſque, qua cura, qua fide &

diligentia, quaq; diſciplina militari duces exercitui & caſtris præeſſent, ſi quid fictum vanumque, aut parum integræ veritate afferrent, locupletiſsimi teſtes erant legati. quorũ etiam auctoritas tam in adminiſtranda prouincia, quàm ducendo exercitu, acieque inſtruenda, tanti fuit, vt abſentibus vel impeditis conſulibus, vel imperatore, ſummam imperij tenerent [a]. Porrò illud cõſtat, alias eſſe legati*partes, atq; imperatoris, vt ait Cę- 3
ſar [b]. alter omnia ad præſcriptum agere, alter liberè ad ſummam rerum cõſulere debet. Ideoq; Cęſar dicebat Syllę, quem decedens caſtris præfecerat, conſilium non reprehendendum videri, qui ſuos longiùs Pompeianos perſequentes reuocauit; quamuis tamen plerique exiſtimaret, ſi acriùs inſequi voluiſſet, bellum eo die potuiſſe finiri. Sylla enim à Cæſare caſtris tantùm relictus, liberatis ſuis, hoc contentus fuit, neque prælio decertare voluit. Simili ratione Q. Titurius Sabinus, legatus Cæſaris, bello Gallico caſtris ſe cõtinuit, hoſtibus iam ad vallũ caſtrorum accedẽtibus: quòd cum tanta multitudine hoſtium, præſertim eo abſente, qui ſummam imperij teneret, niſi æquo loco, aut opportunitate aliqua data, legato dimicãdum non exiſtimaret [c]. Et quidẽ quemadmodũ Romani in imperatores (quibus liberã de ſumma rerũ conſu-

a *Alexan. ab Alex. gen. dierũ lib. 6. c. 3.*
b *de bell. ciuil. lib. 3.*
c *Cęſar de bel. Gal. lib. 3.*

conſulendi poteſtatem concedebant) re malè geſta, remiſsi admodum fuère, vt alio loco dictũ eſt: ſic imperij ſpreti, vel non ſeruati, in legatos, tribunos, & alios imperatore inferiores, aſperi vindices
4 exſtiterũt. Mãdati enim fines excedere * in re militari vitioſiſsimum ſemper habitum fuit, & capite vindicatum, etiam re bene geſta [a]. Qua potiſsimũ ratione & veteri inſtituto vicit cõtentio Papyrij dictatoris, poſcẽtis Q. Fabium magiſtrum equitũ ad ſuppliciũ, quòd contra eius imperium exercitũ eduxiſſet, quamuis fuſis Samnitibus in caſtra redierat; intercedente etiam pro Fabio populo Rom., tribuniſq; plebis: quibus tandem oratione Papyrij victis, & ad preces & obteſtationẽ verſis, vt ſibi pœnam magiſtri equitũ remitteret, dictator cõceſsit, teſtatus tamen, non noxæ eximi Q. Fabium, qui contra edictum imperatoris pugnaſſet, ſed noxæ damnatum donari populo Rom., donari tribunitiæ poteſtati, precarium, non iuſtum auxilium ferenti: ſibi ſufficere viciſſe diſciplinam militarem, & imperij maieſtatẽ, quę in diſcrimine fuerat [b]. Sunt tamen qui exi-
5 ſtimẽt, ſi noua occaſio rei bene * gerendę offeratur, recedi à mandato poſſe, ſi puta repentinus aliquis caſus felicẽ ſucceſſum & pænè certã victoriam polliceatur: ne oblata diuinitus rei bene gerẽdæ oc-

a *l. 3. §. in bello. ff. de re militari.*

b *Liuius l. 8.*

a argumento l. ſi hominem. ff. mandati. latè Felinus in c. 1. col. 14. de conſtit. in c. quod ſuper. col. 3. de maio. & obed. Cremen. ſing. 150. & Rochus Curt. in c. vlt. de conſuetud. col. 2.

b l. diligenter. ff. mandati.

c Aul. Gell. noct. At. lib. 1. cap. 13.

d libro 8.

occaſio amittatur [a]. quod tamen ſcrupulo non caret, præſertim ſi alicui Papyrio, Manlio, vel Poſtumio, hominibus duris & inexorabilibus, ratio reddenda ſit: qui exiſtimauerunt corrumpi atque diſſolui officium omne imperâtis, ſi quis ad id, quod facere iuſſus eſt, nõ obſequio debito, ſed conſilio non conſiderato reſpondet. Etenim diligenter cuſtodiendi ſunt fines mandati, & nihil cõtrà faciendum eſt, etiáſi eo facto videri poſsit res euentura proſperiùs, exq; vtilitate eius qui id tibi negotium mádauit [b]. fuitque hæc quæſtio etiam à philoſophis variè tractata [c]. Papyrij certè ſeueritas alios à re bene gerenda, occaſione oblata, deterruit: atque ita M. Valerio legato, qui caſtris præerat abſente Papyrio, in oculis exemplũ erat Q. Fabius, inquit Liuius [d], ne quam vim hoſtium magis quàm trucem dictatoris iram timeret: itaque frumentatores cùm circumuẽti ex inſidijs cæſi loco iniquo eſſent, creditum vulgò eſt, ſubueniri eis à legato potuiſſe, ni triſtia edicta exhorruiſſet. Porrò officium* 6
regentis exercitum non ſolùm in danda, vt Marcianus reſpondit, ſed etiam in obſeruanda diſciplina conſiſtit. & qui militibus præeſt, quàm parciſsimè * ijs com- 7
meatum dare debet: vſque adeò, vt neq; piſcatum neque venatum liceat militem mittere: quod in diſciplina Auguſti cautum

tum fuit [a]. Et quidem, vt maximè omnia tuta ſint, nō pluribus quàm triginta tribunus commeatum dare poteſt. ſi pluribus datus fuerit, eorū ſtipendia in fiſcum deferuntur: iubeturque tribunus, qui commeatum dedit, illa militibus refundere, vltra pœnam amiſsionis cinguli [b]. Tempore verò expeditionis, vel hoſtis imminētis, nulli omnino à ſignis abeſſe licet, & capitale erit commeatum dare [c]. Adeò autem odioſum eſt, à ſignis abeſſe, vt miles, qui in commeatu agit, non videatur reipub. cauſa abeſſe [d]. Non poteſt præterea is, qui exercitui præeſt, milites à numeris ad alios numeros pro libidine * transferre, niſi vtilitatis publicæ cauſa princeps conceſſerit. Nam, vt ait imperator [e], honoris augmentum, non ambitione, ſed labore ad vnumquemq; conuenit peruenire: & non debet quis ad dignitatem ſuffragio, ſed laboribus atq; ordine numerorum prouehi [f]. Is namq; ceteros debet antecedere, quem ſtipendia longiora, vel labor anteire fecerit [g]. Itaque Q. Metellus conſul, quãuis nulla lege impediretur, quin filium contubernalem perpetuũ haberet, maluit tamen eum in ordine merere. & egregio ſtratagemate vſus fuiſſe Theogenes Atheniēſis dicitur, qui cùm exercitum Megaram duceret, petētibus militibus ordines reſpondit, ibi ſe daturum: deinde equites præ-

a *l. officium §. 1. & l. nemo. C. de re milit. libro 12.*

b *l. iubemus. §. ſuper his. §. non danda. C. de erog. mil. anni. lib. 12.*

c *l. 1. C. de cōmeat. lib. 12.*

d *l. 1. ff. de re milit.*

e *in l. contra publicam. C. de re milit. libro 12.*

f *l. 1. & 2. C. de off. mag. off.*

g *l. 2. C. de praef. praet. Afr.*

præmiſit, eoſque hoſtiũ ſpecie impetum in ſuos retorquere iuſsit. quo facto, quos tum habebat tanquam ad hoſtium occurſum præparatos, permiſit ita ordinari aciem, vt quo quiſq; voluiſſet loco conſiſteret: & cùm inertiſsimus quiſque retrò ſe dediſſet, ſtrenui autem in frontem proſiluiſſent, vt quemque inuenit ſtantem, ita ad ordines militię prouexit. Veteri quoq; inſtituto ad tribunatum nemo admitti poterat, niſi priùs alam duxiſſet; neque alam ducere, niſi cohorti præfuiſſet. fuitque antiqui moris, vt miles in caſtris ad centurionem, centurio ad tribunum mane ſalutatum iret, & ad edictum præſtò eſſet. Hadrianus verò Cæſar, viros ætatis exactæ, & ſummæ prudẽtię, doctos ętate & vſu ad tribunatum euexit; vetuitq; edicto, ne imberbis adoleſcens tribunus fieret. & Alexander Macedo tanti tribunos & cẽturiones fecit, vt neminem, niſi ſexagenarium, ordines ducere permiſerit. conſtat tamen & olim nonnunquã in indignos, imò in impuberes, has dignitates collatas fuiſſe [a]. Fuit quoque lege militari cautum, ne quis, vbi tribunus fuiſſet, poſtea ordinum ductor eſſet. namque centurio, decurio, & ordinum ductor, tribuno inferiores erant. id tamen non in fauorem tribunorum, ſed in odium P. Salonij, qui alternis ferè annis & tribunus militum, & pri-

[a] *l. ſed etſi miles. §. iam autem. ff. de excuſ. tut. & l. fin. C. de teſt. milit.*

& primus centurio erat ad poſtulationē coniuratorum militum, lege ſacrata militari cautum fuiſſe, auctor eſt Liuius [a]. *a libro 7.* Ac licet tribunis militum centuriones & decuriones ſubſint, ipſi tamen legati imperio parēt. Porrò tribunos militum,
9 qui caſtris & legionibus præerant *, imperiū in milites habuiſſe, peruulgatum eſt: ijsque non virgas, vt cōſuli aut prætori, ſed ad terrorē audaciæ vites lictores præferebant: contumacesque milites Romani non virgis, ſed vitibus per centuriones, externos verò fuſtibus plectebant. quæ pœna minùs infamabat, quàm quæ à lictore eſſet illata [b]. Sciendum eſt *b Plin. lib. 14. cap. 1.* tamen, non licuiſſe tribunis in caput ciuis Romani animaduertere, neque alterius quidē militis, vt alio loco dicemus [c]. *c infrà de iudiciis militaribus.* Fuit quoq; priſci moris, vt quum princeps ad tribunatū quempiam eueheret, gladium illi in manu daret: quo ſignificabatur, in milites iure militari habere imperium. Præcipuum verò tribunorum
10 munus * fuit, caſtrorum & exercitus curam gerere, ne ſine munimento, ſine cuſtodijs ſint: peruigiles excubias iubere, ne quid occultè hoſtes moliri poſsint; milites in caſtris habere dicto audientes, & intentos imperio, ad exercitationes ducere, in ſtationes mittere, claues portarum ſuſcipere, vigilias circumire, frumentationibus commilitonū intereſſe,

fru-

frumentum probare, mēſorum fraudem coërcere, querelas militum audire, eorumque delicta ſecundùm ſuæ auctoritatis modum caſtigare, valetudinarios inſpicere, ſauciorum curam gerere, inprimiſque milites ad ſolenne iuſiurandum adigere [a]. Præterea, à tribunis, ſiue in hoſtes ducere, ſiue caſtra metari, ſiue in prima acie & frōte locari, aut in ſubſidijs poni, vel in ſtationes & vigilias ire conueniret, teſſeram milites petebant: ipſi verò ab imperatore, quod dari oportebat ſignum, aſſumebant. Milites quoq; in conflictu præliorum ſingulos & vniuerſos hortari, & monere, atq; inceſſantes animaduertere, tribuni propriū munus erat. miſsionem quoque militibus perfunctis militia, ſi cauſam probarent, ex auctoritate & iuſſu cōſulum dabant: propria verò auctoritate hoc facere tribunis non licuit. Itaque Q. Fuluius Flaccus cenſor, Fuluium fratrem, quòd cohortem legionis, in qua tribunus erat, iniuſſu conſulis miſſam fecerat, ſenatu mouit [b]. Denique ducibus, tribunis, & centurionibus olim præcipuè curandum erat, in locis vbi æſtiua habebant, cogere tyrones milites, cùm primùm merere cœpiſſent ſtipendia, per turmas hinc inde crebrò concurrere, decurrere, clamare, locum tenere, imperium facere, iuſſa exequi, ſeque in orbem colligere, cuneum

a l. officium. §. officium. ff. de re milit.

b Valer. Max. lib. 2. cap. 7. Liuius lib. 31.

treum facere, & phalangem, & ſequi ſigna, & pati tædium, æſtus, ac vigilias aſſueſcerent: ne ſine conſilio, ſine imperio in hoſtes tenderent, ne pulſi loco cederent, & vt in acie quiſque agnoſceret ordines ſuos, ita vt vſu quotidiano non minùs ipſi ſibi præſcriberent quid facto opus foret, nec hoc incitante vllo, nec imperante quoquam ab alijs diſcederét. Quæ diſciplina præcipua Iphicrati traditur, vt ſine ducis opera milites ita inſtitueret in acie conſiſtere, vt peritiſsimè
11 diſpoſiti viderentur. Ceterùm tribunus*, vel centurio, vel alius, qui refert falſum numerum militum, ſtipendia intercipiens, condemnatur in quadruplum, & dignitate priuatur[a]: ex conſtitutionibus verò Galliæ capite punitur. Item lege Iulia repetundarum tenetur, qui ob militem legēdum mittendúmue pecuniam acceperit[b]: ideoque exilio, vel etiam grauiùs, puniri ſolet[c]. & tyrocinij cauſa datum, repeti poteſt, tanquam datū ob turpem cauſam[d]. Porrò qui occaſione tranſitus, ab vrbibus vel prædijs per concuſſionem quid accipit, tenetur in duplum[e]: qui verò prouinciam nudauit, ſolet eò remitti, & quadruplū reſtituere iuberi[f].

a *l. vlt. §. pro limitaneu. C. de offic. præf. Afric.*
b *l. eadē lege. §. lege Iulia. ff. ad leg. Iul. repet.*
c *l. lex Iulia. §. hodie. ff. ad leg. Iul. repet.*
d *l. 3. C. de cond. ob turp. cauſ.*
e *auth. de tranſ. milit. col. 10.*
f *l. 1. C. ad leg. Iul. repet.*

V DE

DE METATORIBVS SIVE MENſoribus.

1 *Metatores ſiue menſores qui.*
2 *Hoſpitia quomodo deſignentur militibus.*
3 *Qui liberi ſint à moleſtia accipiendi hoſpitio.*
4 *Solum hoſpitium militibus concedendum.*
5 *Metatorum, qui ab hoſpitibus pecuniam accipiunt, pœna.*

CAPVT TERTIVM.

Metatores, ſiue menſores *, non ſolùm illi dicti, qui caſtris ponendis, tentorijs, ac tabernaculis colloeandis locum deligunt, ac metas præfiniunt; qua de re pulchre Polybius[a]; ſed etiam qui hoſpitio excipiendis militibus in vrbibus domos deſignaturi præcedunt, & notas præfigunt, adiecto nomine eius, qui in quaque domo hoſpitio accipiendus eſt: quas qui delère auſus fuerit, vt falſi reus cõdemnatur[b]. Porrò ex reſcripto imperatorũ Arcadij & Honorij[c], domo in tres partes diuiſa, * tertia pars militi deputata fuit: ita tamen vt dominus primã haberet eligendi facultatẽ, ſecundam hoſpes, tertia rurſum domino relinqueretur. Tabernę quoq; mercibus deputatę liberę ab hac diuiſione manere ſolẽt: niſi fortè ſtabulũ militi in tertia domus parte 1 2

a de Rom. milit. & caſtror. met. & Vegetius lib. 2. c. 7.

b l. 1. C. de metat. & epid.

c in l. 2. C. d. tit.

parte deeſſet. Illuſtribus autẽ viris non
tertia pars domus, ſed dimidia deputa-
ri ſolet: hac videlicet conditione, vt alter
eligeret, alter æquis partibus diuideret [a]. [a] *d. l. 2.*
Antigonus verò edixit, ne quis minor
quinquaginta annis hoſpitio matrisfa-
milias vteretur: & cùm filiũ diuertiſſe au-
diſſet in domum cuiuſdam, cui tres filiæ
" inſignes ſpecie eſſent, Audio, dicebat, fi-
" li, anguſtè habitare te, pluribus dominis
" domũ poſsidentibus, hoſpitiũ laxius ac-
cipe: & cõmigrare iuſsit. Miles præterea,
qui in ea vrbe domum habet, non poteſt
petere aliam ſibi hoſpitij gratia deſigna-
3 ri [b]. Sunt autem liberi* ab hac hoſpitio [b] *l. omnes C.*
accipiendi moleſtia medici ſacri palatij, *de metat. & epid. lib. 12.*
& vrbis Romę magiſtri liberaliũ artium,
& pictores ingenui [c]. vacant quoque ab [c] *l. Archia-*
hac moleſtia conſulares, patricij, conſu- *tros. C. d. tit.*
les, eorumque heredes, & alij qui digni-
tatè præfulgent: quibus omnibus ma-
gnam immunitatem tribuit Arcadij im-
peratoris conſtitutio [d]. & Claudius im- [d] *in l. hac le-*
perator patrũ decreto prohibuit milites *ge. C. d. tit.*
domos ſenatorias etiam ſalutandi cauſa
ingredi [e]. Tenues quoque vitæ homines [e] *Suet. in vi-*
cogi non debent ad ſuſcipiendos hoſpi- *ta Claud.*
tio milites [f]. Ceterũ in vrbibus vbi ſunt [f] *l. illicitas.*
4 milites*, ſolum hoſpitium illis concedi- *§. tenuis. C. de*
tur: ita vt nihil ab hoſpite, quod vel ipſis *off. præſ.*
vel animalium paſtui neceſſarium ſit, pe-
tere poſsint, nec quidem volentibus ho-

ſpitibus accipere[a]. Metatores verò*qui ab hoſpitibus per concuſsionem pecuniam acceperint, duplum eius reddere cogentur, & exilio plectétur[b]: & conſtitutionibus quidem Galliæ capite puniuntur. 5

a *l. denotum. C. de metat. & epid. lib. 12. l. vni. C. de ſalg. hoſpit. non præb. lib. 12. l. 3. C. de erog. milit. annon. lib. 12.*

b *authen. de tranſ. milit. col. 10.*

DE MILITIBVS, ET QVI MILITARE poſſunt.

1 *Militare non eſt peccatum.*
2 *Militi permiſſum hoſtem occidere.*
3 *Milites qui dicantur.*
4 *Clerici in militiam non ſunt recipiendi.*
5 *Nec coloni.*
6 *Nec ſerui.*
7 *Nec capitalis criminis rei.*
8 *Nec hæretici.*
9 *Nec infamia laborantes.*
10 *Nec membris debilitati.*
11 *Milites prohibẽtur agriculturã exercere.*
12 *Duas militias diuerſi generis nemo habere poteſt.*
13 *Miles non poteſt eſſe procurator.*
14 *De ætate militari.*
15 *Veterani legendi.*
16 *Proprio milite potiùs quàm externo vtendum.*
17 *Romani quamdiu ſuo ſumptu meruerint.*
18 *Stipendium militum Rom. quantũ fuerit.*

CAPVT

CAPVT QVARTVM.

1 MIlitare in bello*iuſto delictũ non
eſt, vt alibi oſtẽdimus; ſed propter
prædam militare peccatum eſt [a], vnde
vir ille Deo acceptiſsimus Ioãnes, roga-
tus à militibus, de ſalute ſollicitis, quid
facerẽt, non prohibuit illis militare, ſed
dixit, Neminem concutiatis, neq; calum-
niam faciatis, ſed eſtote contenti ſtipen-
dijs veſtris [b]. Itaque tam lege canonica
2 quàm ciuili permiſſum eſt militi*hoſtem
in bello occidere [c]: imò, niſi fecerit, reus
erit imperij deſerti vel contempti [d]. Mi-
3 lites autem hi demum dicuntur *, qui ſa-
cramento rogati, adactique, & in nume-
ros relati ſũt. ſed & in claſsibus nautæ &
remiges ſunt milites [e]. Porrò non quiuis
ad militiam recipiendi ſunt, neque qui-
4 cunque cogendi. nam clerici * in primis
militiæ vacationem habent: quod olim
Druidibus apud Gallos, qui rebus diui-
nis intererant, conceſſum fuit, qui om-
nium rerum immunitatem habuerunt [f].
Sacerdotes quoque, quos Romulus con-
ſtituit, à bellicis muneribus liberi fue-
re [g]. Cui tamen legi poſt captam à Gallis
vrbem adſcriptum fuit, ita ſacerdotibus
militiæ vacationem eſſe, niſi bellum Gal-
licum oriretur [h]. Cicero verò [i] dicit bel-
lo Gallico vacationes valere ſolitas, tu-
multu verò Gallico & Italico nõ valuiſ-

a c. militare. 2. quæſt. 1.
b Lucæ c. 3.
c c. paratus. §. nam ſi Chriſtiana. 23. quæſt. 1.
ç c. miles. c. ſi homicidi·m. 23. q. 5. l. 3 ff. ad l. Corn. de ſicar. l. proditores ff. de re milit.
d d. c. miles.
e l. vn. §. penul. ff. de bõ. poſſ. ex teſt. milit.
f Cæſar de bel. Gal. lib. 6.
g Dion. Hal. ant. Rom. l. 2.
h App. de bel. ciuil. lib. 2. Plut. in vita Marcel.
i Philip. 5 & 8.

ſe: vnde etiã infert, grauius eſſe tumultũ quàm bellum. Sed & prohibentur clerici militare, de quibus & de ſeipſo dicebat Ambroſius: Non pila quęrant ferrea, non arma Chriſti milites; ſed dolor, fletus, lacrymæ, & orationes fuerunt mihi arma aduerſus hoſtes [a]. Nemo enim, vt inquit Apoſtolus [b], militans Deo, implicare ſe debet negotijs ſecularibus. Quòd ſi verò clericus militauerit, amittet gradũ [c]: in minoribus tamen cõſtitutus, in bello iuſto pugnans, niſi quem occiderit, aut vulnerauerit, non fit irregularis [d]. Præ-
terea coloni*, nec vltro ſe offerentes, ad militiam admittendi ſunt, neque cogendi inuiti [e]. non enim minùs è repub. eſt, vt ſint qui agros colant, quàm qui bella gerant [f]. Hinc edictum eſt, vt coloni, qui ſe militiæ dederunt, ad priorem conditionem reuocentur [g]. etenim agrorum ſordes cum decore militiæ non cõueniunt [h]. 5
Qua ratione quoque ſeruos* ab omni militia arceri Marcianus voluit: alioquin capite puniri [i]. Refert tamen, ex reſcripto Traiani, voluntarij ſe obtulerint, an lecti ſint, vel etiam vicarij dati. lecti enim ſi ſint, inquiſitor peccauit: ſi vicarij dati, penes eos culpa eſt, qui dederũt: ſi ipſi, cũ haberẽt cõditionis ſuæ conſcientiam, venerunt, aduertendũ in illos erit [k]. Et quidem ſi ſciente domino ſerui obtinuerint militiam, priuabitur domi- 6

a c. non pila. 23. q. 8. c. ſi quis vult. 26. diſt. c. 1 c. ſi quis Epiſcopus. c. ſi vrbis. 23. quaſt. 8.
b ad Timoth.
c c. clerici. c. ſtatim. 23. queſt. 8.
d c. petitio. de homicid. gloſ. in c. ſuſcitans. 7. q. 1.
e l. 3. C. de milit. poſ. lib 12. l. colonos. C. de agric. & cenſ. lib. 11.
f l. originarios. C. de agric. & cenſ. lib. 11.
g l. vlt. C. de Man. & col. patr. lib. 11.
h l. 2. C. de prap. ſac. cub lib 12.
i l. ab omni ff. de re milit.
k Plin. epiſt lib. 10.

nus & dominij & patronatus iure[a]. Porrò primũ M. Iunius dictator, & T. Sempronius, magiſter equitum, poſt Cannẽſem cladem, delectu edicto, neceſsitate cogente, octo millia iuuenũ validorum ex ſeruitijs, ſciſcitantes ſingulos vellent ne militare (vnde Volones dicti) publicè empta armauerunt[b], eoſdemque poſtea diſciplina & imperio optimos milites effecère: & idem T. Sempronius conſul factus, legatis tribuniſque præcepit, ne qua exprobratio cuiquam veteris fortunæ, diſcordiam inter ordines ſereret: vt vetus miles tyroni, liber voloni ſeſe exæquari ſineret: omnes ſatis honeſtos generoſoſque ducerent, quibus arma ſua ſignaq; populus Rom. commiſiſſet: quæ fortuna coëgiſſet ita fieri, eandem cogere tueri factum[c]. Neque ſolùm ſerui, ſed qui ſtatus controuerſiam patiuntur, prohibentur per id tempus nomen militiæ dare: licet reuera ſint liberi. Item nec ingenui, qui bona fide ſeruiunt, nec qui ab hoſtibus redempti ſunt, priuſquam ſe luant, inter milites recipiendi ſunt[d]. Legnus quoque olim populum Rom. dediſſe operam, ne imperatoribus capite cenſos ſacramento rogare neceſſe eſſet, quorũ nimia inopia ſuſpecta erat: ideoq; his publica arma non committebantur: & primus C. Marius hanc diutina vſurpatione firmatam conſuetudinem capite

a l. pe. C. Qui milit. poſ. l. 12.

b Liu. lib. 22.

c Liu. lib. 23.

d l. qui ſtatus ff. de re milit.

cenſum legendo militem abrupit[a]. Præterea, rei capitalis * criminis, voluntarij milites capite puniuntur[b]. Similiter & ij qui ad beſtias dati, vel in inſulam deportati, militiæ ſe dederint, lectíue diſsimulauerint[c]. Ad tempus verò relegatus, ſi expleto ſpacio fugæ, militiæ ſe dedit, cauſam damnationis quęrendam reſpondit Arrius Menander: vt ſi contineat infamiam perpetuam, ſacramẽto ſoluatur: alioquin in ordinem redire, & honores militiæ petere non prohibeatur[d]. Sed & is qui cum adulterio vxoris ſuæ pactus erit, ſacramento ſolui deportarique iubetur[e]. nihilominus tamen M. Iunius dictator, poſt Cannenſem cladem, cùm populus bellis attributus milite indigeret, edixit, vt qui capitalem fraudẽ auſi, quiq; pecunia iudicati in vinculis eſſent, qui eorum apud ſe milites fierent, eos noxa pecuniaq; exolui iuſſurum[f]. Prohibentur præterea militare hæretici *,[g] & omnes infamia laborantes *.[h] Vnde ignominia miſsi in milites recipiẽdi non ſunt[i]. Item in fraudem ciuilium munerum nemo armatæ militiæ nomen aſſumere poteſt[k]. & qui litis cauſa militiam appetierit, poſtulante aduerſario ſolui ſacramento debet[l]. Sic & qui metu criminis, in quo reus fuerat poſtulatus, nomen militiæ dederit, ſtatim ſacramento ſoluẽdus eſt[m]. Vagus quoque & veteranus

a Val. Max. lib. 2. cap. 3.
b l. qui cùm. §. reus. ff. de re milit.
c l. qui cùm. §. ad beſtias. §. in inſulã. ff. d. tit.
d d. l. qui cũ. §. ad tempus.
e l. miles. ff. ad leg. Iul. de adult.
f Liu. lib. 23.
g l. quicunq. C. de hæret. & M.
h l. 2. §. miles. ff. de his qui not. infam.
i l. qui cùm. §. ignominia. ff. de re milit.
k l. 2. C. Qui milit. poſ. l. 12.
l l. 1. C. Qui mil. poſ. lib. 1
l. qui cùm. §. non omnes. ff. de re milit.
m l. vlt. ff. de re milit.

nus non debet in tyrocinium aſſumi[a]. indignus etiam militiā iudicādus eſt, qui parētes, à quibus educatus eſt, maleficos
10 appellauerit[b]. Porrò mēbris debilitati*, ita vt inhabiles militiæ ſint, in milites recipiendi non ſunt[c]. Quo numero non eſt habendus, qui cum vno teſticulo natus eſt, quiue amiſit: nam iure militabit, ſecundùm Traiani reſcriptum. Sylla enim & Cotta duces memorantur eo habitu fuiſſe naturæ[d]. Legimus quoque Narſetem eunuchū à Iuſtiniano exercitui præpoſitum fuiſſe, qui bello Oſtrogotorum in Italia finem impoſuit. Neque enim morboſus vel vitioſus eſt, qui vnum tantum teſtem habet, cùm generare poſsit[e]. Cyrus autē cuſtodes corporis eunuchos habuit, quo magis in officio eſſent, eos præter illecebras voluptatum firmiſsimum præſidium ratus[f]. Ceterùm ne omiſſo armorū vſu ad aliud opus ſe con-
11 ferant milites, prohibētur* agriculturam vel mercaturam exercere, aut quæcunq; negotia gerere[g]. Nam, vt Plato in ſua republ. conſtituit, ſingulos ſingulas artes exercere conuenit. Vnde etiam miles agrum in prouincia comparare non poteſt, ne ſtudio agriculturæ militiā negli-
12 gat[h]. hinc quoque duas* militias diuerſi generis, aut dignitatem & militiam, eodem tempore quis habere non poteſt[i]:
13 & ex eadem cauſa miles procurator* eſſe

a *l. 1. C. de tyron. lib. 12.*

b *l. 1. in fi. ff. de obſ. lib.*

c *l. qui cùm. §. qui filium. ff. de re milit.*

d *l. qui cum vno in primo. ff. de re milit.*

e *l. Pomponius. §. vlt. ff. de Ædilit. edict.*

f *Xenoph. in pæd. Cyri l. 7.*

g *l. vni. C. de erog. mil. annon. lib. 12. l. officium. §. 1. ff. de re milit. l. nemo miles. C. de re milit. lib. 12. l. milites. l. vlt. C. locat.*

h *l. milites. ff. de re milit.*

i *l. 5. C. Qui milit. poſſ. l. 12.*

non poteſt, ne quidem pro patre, vel matre, vel vxore, ſed tantùm in rē ſuam[a]. Et quidem ratione poſſeſsionum, quas ſibi donatas aſſerit, ſi iudicij mutādi cauſa donatio facta fuerit, agere miles non poteſt[b]: ſed prior dominus debebit experiri, ne magis litem, quàm rem, in militem tranſtuliſſe videatur[c]. Prohibentur denique milites accuſare[d]: niſi in crimine læſæ maieſtatis[e] vel ſuam vel ſuorum iniuriam proſequantur[f]. Qui verò milites priuatis negotijs implicarint, & reipub. ſubtraxerint, eos Iuſtinianus publicatione bonorum plecti voluit[g]. Reliquum eſt, vt de ætate* militari aliquid 14
dicamus: & quidem Romanos haud ferè quenquam minorem ſeptem & decem annis, aut ſex & quadraginta maiorem, tyrocinio aſſcribi voluiſſe conſtat: idque à Seruio Tullio vetere cenſione cautum fuiſſe priùs: quod æuo ſubſequente à C. Graccho lege ſacrata ſancitū fuit[h]. Laborantibus tamen Romanis contra Veios, delectu habito, non modò iuniores conſcriptos refert Liuius[i], ſed etiam ſeniores coactos nomina dare, vt vrbis interea cuſtodiam facerēt; quod & Camillus iuſsit. Rurſumque poſt Cannenſem cladem Decius Iunius dictator iuniores decem & ſeptem annis, imò & prætextatos, militiç aſſcripſit; notatiq; ſunt, qui maiores annis ſexdecim illo bello nō mili-

a l. militem. l. qui ſtipēdia C. de procur.

b l. pæn. ff. de al. iud. mut. cauſa.

c l. vlt. C. ne lic. pot.

d l. qui accuſare. ff. de accuſ.

e l. famoſi. ff. ad leg. Iul. maieſt.

f l. non prohibentur. C. Qui accuſ. non poſſ.

g Nouel. 116. de militib.

h Plut. in vita Gracchi.

i lib. 5. & 6.

militaſſent [a]. Phociō verò, vt Athenienſes, nimis bellicoſos, à belli furore delectu acerbo cohiberet, lecta iuuentute, etiā octogenarios emeritis ſtipendijs coëgit nomina dare. Exſtat tamen conſtitutio Frederici imperatoris [b], quæ dicit, de duello agens, maiorem ſexaginta annis, & minorem viginti quinque, non teneri per ſeipſum pugnare. Hiſtoria verò ſacra [c] dicit, Dominum præcepiſſe Moyſi, vt omnes Iſraëlitas vigeſimum ętatis annum excedentes, militiæ aſſcriberet. quā ætatem etiam idoneam militiæ cenſuit Plato. Vt vt ſit; bene præcipitur, vt tyronem quærat, qui veteranum non habet.

15 Longè* enim pluris faciēda eſt exercitatorum veteranorum parua manus, quàm indocta & belli expers multitudo, quæ cædi expoſita, minima quęque formidat, & fugam magis quàm gloriam meditatur [d]. Itaque Alexander, mortuo patre Philippo, cum quadraginta millibus veteranorum, quos illi pater optimè eruditos & rei bellicę peritos reliquerat, varias innumerabileſque hoſtium copias ſuperauit, & plurimas orbis terrarū prouincias ſubegit: & idem ducturus contra Darium veteranos peritos belli, magna cura militiæ aſſcripſit, & parua manu ingentem Perſarum numerum fudit, fugauitque. Solent quoque veteres ex corporis habitudine, ſi apti militiæ, ſi lato pecto-

a *Liu. lib. 32.*

b *in §. conſtitutionem. de qual. & etat. pug. in f. in vſib. feu.*

c *Num. 1.*

d *Veget. de re milit. lib. 1. c. 1.*

pectore, ceruice erecta, ſi fortis, ſi ſtrenuus, quæ ſpecies, qualiſque vigor, & quod robur virium foret, internoſcere, vt illorum forti fideliq́ue opera reſpubl. vti poſſet. Vnde Cato pinguem militem velut reipubl. inutilem cenſuit, cuius inter guttur & inguen cuncta ſub ventris dominio forent. Admonendi quoque ſunt principes, vt potiùs proprio milite*, quàm externo, qui non tam pro gloria quàm ſtipendio militant, in bello vtantur: exemplo Tulli Hoſtilij; qui cùm Romani quadraginta annis in pace & ocio vixiſſent belli expertes, & bellum gerere inſtituiſſet, aſpernatus externa auxilia, ſuos tãtùm ad arma exciuit, & breui tẽpore diſciplina optimos milites effecit. Longè enim tutiſsima ſunt domeſtica præſidia; & longè aptiora ſunt propria arma, quàm aliena. quod nobis quoque oſtendiſſe videtur hiſtoria ſacra. nam Dauid, cùm ſe offerret ad ſingulare certamen cum Goliath Philiſthæo; & Saul, vt illi animum adderet, ſuis armis illum armaſſet; noluit ijs vti, quòd ijs impediretur, ſed proprijs tantùm, funda ſcilicet & baculo, congreſſus, hoſtem proſtrauit[a]. Et quidẽ ſi omnino externis auxilijs dux belli vti velit, aut neceſsitas cogat; illud cauendum præcipuè, ne ita illis credat, vt non plus ſui roboris, ſuarumq́ue virium in caſtris habeat, ne meritò

Marginal: line "te*, quàm externo..." — 16
Marginal: a 1. Reg. 15.

titò ei eueniat, quod Cn. Scipioni in Hiſpania cum Aſdrubale bellum gerenti. nam Aſdrubal, animaduertens exiguum Romanorum exercitum in caſtris Cn. Scipionis, & ſpem omnem in Celtiberorum auxilijs eſſe, per occulta colloquia cum Celtiberorum principibus conuênit, magna mercede, vt copias inde abducerent, néue bellum gererét: nec metus à Romanis erat, quippe tam paucis, ne ſe retinerent. Quod exemplum pro documento habendũ Romanis ducibus ſuadet Liuius [a]. Conſtantinopolitanus autem imperator, cùm proprijs armis careret, accerſitis auxilijs Turcarum, vt ſe à vicinis tueretur, eoſdem finito bello expellere nõ potuit. vnde vniuerſa Gręcia Turcarum dominio ſubacta eſt. Non itaque Cyri conſilium probo, qui non ex ciuibus legendos milites, ſed velut optimos equos è longinquo quæri oportere dicebat; neque Alexãdrinorum vetuſtum morem, qui nullos milites niſi peregrinos admittebant. Rectiùs Romani, qui, quò milite proprio abundarét, in fœdere, quod cum Antiocho percuſſerunt, cauerũt, ne milites ſub ditione populi Rom. conducere, aut voluntarios habere liceret [b]: & cùm bello cum Pyrrho contenderent, quamuis bis prælio victi, auxilia tamen à Carthaginienſibus miſſa remiſerunt [c]. Ceterùm notatu dignum

a *lib. 25.*
b *Liu. lib. 38. App. in bello Syr.*
c *Iuſt. lib. 18.*

gnum eſt, milites Romani nominis*, à 17
condita vrbe, per annos ferè trecentos
quinquaginta, ſuo ſumptu & impenſa
meruiſſe. partem enim anni ſub pellibus
militabant;partem verò liberis,vxori,&
penatibus, ſibique ac familiæ, agrum colendo,
& rei ruſticæ nauando operam parabant.
Quo autem tempore de bello indicendo
Veijs agebatur, vbi diutina &
difficili obſidione opus erat, & hyemando
continuare bellum, Romani, vtili &
neceſſario exẽplo docti, ſenatus decreto
militibus ſtipendium de publico collata
ſtipe ſtatuêre: cùm ante id tempus de ſuo
quiſque functus eo munere eſſet [a]. Porrò
poſt Cannenſem cladem illatam tãta
inclinatio animorũ fuit ad ſuſtinendam
inopiam ærarij, vt non eques, non centurio,
ſtipendium acciperent; mercenariumque
increpantes vocarent, qui accepiſſet [b].
Stipendium verò * militum 18
Rom. fuiſſe decem aſſes diurnos indicat
Tacitus [c], cũ ait, milites in illa ſeditione
Pannonica inter alia cõqueſtos, denis in
diem aſsibus animam & corpus æſtimari:
hinc veſtem, arma, tentoria, hinc ſæuitiam
centurionum, & vacationes munerum
redimi: itaque petijſſe vt ſingulos
denarios mererent. Ex quibus apparet,
quòd quamuis denarius primùm æſtimatus
fuerit decem aſsibus, quapropter
& decuſſe x. ſignabatur; tamen poſtea
tem-

a *Liu. lib. 4.*

b *Liu. lib. 24.*

c *annal. ab exceſſ. Aug. lib. 1.*

temporibus auctam fuiſſe denarij æſtimationem. Itaque Q. Fabio Max. dictatore, cùm Annibal premeret rempubl., donarium xvj. aſsibus permutatū fuiſſe ſcribit Plinius: qui tamen in militari ſtipēdio denarium pro decem aſsibus ſemper datum fuiſſe aſſerit[a]. prætorianæ verò cohortes binos denarios accipiebāt[b]. Hunc verò denarium ſi cum noſtri temporis moneta conferamus in pondere & valore, ferè æqualem fuiſſe regali Hiſpanico poſt Endæum & alios apertè oſtendit Couarruuias: ita vt ſtipendium noſtrorum militum nihil aut parum à Romano ſtipendio differat[c]. Stipendium verò equitum Rom. quātum fuerit, non ſatis conſtat, quàm quòd aſsignabantur illis equi publici, & in prædæ diuiſione nonnunquam triplum, nonnunquam duplum eius quod pedites ferrent. Itaque ex præda quam L. Æmilius Paulus fecerat, Perſeo victo, pediti, inquit Liuius[d], in ſingulos centeni dati, duplex centurioni, triplex equiti, ex quo nonnulli de ſtipendio equitis coniecturam faciunt. ſed alio loco idem Liuius[e], ex præda Epiri ciuitatum, quæ ad Perſea defecerant, tantum fuiſſe, vt in equites cccc. denarij, peditibus duceni diuiderentur. Itaque nihil certi hac de re affirmare auſim. illud certè conſtat, equites in maximo honore apud Romanos fuiſſe.

a *lib. 33. c. 3.*
b *Tacitus Annal. lib. 1.*
c *Alc. in Tac.*
d *lib. 55.*
e *lib. 55.*

DE SACRAMENTO MILITARI.

1 *Militiæ ſacramento non aſſcriptus militare non poterat.*
2 *Sacramentum quomodo præſtari ſolitum.*
3 *Variæ formulæ iurandi.*
4 *Quale iuramentum apud Lacedæmonios præſtari ſolitum.*
5 *Quo ritu Samnites iurarent.*
6 *Juſiurandum puberum Athenienſium.*

CAPVT QVINTVM.

NEmini apud Romanos * militare 1 permiſſum fuit, nec quidem hoſtem gladio petere, qui ſacramento militari non eſſet aſſcriptus: perindeque in eum militaris animaduerſio fuit, qui hoſtem militiæ ſacramento non aſſcriptus occideret, quàm qui ciuẽ aut ſocium iniuria affeciſſet. itaque cùm Pompilius, vel, vt alij legunt, Paulus Æmilius, vnam legionem, & Catonis quoque filium, qui in eadem legione militabat, dimiſiſſet, & Catonis filius ardore pugnandi in exercitu manſiſſet: Cato ad Pompilium ſcripſit, vti, ſi eum pateretur in exercitu manere, ſecundo eum obligaret militiæ ſacramento: quia priore amiſſo, iure cum hoſte pugnare non poſſet. Idem quoque ſcribebat ad filium, vt caueret ne præliũ iniret, negans ius eſſe, qui miles non ſit, pugnare

2 pugnare cum hoſte [a]. Sed priùs * ſua ſponte decuriati equites, centuriati pedites, ſacramenta mutuò præſtabant. Paulo deinde Æmilio & Terentio Varrone conſulibus, primùm, quod nunquam ante factum erat, milites à tribunis militum, à voluntario ſacramento ad legitimum iuſiurandum adacti fuêre. Quod quidem imperator præſtare tenebatur primus: ſuo mox ordine ſubſequébantur legati, deinde tribuni, deinde centuriones, poſtea decuriones, mox præfecti caſtrorum, demum milites: quod ſingulis annis, calendis Ianuariis denuo præſtabatur. Iurabant autem per
3 deos * ſolenne iuramẽtum, ſe iuſſu con-
„ ſulum conuenturos, neque iniuſſu abi-
„ turos: ſeſe fugæ neque formidinis ergô
„ non abituros, neque ex ordine receſſu-
„ ros, niſi teli ſumendi, aut petendi, aut
„ hoſtis feriendi, aut ciuis ſeruandi cauſa [b].
Poſterioribus verò temporibus, vt refert Vegetius [c], iurabant milites per Deum, & Chriſtum, & Spiritum ſanctum, & per maieſtatem imperatoris, (cui, inquit, tãquam corporali Deo fides & deuotio præſtanda eſt) ſe omnia ſtrenuè facturos, quæ imperator iuberet: militiam nunquam deſerturos, neque mortem recuſaturos pro Rom. republ. Nonnunquam verò cùm ingens ſubeunda dimicatio eſſet, & in extremũ diſcri-

a Cicero offic. lib. 1.

b Liuius l. 22.

c de re milit. lib. 2. cap. 5.

men res veniſſet; milites niſi victis, debellatis, fuſisque hoſtibus victores forent, ſe in caſtra nunquam redituros, iurare ſolitos fuiſſe legimus. Quod M. Fabio & Cn. Manlio conſſ. bello contra Veientes & Hetruſcos factum fuit. nam cùm conſules caſtris ſe tenerent, neque militi arma crederent: (quòd priore anno, odio Cæſonis Fabij conſulis, fuſos hoſtes ab equitatu pedes inſequi noluiſſet, iniuſſuque conſulis ſigna in caſtra retuliſſent) primus M. Flauolenus, ardore pugnæ, Victor, inquit, M. Fabi, reuertar ex acie: ſi fallar, Iouem patrem, gradiuumque Martem, aliosque iuratos inuocat deos: & idem deinceps omnis exercitus in ſe quiſque iurabat [a]. Similiter cùm prope Dyrrhachium Pompeius conſtitiſſet, caſtraque metari iuſsiſſet, perterrito exercitu, Labienus, vt exercitum confirmaret, princeps iurabat ſe Pompeium non deſerturum, eundemque caſum ſubiturum, quemcunque ei fortuna tribuiſſet: hoc idem reliqui iurabant legati, hoc tribuni militum centurionesque ſequebantur, atque idem omnis exercitus iurabat [b]. Et idem Labienus, cùm Pompeius prælio decertare cum Cæſare cõſtituiſſet, primus iurauit, ſe niſi victoré in caſtra non reuerſurum, reliquosque, vt idem facerent, hortatus eſt. hoc laudás Pompeius, idem iurauit, nec

a Liuius lib. 2.

b Cæſar de bel. ciuil. lib. 3.

nec ex reliquis fuit quiſquam,qui iurare
dubitaret [a]. Petreius quoque, legatus
Pompeij, ſuis de trãſitione ad Cæſarem
per colloquia agẽtibus, ab omnibus iuſ-
iurandum exegit, ſe exercitum duceſq;
non deſerturos,neque prodituros,neque
ſibi ſeparatim à reliquis cõſilium captu-
tos:& princeps in hæc verba iurabat ip-
ſe,& ad idem iuſiurandum adegit Afra-
nium:ſubſequebantur tribuni militum,
centurioneſque: centuriatim producti
milites idem iurabant [b]. Alexandri verò
milites in verba ipſius ipſo præeunte iu-
rabant, eoſdem ſe inimicos amicoſque
habituros, quos ipſe habuiſſet [c]. Hoc
4 etiam iuramentũ apud Lacedæmonios *
præſtare ſoliti ſunt milites,eoſdẽ ſcilicet
cum imperatore amicos inimicoſq; ha-
bituros: vtque bonorum malorumque
firma cõſenſio inter eos & fœderatio eſ-
5 ſet.At Samnites *, in magno diſcrimine,
ritu quodam ſacramenti vetuſto, velut
initiatis militibus, delectum habebant;
& ſacrificio ſolenni more perfecto, per
viatorem imperator acciri iubebat no-
biliſsimum quemque genere, factiſque,
& circumſtantibus cẽturionibus,ſtrictis
gladijs, admouebatur altaribus miles,
magis vt victima, quàm vt ſacri parti-
ceps: adigebaturque iureiurando, quæ
viſa auditaque in eo loco eſſent, non
enunciaturũ; deinde iurare cogebatur,

a *Cæſar de bel. ciuil. lib. 3.*

b *Cæſar de bel. ciuil. lib. 1.*

c *Q. Curtius lib. 7.*

diro quodam carmine in execrationem
capitis, familiæ, & ſtirpis compoſito, niſi
iſſet in prælium quò imperatores duxiſ-
ſent; & ſi aut ipſe ex acie fugiſſet, aut ſi
quem fugientem vidiſſet, non extemplo
occidiſſet: idq́ue abnuentes iuraturos ſe
obtruncabantur circa altaria: iacentes
deinde inter ſtragem victimarum, docu-
a *Liuius l.10.* mento ceteris fuere ne abnuerent [a]. Iuſ-
iurandum autem * puberum Athenien- 6
ſium, ex Æſchino tale fuiſſe conſtat: Ar-
ma ſancta neutiquam cum dedecore tra- »
ctabo: commilitonem, quicunque mihi »
in acie adiunctus fuerit, in periculo non »
deſerá: pro aris & focis, tam ſolus quàm »
cum multis, ſtrenuè pugnabo: patriam, »
qualem & quantam inuenero, neq; mi- »
norem, neque deterioré, ſed & maiorem »
& meliorem relinquam. Memoriç quo- »
que proditum eſt, Athenienſes, cùm pro-
pter quotidianas contentiones, & viola-
tum ius gentium, infenſi Megarenſibus,
& animo hoſtili eſſent; quoties milites
ſolito militari ſacramẽto adigebant, hoc
etiam iuſiurandum illos ſubire coëgiſſe,
ſe intra militiæ tempus quotannis, quo-
quo modo poſſent, Megarenſium agros
fineſq́ue infeſto exercitu inuaſuros, &,
peruaſtatis agris, nihil intactum relictu-
ros, atque in eos omni clade belli graſſa-
turos. Ceterùm illud notandũ eſt, quòd
ſi ab vniuerſo exercitu Romano iuſiu-

randum conſuli præſtandum eſſet, ſatis fuiſſe ſi centurio, vel tribunus, exercitus nomine, conceptis verbis ſublimi voce iuraret, omniſque multitudo, & ſinguli milites, communi conſpiratione & conſenſu in eadem verba ſilentio in ſe quiſque iuraret: hocque iuſiurandum, ac ſi concepta verba ſinguli expreſsiſſent, perinde tenebat, atque ſanctum & illibatum habebatur. Non omittendum quoque, ſolere tribunos conuenientes, vbi caſtra metati eſſent, ab omnibus qui in caſtris eſſent, liberis pariter & ſeruis, ſingulatim iuſiurandum exigere, ſe nihil e caſtris furto ablaturos: imò, ſi quis etiam inueniſſet quippiam, id allaturum ad tribunos[a].

[a] *Polyb. de Rom. caſtr.*

DE MISSIONE.

1 *Militiæ ſemel aſſcriptus deleri nequibat.*
2 *Miles à ſignis abeſſe non poteſt.*
3 *Tria miſsionum genera.*
4 *Honeſta miſsio.*
5 *Cauſaria miſsio.*
6 *Ignominioſa miſsio.*
7 *Ignominia differt ab infamia.*
8 *Qui ignominia mitti poſsint.*
9 *Quartum miſsionis genus.*
10 *Solus imperator miſsionem dare poteſt.*

CAPVT SEXTVM.

Militiæ ſemel aſſcriptus *, niſi propter demerita exauctoratus foret, ipſo nolente deleri nequibat. fuit enim lata lex ſacrata militaris, M. Valerio Coruino dictatore, ne cuiuſquã militis ſcripti nomen, niſi ipſo volente, deleretur [a]. Sed nec miles *, donec ſacramento ſolutus eſſet, à ſignis abeſſe, vel militiam deſerere poterat [b]. Fuêre autẽ tria * miſſionum genera, quibus miles exauctorabatur, & ſacramẽto ſoluebatur: honeſta, cauſaria, & ignominioſa [c]. honeſta *, quę emeritis ſtipendijs, & functis commodis miſsionum, vacationis munere donabatur. quo tempore ſcuta, gladios, & arma dicare ſolent Laribus, ſicut gladiatores Herculi: quòd dijs iuuantibus perfuncti militia, rudem accepiſſent, quod miſsionis tempus militi quinquagenario fuit definitum. Auguſtus tamen his, qui maiores quinque & quadraginta annis equum retinere nollent, reddendi equi gratiam fecit, illosq́ue velut emeritis ſtipendijs dimiſit. Alij, niſi decẽnio ſtipendia meruiſſet, miſsionẽ petere neminem putarunt poſſe. More tamen Romano militare ſacramentũ in vndecimum diffundebatur annum, quo exacto, militia perfunctis miſsio dabatur. Deinde vt decimus

Margin numbers: 1 (beside "pro-"), 2 (beside "ſacramento"), 3 (beside "miſ-"), 4 (beside "quę").

a *Liuius l. 7.*

b *l. pen. ff. ex quibus cauſ. ma. l. non omnes. ff. de re milit.*

c *l. milites agrum. §. miſſionum. ff. de re milit. l. 2. ff. de his qui not. infam.*

cimus ſextus annus ſtipendij finem faceret, Tiberio imperante cautum fuit, qui etiam militiæ tempus ad vigeſimum annum produxit: cauitque vt niſi poſt vigeſimum annum miſsio militi daretur; quod iuri noſtro cõuenit [a]. & ita miſſus habet à ciuilibus muneribus vacationẽ, & plurimis priuilegijs gaudet [b]. Cauſaria
5 verò * miſsio dicitur, cùm ſenecta, aut valetudine aduerſa, vitióve corporis, minùs idoneus militiæ quis renunciatur. Quæ non facilè cõcedi ſolet, niſi renunciantibus medicis, & iudice diligenter examinante vitium: & ſemel conceſſa, non ſolet miſſus iterũ admitti prætextu recuperatæ valetudinis [c]. ſed & ex quacunque cauſa miſſus, denuo in militiam, ſine mandato principis, admitti non poteſt [d]. & quidem ex his cauſis miſſus, habebit quoque vacationem à muneribus, quamuis non perpetuam [e]. nec enim ijs priuilegijs fruitur, quibus ij, qui impletis ſtipendijs miſsi ſunt: alijs tamen veteranorum priuilegijs gaudebit, & præmia veteranis conceſſa percipiet [f]. Cauſaria enim miſsio nullam exiſtimationis maculam aſpergit [g]: & honeſta quoque miſsio dicitur [h]. Ita verò miſſos vocat Liuius [i] cauſarios, cùm ait: Tertius exercitus ex cauſarijs ſenioribusq; à T. Quintio ſcribatur, qui vrbi mœnibusq; præſidio ſit.
6 Ignominioſa verò * miſsio, quæ & pro-

a *l. ſed & milites. §. quandoque. ff. de excuſ. tut. l. vlt. C. de his qui non impl. ſtip. ſac. miſ. ſunt. lib. 10.*

b *d. §. quandoque. & l. pan. C. d. tit. de his qui non impl.*

c *l. ſemel. C. de re milit. l. 12.*

d *l. 2. C. de diuer. off. l. 12.*

e *d. l. ſed etſi miles. §. quandoque, cùm ſeq. ff. de excuſ. tut.*

f *l. milites agrum. § illud ff. de re milit.*

g *l. cauſaria. C. de re milit. lib. 12.*

h *in d. l. ſed etſi miles. §. qui autem. ff. de excuſ. tut.*

i *libro 7.*

& probroſa dicitur, eſt cùm miles ob delictum vel crimen ſacramento ſoluitur: & ita miſſus ex edicto prætoris fit infamis [a]; & dignitatem conſequi non poteſt [b]; nec in vrbe conſiſtere poteſt, nec alibi vbi princeps eſt [c]. Et quidem ſine ignominiæ mentione miſſus, nihilominus ignominia miſſus intelligitur, vt Marcianus voluit [d]. Vlpianus tamen cauſam ignominiæ addendam miſsioni cenſet [e]. Ad tempus verò miſsis, tempore impleto non porrigitur infamia [f]. Sciendum autem eſt, * ignominiam ab 7
infamia differre, vt ex Cicerone ſatis conſtat [g]: qui dicit animaduerſionem cenſoris non eam vim, quam res iudicatæ, habere: cenſoris enim iudicium nihil ferè damnato adferre, quàm ruborem; & ignominia notare, quæ in nomine tantummodo verſatur; & ſic notatis ad honorem aditum, & in curiam reditum eſſe: aliàs verò turpi iudicio damnatos, in perpetuum omni honore ac dignitate priuari, & infamia notari. Infamia enim non niſi per ſententiam inferri poteſt [h]. Sic ignominia miſsi olim non erant infames, donec prætoris edicto effecti eſſent infames [i]. Itaque ignominia illa dici poteſt, quam interpretes noſtri vocant infamiam facti; infamia verò, quam infamiam iuris appellant. Non ignorandum quo-

a *l.1.ff.de his qui not.inf.*
b *l.3.C.de re milit.lib.12.l.1.C.de his qui non impl.ſtip.lib.10.*
c *l. milites agrum.§.miſſionum.ff.de re milit.l.2.§.ignominia.ff.de his qui not.inf.l.2.C.de re mil.l.12.*
d *in d.l.milites agrum.§.miſsionum.ff.de re milit.*
e *in d.l.2.§.ignominia.ff.de his qui not.inf.*
f *l.1.C.de his qui in exil.dati ſunt.libro 10.*
g *de rep.lib.4.apud Non,& in oratione pro Cluent.*
h *l.infamem.ff.de pub.iud.*
i *l.1.ff.de his qui not.inf.*

8 que eſt *, non ſolùm gregarium militem, ſed etiam centurionem, tribunum, imò etiam qui exercitui præeſt, licet conſularibus vtatur inſignijs, ignominiæ cauſa ab imperatore mitti poſſe, & ita miſſum nota infamiæ laborare [a]. Itaque C. Cæſar C. Anienum, tribunum decimæ legionis, in præſentia exercitus cum ignominia dimiſit, his
„ verbis: C. Aniene, quòd in Italia mili-
„ tes populi Romani contra rempubl. in-
„ ſtigaſti, rapinaſque per municipia feci-
„ ſti, quodque mihi reique publicæ fuiſti
„ inutilis, tuaque opera militibus tem-
„ pore neceſſario reſpubl. careat, ob eas
„ res, cauſa ignominiæ, ab exercitu meo
„ te remoueo, hodieque ex Africa abeſ-
„ ſe, &, quanto longiùs potes, proficiſci
„ iubeo [b]. Vltra hæc tria miſsionum ge-
9 nera, quæ enarrauimus, Vlp. adiecit * quartum [c]. Si quis enim euitandorum munerum gratia militiam ſubijt, exauctorari iubetur [d]: quæ miſsio exiſtimationem non lædit [e]. Ceterùm ſo-
10 lus imperator * vel dux exercitus miſſionem dare poteſt [f]. Vnde Q. Fuluius cenſor Fuluium fratrem, cohortem legionis, in qua tribunus militum erat, iniuſſu conſulis domum mittere auſum, ſenatu mouit [g].

a l. 2. in prin. ff. de his qui not. inf.
b Ant. Hir. lib. 5. de bell. Hiſp.
c in d. l. 2. §. ignominiæ. ff. de his qui not. inf.
d d. §. ignominiæ. & l. qui cum vno. §. nõ omnis. ff. de re milit.
e d. §. ignominiæ. & d. l. qui cum. §. exauctoratus. ff. de re milit.
f l. 1. ff. de his qui not. inf.
g Valer. Max. lib. 2. cap. 7.

DE PRIVILEGIIS MILITVM.

1 *Miles ex cauſa æris alieni in carcerem duci non poteſt.*
2 *An nobiles idem priuilegium habeant.*
3 *Priuilegium ne quis conueniatur, niſi quatenus facere poteſt, quale ſit*
4 *Militis abſentis bona creditoribus addici non poſſunt.*
5 *Miles excuſatur à tutela, & à dicendo teſtimonio.*
6 *Res militis non cadit in commiſſum ob non ſolutum vectigal.*
7 *Res empta pecuniâ militis, eſt militis.*
8 *Miles transfert onus probandi indebitum in aduerſarium.*
9 *Militi non nocet iuris ignorantia.*
10 *Iuris ignorantia in delictis non excuſat.*
11 *Miles non ſubijcitur quæſtioni, nec plebeiorum pœnis.*
12 *Militia non liberat filiũ à patria poteſtate.*
13 *Filiusfamilias miles, quoad caſtrenſe peculium, pro patrefam. habetur.*
14 *Quid cenſeatur caſtrenſis eſſe peculij.*
15 *De teſtamentis militum.*
16 *Ex militari delicto capite damnatus teſtamentum condere poteſt.*
17 *Bona militis, qui ſucceſſorem non habet, deferuntur legioni.*
18 *Miles qui inconſultò adijt hereditatem, non tenetur vltra vires hereditarias.*

19 *Mulieri concubinæ donare non poteſt.*
20 *Mortuus in bello in æternum viuere intelligitur.*
21 *Miles in bello mortuus prodeſt patri ad ius trium liberorum.*
22 *Priuilegia militum ad aliorum iniuriam non porriguntur.*
23 *Præmia mortuis debita, dantur filiis.*
24 *Militaria priuilegia iis tantùm, qui ſtrenuè militant, præſtantur.*
25 *Non ſolùm militibus, ſed etiam aliis qui caſtra ſequuntur, quædam priuilegia militaria conceduntur.*
26 *Mulieres quæ caſtra ſequuntur, quæ priuilegia habeant.*
27 *An milites noſtri temporis gaudeant priuilegiis militum.*

CAPVT SEPTIMVM.

CVm, vt rectè Ciceró ait [a], honos alat artes, & omnes incẽdamur ad ſtudia gloriâ, iaceantque ea ſemper, quæ apud quoſque improbantur: prudenter profectò Romani (qui belli gloriâ præcipuè ad tantũ faſtigiũ peruenêre) magno in honore diſciplinam militaré habuere: vnde etiam militibus plurima & ampliſſima priuilegia cõceſſêre, quorum ſumma tantũ capita breuitatis cauſa hîc perſtringemus. Et in primis miles *ex cauſa æris alieni in carcerem duci non poteſt, & non

[a] *Tuſcul. quæſt. lib. 1.*

1

& non niſi quatenus facere poteſt, cõueniri[a]. quod & apud Ægyptios lege cautũ fuit[b]. non conuenitur, inquam, niſi quatenus poteſt, id eſt, quatenus facultates eius patiũtur, vt ait Iuſtinianus[c]: habita ſcilicet ratione ne egeat[d]. vnde bonis cedere non tenetur, vt eſt cõmunis doctorum opinio[e]. Quod tamen ita plerique procedere arbitrãtur, ſi debitum ſit contractũ in caſtris, & ex cauſa militię[f]: quod in dubio præſumitur[g]. Et quidem huic priuilegio renunciari non poteſt[h], cùm perſonę cohęreat, non contractui[i]. Idem putant eſſe plerique in priuilegio
eorum, qui*nobilitatis dignitate deco- 2
rantur[k]. Quod licet iure communi dubium ſit, regia tamen Hiſpaniarum lege conſtitutum eſt in his, quos Hidalgos vocant[l]. Sed nec iure communi, nec Hiſpano, hi nobiles habent priuilegium ne conueniantur vltrà, quàm facere poſſunt, cũ id nullibi expreſſum ſit; ſed tantùm ne ex cauſa æris alieni in carcerem ducantur[m]. Arma tamen, & equi, & domus vbi hi nobiles habitant, oppignorari, vel in cauſam iudicati accipi non poſſunt[n]: niſi fortè regi quid debeatur[o]. Iure quoq; communi arma militũ in cauſam iudicati accipi nõ poſſunt[p]: idq; meritò:

arma

a l. miles. l. itẽ miles. ff. de re iudic.
b Dion. Sicul. libro 2.
c in §. ſunt præterea. inſt. de actionib.
d l. in condemnat. ff. de reg. iur. l. inter eos. ff. de re iudic.
e in d. l. miles. & Bal. in d. l. 1. in fi. C. Qui bon. ced. poſ. Alex. in l. cẽturio. col. 5. imp. ff. de vulg. & pupil.
f gloſ. & DD. in d. l. miles. & facit text. in l. vlt. C. de teſt. milit.
g l. vlt. C. ad S.C. Maced.
h l. alia cauſ. §. eleganter. & ibi Alex. ff. ſol. mat.
i Dec. in l. diuus. n. 8. ff. de reg. iur.
k Bald. in l. 1. in fin. C. Qui bon. ced. poſſ. Alex. in l. Cẽturio. ff. de vul. & pupill. ſub. Iaſ. in d. l. miles ff. de re iud.
l reg. l. 4. & 5. tit. 2. l. 4. ord. & l. 69. Taur.
m Cinna & alii in d. l. miles. & in d. l. centurio.
n reg. l. 3. & 5. t. 2. l. 4. ord.
o reg. l. 24 cũ addit. tit. 21. part. 2.
p Acc. & Alc. in l. nepos Proculo. ff. de verb. ſign. Bald. in Rub. C. qui bon. ced. poſſ. Cyn. & Salic. in l. 1. C. d. tit. col. 13.

arma enim veteres membra militũ eſſe dicebant. Sed nec in ſtipendia militum fieri debet executio, ſi aliũde poteſt creditori ſatisfieri [a].
3 Sciendum verò iſtud * priuilegium, ne quis conueniatur niſi quatenus facere poteſt, non eſſe obligationis, nec actionis, nec iudicati. nã actor poteſt ſolidũ petere, ſed iudex condemnabit tantùm in id, quod facere poteſt [b]. Et quamuis iudex per errorem condemnauerit in ſolidum, non poteſt actor iudicatũ exequi, niſi quatenus reus facere poteſt [c]: eoq; ſenſu dicitur ſpectari tempus rei iudicatæ [d]. Vnde quamuis tempore ſententiæ fuerit reus ſoluẽdo, proderit nihilominus exceptio [e]. Porrò fauore militiæ non ſolũ milites, ſed nonnunquam etiam militare volentes, carcere ſoluti fuerũt. nam P. Seruilius conſul, Volſcis bellum inferentibus, edixit, ne quis ciuem Romanum vinctum aut clauſum teneret; quo minùs ei nominis edendi apud conſules poteſtas fieret [f]: & deinde M. Iunius dictator, poſt Cannenſem cladẽ edixit, vt qui capitalem fraudem auſi, quiq; pecunia iudicati, in vinculis eſſent, qui eorum apud ſe milites fierent, eos noxa pecuniaque ſe exolui iuſſurum [g]. Superiori primæ legi affine
4 eſt & iſtud *, quòd ſcilicet; ſi non defendatur miles abſens reipublicę cauſa, poſſideri quidem eius bona ex cauſa iudicati

a l. ſtipendia. C. de exec. rei iudic.
b l. maritum. ff. ſol. mat. l. vetum. verſ. condemnari. ff. pro ſocio.
c l. Neſennius ff. de re iudic.
d l. rei iudicata. ff. ſol. matr.
e l. verùm. §. tempus. ff. pro ſocio.
f Liuius l. 2.
g Liuius l. 23.

ti poſsint, non tamen omnino credito-
ribus addici [a]. & ſi quidem creditores
militis bona diſtraxerint, iure pigno-
ris ſecundùm normam [b] reſtituetur mi-
les, perſoluto debito, vel refuſo pretio
venditionis, ſi fortè minoris venijt pi-
gnus quàm ſit debitum [c]. miles enim
dum reipublicæ operam ſuam præſtat,
quomodocunque læſus, in integrum re-
ſtituitur [d]. Itaque P. Seruilius cõſul bel-
lo Volſco edixit, ne quis militis, donec
in caſtris eſſet, bona poſsideret, aut ven-
deret [e]. Pręterea, miles excuſatur à tute-
la * [f], & ab alijs muneribus publicis [g]. 5
miles quoque non cogitur inuitus teſti-
monium dicere [h]: ne propter priuatam
vtilitatem cogatur abeſſe à ſignis, vbi
tuetur rempublicam vniuerſam [i]. Item
quamuis miles non ſit liber * à vectigali- 6
bus [k], non tamen cadent res ſuæ in com-
miſſum, ex eo quòd non profiteatur, ne-
que ſoluat vectigal [l]. Et quãuis res emp-
ta pecuniâ meâ non ſit mea [m], res tamen
empta * pecuniâ militis poteſt à milite 7
vendicari [n]. Et licet ei, qui ſe indebitas
pecunias ſoluiſſe contendit, probatio in-
cumbat; miles tamen * eo onere leuatur, 8
quod in aduerſariũ transfert, qui ſe bene
accepiſſe probare debet [o]. quod ita verũ
eſt, ſi totã ſummã indebitã eſſe conten-
dat miles, non etiam ſi partem tantùm [p].
Eſt quoque inter priuilegia militaria,
quòd

a *l. ignorare. C. de reſt. milit.*
b *l. vlt. C. de iur. dom. nup.*
c *l. ſi cùm militaribus. C. de reſt. milit.*
d *late in tit. C. de reſt. milit. & C. de tẽp. in integ. reſtit. & C. Qui non ob long. tẽp. præſ.*
e *Liuius lib. 1.*
f *§. idem & in milite inſt. de excuſ. tut.*
g *l. 3. §. his qui. ff. de muner. & hon.*
h *l. 3. §. vlt. l. inuiti. ff. de teſtibus.*
i *l. milites. C. locati.*
k *l. ex præſtatione. C. de vectigalib.*
l *l. 2. C. de vectigalib.*
m *l. ſi ex ea. C. de rei vẽd.*
n *l. ſi vt propon. C. de rei vendicat.*
o *l. cùm de indebito. § ſi autem is. ff. de cond. indeb.*
p *d. § ſi autẽ.*

9 quòd militi * non nocet iuris ignoran-
tia: magis enim arma ſcire tenetur, quam
leges [a]. vnde permittitur militi, ſi excep-
tionem peremptoriã per iuris ignoran-
tiam non obiecit, vt eam poſt ſentẽtiam
poſsit opponere [b]. idem conſtitutionibus
regni Hiſpaniæ cautum eſt [c]. non tamen
10 excuſat iuris ignorantia in delictis * [d]: à
quibus natura duce abſtinendum eſt. in
eo tamen fauetur militi, quòd non ſubij-
11 ciatur quæſtioni *, nec plebeiorum pœ-
nis, etiamſi emeritis ſtipẽdijs miſſus ſit [e].
itaq; nec ad beſtias, nec in furcam dam-
nari poteſt [f]. Idem in nobilibus locũ ha-
bere voluit cõſtitutio regni Hiſpanię [g].
quod & in filijs militum, & veterano-
rum locum habet [h]. imò vſque ad nepo-
tes extenditur, eorũ ſcilicet qui ad ſum-
mum gradum militiæ peruenerunt [i].
Non erit autem locus huic priuilegio, ſi
agatur ex cauſa criminis læſæ maieſta-
tis [k], proditionis [l], maleficij [m], falſi [n], vel
priuati carceris [o]. Porrò quamuis mili-
12 tia non liberet filium * à patria poteſta-
te [p]; tamen, quod ad caſtrenſe peculium
13 attinet *, habetur pro patrefamilias [q]: in
quo nihil iuris pater habet [r]. vſq; adeò,
vt inter patrem & filium militem, quem
in poteſtate habet, (inter quos aliàs nulla
lis eſſe poteſt) ex cauſa caſtrenſis peculij
ſit

a l. regula. ff. de iur. & fact. ignorantia. l. vlt. ff. eodem.
b l. 1. C. de iuris & facti ignorantia.
c reg. l. 24. tit. 21. part. 2.
d l. 2. ff de re milit. l. miles. in principio. ff. ad l. Iul. de adult.
e l. miles. C. de quæſt. l. nullus. C. ad leg. Iul. maieſt. c. miles de pace tenẽd.
f l. 3. §. in qui. ff. de re milit.
g reg. l. 24. tit. 21. part. 2.
h l. 1. & 5. ff. de priuil. vet.
i l. Diuo Marco. C. de quæſtion.
k d. l. nullus.
l l. 3. §. is qui. ff. de re milit.
m l. etſi excepta. C. de maleſ. & Math.
n l ſi quis decurio. C. de falſ.
o l. 1. C. de priuat. carc.

p §. filiusfamilias. inſtit. Quomodo ius patr. poteſt ſolu. l. erat. C. de caſtrenſ. pecul. lib. 12. q l. vlt. C. de inoff. teſtam.
r l. miles præcipua. l. ex nota. C. de caſt. pecul.

ſit actio [a]. Qua ratione etiam filiusfami-
lias miles, ex quacunque cauſa pecuniam
creditam acceperit, non iuuatur S. C.
Macedoniano [b]. hinc quoque, quamuis
inter patrem & filium, quē in poteſtate
habet, donatio non conſiſtat: [c] donatio
tamen à patre filiofamilias cauſa militię
facta valet, & datum efficitur caſtrenſis
peculij [d]: & ex eadē cauſa donatio inter
virum & vxorem, quæ alióquin non va-
let [e], conſiſtit [f]. Caſtrenſis verò peculij * 14
cenſetur, quidquid filiusfamilias occa-
ſione militiæ acquiſiuit [g]. Sed & heredi-
tas vxoris, ex reſcripto D. Hadriani mi-
litiæ affectione marito filiofamilias reli-
cta, caſtrenſis peculij erit [h]. quod tamen
ſecus eſt in dote marito data, vel promiſ-
ſa, quæ cohęrens matrimonij oneribus,
liberis communibus, qui in aui ſunt po-
teſtate, confertur [i]. Fratris quoque pa-
truelis, vel alterius commilitonis here-
ditas commilitoni delata, iure caſtrenſis
peculij habetur [k]. Quod ita verum eſt, ſi
in eadem prouincia militauerint, vel af-
fectione militiæ relinquatur: aliàs ſe-
cus [l]. Porrò quod ad teſtaméta * militum 15
attinet; tam larga illis teſtandi facultas
permittitur, vt ómnes omnino ſolenni-
tates in teſtamētis requiſitæ illis remiſ-
ſæ ſint. Nam D. Traianus permiſit mili-
tibus, vt, quoquo modo vellēt, facerent
teſtaméta, ſufficereq́; nudā voluntatem
vo-

a *l. lis nulla. ff. de iud.*

b *l. vlt. §. pen. C. ad S. C. Maced.*

c *l. 2. l. donat. §. pater. ff. de donat.*

d *l. ſi mulier. l. miles praecipua. l. caſtrenſa. ff. de caſtr. pecul.*

e *toto tit. de donat. inter virū & vx.*

f *l. ſi militi. l. ſi fortè. ff. de caſt. pecul.*

g *l. caſtrenſe. ff. de caſt. pecul.*

h *l. diuus. l. dotem. ff. de caſt. pecul.*

i *d. l. dotem.*

k *l. cùm allegas. C. de caſtrenſ. pecul. lib. 12. l. miles filium. in fin. ff. de caſtrenſ. pecul.*

l *d. l. dótem. in fin. ff. de caſtrenſ. pecul.*

voluit [a]. vnde Papinianus reſpōdit, militis voluntaté eſſe teſtamentū [b]. Quod ita demum verum eſt, ſi, dum in expeditione agunt, teſtentur [c], & duobus ad hoc vocatis teſtibus voluntas militis probetur; quod in fauorem eorum inductum eſt [d]. in ipſo tamen prælio teſtamentum militis factum valet, etiam nullo vocato; & ſufficit ſi in clypeo, vel in puluere, heredem ſcribat [e]. ſed citra expeditionis ne-
14 ceſsitatem tenetur miles iure communi teſtari [f]: quod & regia Hiſpaniarum lege deciſum eſt [g]. In expeditione verò teſtamentum iure militari factum valebit vſque ad annum poſt miſsionem [h]. in quo tam laxa illi teſtādi, prout vult, permiſſa eſt facultas, vt pro parte teſtatus, pro parte inteſtatus poſsit decedere [i], & ad certū tempus poſsit heredē inſtituere, & poſtea hereditatem adimere, & alij directo dare; & ſi neminem vocauerit, legitimi heredes hereditatem capient [k]. neque iuri accreſcendi locus erit in teſtamento militis [l]. Poteſt quoque miles filium ſilentio præterire in teſtamento, cuius præteritio pro tacita exheredatione erit,
15 modò prudens id fecerit: vnde & agnatione filij teſtamentum militis nō rumpitur, ſi de mēte eius conſtet. [m] Et quamuis in codicillis directo relinqui heredi-

a in l. 1 ff. de teſt. mil. §. 1. inſt. de milit. teſt.
b l. eius militis. ff. de teſt. milit.
c d. §. 1 & l. penult. C. eodem tit.
d §. ceterùm. inſtit. de milit. teſt. l. diuus. l. Lucius, ff. de teſt. mil.
e l. milites. ff. de teſt. milit.
f §. illis autem. inſt. de milit. teſt.
g reg. l. 4. tit. 1. par. 6.
h §. poſt miſſionem inſtit. de milit. teſt. l. teſt. eorum. ff. eodem tit.
i l. ſi miles vnū. ff. de teſt. milit. l. 1. & 2. C. eod. titulo.
k l. in fraudem. §. miles. l. miles ita. ff. de milit. teſt.
l l. ſi duobus. l. ex militari. §. filium. ff. de mil. teſt.
m l. ſicut eum. i. ſequen. C. de milit. teſt. l. qui iure milit. l. militis. §. miles. D. eod.

tas non poſsit [a]; militi tamen id permiſſum eſt [b]. Miles quoque incertus de ſtatu ſuo rectè teſtari poteſt [c]. & teſtamentum à pagano iure militari factum valet; ſi miles decedat [d]. Licet quoque nuda voluntate, vel cœpto tantũ & non perfecto teſtamento, non rumpatur teſtamentum pagani [e]; militis tamen teſtamẽtum nuda voluntate facilè rũpitur [f]: licet etiam duob⁹ teſtamẽtis validis miles decedere poſsit [g]. Pręterea, vltra dodrantẽ miles legare poteſt, & eius legata non minuũtur per Falcidiam [h]. Mutus quoque & ſurdus miles teſtamentum rectè facit [i]. & filiusfamilias miles de caſtrenſibus iure teſtabitur [k]. quod etiam ad inermem militiá extenditur [l]. & teſtamenta militum non ſubiacent querelę inofficioſi [m]. neque ſolùm ſibi teſtamentum facere filiusfamilias miles poterit, ſed etiam filio pupillares tabulas de caſtrenſibus [n]. hoc tamen priuilegium teſtandi filiofamilias militi conceſſum, ad impuberes extendi non debet, qui ſortè fauore in militiá recepti ſunt, quod fieri quandoque ſolet [o]. huic enim impuberi teſtari non licebit, neque com-

a l. 2. §. hereditas. D. de iure codicil. l. hereditatem. C. de codicil. §. codicillis autem. inſtit. de codicil.
b l. militu codicillis. in prin. l. quærebatur. D. de milit. teſt.
c l. ex militari. §. miles. D. de teſt. mil.
d l. in fraudem. §. teſtamentum. D. d. tit.
e §. ex eo. inſtit. quib. mod. teſt. infir. l. 2. D. de iniuſt. rup. irrit. teſt. l. heres. §. ſi quid poſt. D. de teſtament.
f l. in fraudem. §. ſicut cũ. §. ſeq. D. de milit. teſt.
g l. 1. & 2. D. de iniuſt. rup. & irrit. teſt. l. quærebatur. in prin. D. de mil. teſt.
h l. ſi certarum. §. vlt. cum l. ſeq. D. de teſt. milit. l. in teſtamento militis. C. eodem. l. 1. D. ad l. Falcidiam.
i l. iure militari. D. de teſtam. mili. §. quinimo. inſtit. de mi it. teſt.
k l. ex militari. §. de teſtam. milit.
l l. vlt. D. de inoff. teſtam.
m l. teſtamentum. l. vlt. C. de inoff. teſt.
n l. cùm filiusfamilias miles. l in fraudem. §. miles. D. de teſt. milit.
o l. ſed & milites. D. de excuſ. tut.

communi, neque militari iure, propter lubricum illius ætatis conſilium. qua de cauſa Iuſtinianus ius antiquum, quoad licebat, correxit[a]. Præterea, licet paganus extraneo vel filio puberi heredi inſtituto ita ſubſtituere directo non poſsit, ſi heres exſtiterit, & intra aliquod tẽpus deceſſerit, alius ei ſit heres; ſed tantum per fidei commiſſum teſtator heredẽ obligare poſsit, hereditatem vel totam vel partem reſtituere[b]: id tamen militi conceſſum eſt[c]. Porrò ex militari delicto ca-
16 pite* damnatis teſtamentum condere licet, de bonis ſcilicet caſtrenſibus, & ita ſi ſacramenti fides rupta non ſit[d], & permittentẽ in ſententia eo qui damnauit[e]. quod ſecus eſt in pagano[f]. Et quidem ex militari delicto damnati, ſi inteſtati decedant, ſuccedent proximi ab inteſtato
17 excluſo fiſco[g]. bona verò militis*, qui ſucceſſorem non habet, deferuntur legioni non admiſſo fiſco[h]. Miles denique
18 qui inconſultò adijt hereditatem*, non tenetur vltra vires hereditarias[i]. Ceterũ fauor militum non ſemper in extendẽda teſtandi facultate, ſed aliquando etiam in reſtringenda conſiſtit. Itaque quamuis concubinæ vel meretrici teſtamento quid relinquere vel donare permiſſum ſit[k]; miles tamen mulieri, in quam turpis
19 cadit ſuſpicio*, nihil donare vel teſtamẽto

a *l. vlt. C. de teſtam. milit.*
b *l. vlt. in ſ. de pupil. ſubſtit.*
c *l. centurio, ff. de vulg. & pupil. l. in teſtamento. C. de milit. teſt. l. 5. §. miles ita heredem. §. exheredato. D. eodem.*
d *l. ex militari, D. de teſt. milit. l. ſi quis filio. §. ſed etſi quis fuerit. D. de iniuſt. rup. irrit. fac. teſt.*
e *l. ſi quis. §. miles. D. de leg. 3. l. cùm hic. §. ſi miles. D. de don. inter vir. & vx.*
f *l. eius qui. §. 1. & vlt. D. de teſtam.*
g *l. 1. & 2. D. de vet. milit. ſuc.*
h *l. ſi quis filio. §. eius qui. D. de iniuſt. rup. irrit. l. 2. C. de hered. dec.*
i *l. vlt. in fi. C. de iure delib.*
k *l. affectionis. l. donationes. D. de donat.*

to relinquere poteſt [a]. Militis quoq; diſpoſitio, quæ vel turpis, vel bonis moribus contraria eſt, nihilo magis quàm alicuius pagani valebit [b]. Superioribus adde ſingulare & præclarũ militare priuilegiũ, quòd ſcilicet mortuus in bello* 20
pro repub. per rerum geſtarum gloriam in æternum viuere intelligitur: modò in acie & in conflictu moriatur; non etiam in obſidione, vel aliàs ex cauſa belli. itaq; filiusfamilias miles, qui in acie pro repub. pugnans cecidit, prodeſt patri ad ius trium liberorum*, quod eum à tutela ex- 21
cuſat [c], & aliorum munerum excuſationem præbet [d]. Itaque cùm lege Iulia de maritandis ordinibus cautum eſſet, vt priori ex conſulibus faſces ſumendi poteſtas eſſet, qui plures liberos quàm collega in poteſtate haberet, eorum quoq; ratio habita fuit, qui bello amiſsi eſſent [e]: idq; ad multa alia adaptari poſſe videtur. atque ita ſi fortè ſtatuto cautum ſit, vt certè multis locis eſt, vt filius ſecundò genitus patri ſuperſtes, in ſucceſsione eiuſdem patris præferatur nepoti ex filio primogenito mortuo ante patrẽ: ſi filius ille primogenitus in acie pro repub. cecidit, putarem hoc caſu nepotem præferendum; quia ſcilicet pater eius cenſetur in æternum viuere, cui ſucceſsio aui iure primogenituræ debetur: & ita in prorſus ſimili facti ſpecie iudicatum fuiſſe accepi.

a *l. miles. §. mulier. D. de milit. teſtam. l. mulierẽ. D. de his quib. vt indig. l. 1. C. de donat. inter vir. & vx.*

b *l. ſi à milite. §. edictũ prætoris. D. de milit. teſt.*

c *l. bello amiſsi. D. de excuſat. tut. §. filij autẽ. inſtit. de excuſ. tut.*

d *l. vlt. D. de vac. & excuſ. mun.*

e *Gell. l. 2. c. 15.*

cepi. non obſtat quòd priuilegia militum * ad alienam iniuriam porrigi non debeant [a]. & beneficia in damnũ alterius neque porrigi, neque conferri ſolent [b]. nam nulla iniuria hic infertur filio ſecũdò genito, cui nihil adimitur, ſed tantùm non acquiritur. non enim, vt Vlpianus reſpondit, videtur rem amittere, quibus propria nõ fuit [c]: & ex regula Pauli, non poteſt videri deſiiſſe habere, qui nũquam habuit [d]. Quò ſpectat quod Vlpianus ait, non fraudari creditores, cùm quid nõ acquiritur à debitore, ſed cùm aliquid de bonis ſuis diminuitur [e]. Sed & quod Papinianus reſpondit, militum priuilegia ad alienam iniuriam nõ porrigi, non ita huc facit: nam loquitur in caſu, ad quem militis priuilegium non extenditur, & quo euidens fieret iniuria alteri [f]. Itaque in propoſita facti ſpecie nepotem patruo in ſucceſsione aui, non obſtante ſtatuto, præferendum exiſtimo: cùm & iure communi nepos in parentis ſui locum, etiam extra bellum mortui, ſuccedat [g]. vnde etiam ſtatutum iure cõmuni contrariũ quàm ſtrictiſsime intelligi debet [h]. His adde, lege regia Hiſpaniæ ſtatutum eſſe, vt præmia*, quæ fortè quis meruit ob egregiam operam in bello præſtitam, eo mortuo debeãtur filijs, & proximis agnatis [i]. quod & à Romanis obſeruatum fuit, & lege Solonis apud A-

22 (margin, at "tum *")
23 (margin, at "tum eſſe, vt præmia*")

a l. impuberi. D. de adm. & per tut.
b l. ſed cùm. D. ad S. C. Treb. l. nec auus. C. de emanc. l. reſcripta. C. de prec. imp. offi. l. imperatore. D. de ſer. ruſt. pre.
c l. nõ videntur. D. de reg. iur.
d l. nõ poteſt. D. de reg. iur.
e in l. non fraudantur. D. de reg. iur. l. qui autem. in princ. D. quæ in fraud. credito.
f d. l. impuberi. D. de adm. & per tut.
g §. cùm filius. inſtit. de hered. quæ ab inteſt. def.
h Panor. in c. ex parte. ex. de decim. tex. in c. 1. in fin. de filijs preſbyt. lib. 6.
i reg. l. 5. tit. 27. par. 5.

thenienſes cautum fuit: vt illorum filij, qui occubuiſſet in bello, publicè alerentur, & bonis diſciplinis imbuerentur. Conſtãtinus verò filios in paternam vocari militiam voluit [a]. Sciendum porrò, militaria hæc priuilegia* non aliter con- 24
cedi militibus, quàm ſi fortiter & ſtrenuè militẽt [b], & ad veteranos non extendi [c]: quamuis & veterani ſua habeãt priuilegia [d]. In claſsibus verò remiges & nautę ſunt milites, & militari priuilegio fruuntur [e]. Pręterea, nõ ſolùm militibus, ſed etiam alijs* qui caſtra ſequuntur, mi- 25
litaria quædam priuilegia conceduntur: & in primis omnibus omnino qui ſunt eius gradus, vt iure militari teſtari non poſsint, ſi in hoſtico deprehendantur, quomodo velint, & quomodo poſsint, teſtabũtur [f]. Item mulieribus*, quæ cum 26
maritis abſunt in bello reipubl. cauſa, in actionibus temporalibus, ſi excluſæ fuerint, ad exemplum militum ſubueniri ſolere Alexander reſcripſit [g]. & Diocletianus & Maximinianus mulieri, quę in expeditione fuit cum marito, non officere longi tẽporis præſcriptionem reſcripſerunt [h]. Quò ſpectat quod Vlpianus reſpondit, bello amiſſos ad tutelæ excuſationem prodeſſe, cuiuſcunque ſexus vel ætatis ſint, modò in acie perierint. etenim mulieres in acie verſari ſolitas, & egregiam nonnunquam in bello operam præſti-

a l. 1. & 2. C. de filiis, off. milit. l. 12.
b l. vlt. C. de reſtit. milit. l. cùm de indebito. §. ſin autem. D. de probat.
c l. idem eſt, & ſi teſtamẽto. cum l. ſeq. in prin. ff. de milit. teſt. l. vlt. §. quia militibus. C. de inoff. teſt. l. ad veterani. D. ad l. Falc. l. filius. §. veterani. cum §. ſeq. D. de proc.
d tit. D. de priuil. veter. l. 1. & 2. D. de veteran. ſucc. l. 1. 2. 3. 4. C. de veteran. l. 32. §. illis inſt. de mil. teſt. l. ſed & milites. D. de excut.
e l. vnica. §. in claſsib. D. de bon. poſſ. ex teſt. milit.
f l. vlt. D. de milit. teſt.
g l. 1. C. de vxor. milit.
h l. 2. C. de vxor. milit.

præſtitiſſe, in veterum hiſtorijs ſatis obuium eſt. Itaque bello Sabino mulieres Sabinæ, quæ Romę erant, quarum ex iniuria bellum ortum erat, crinibus paſsis, ſciſſaque veſte, victo malis muliebri pauore, vt inquit Liuius [a], auſæ ſe inter tela volitantia inferre, ex tranſuerſo impetu facto, dirimere infeſtas acies, dirimere iras. Eſtque memorabile, quod de Cimbricis mulieribus memoriæ proditũ eſt, cum quibus non minor quàm cum maritis eorum Mario pugna fuit: & ſpecioſior mors earum fuit, quàm pugna. nam cùm miſſa ad Marium legatione libertatem non impetraſſent, ſuffocatis eliſiſque paſsim infantibus, mutuis vulneribus conciderunt, aut vinculo è crinibus ſuis facto, ab arboribus iugisq; plauſtrorum pependerunt [b]. Apud Germanos verò feminæ nõ ſemel inclinatam aciem reſtituiſſe feruntur [c]. Ceterùm licet à plerisque dubitatum ſit, vtrùm milites

27 noſtri temporis * gaudeant hiſce priuilegijs militaribus; tamen verius eſt, militibus, qui in numeros ſunt relati, & fortiter & ſtrenuè militant, hæc priuilegia concedi, ſaltem ea quæ vſus nõ coarguit. neque refert, quòd quædam ſolẽnitates, quibus olim milites ſacramento, militiæ aſſcribebantur, exoleuerint. Nam ſimiliter videmus ſolennitatem actionum antiquam noſtra tempeſtate nullam eſſe [d]:

a *lib. 1.*

b *L. Flor. de geſt. Rom. l. 3. cap. 3.*

c *Crinit. de honeſt. diſc. lib. 12. c. 8.*

d *l. 2. §. deinde ex his legib. D. de origine iur. l. 1. & 2. C. de form. & impet. ſub.*

cùm tamen eiuſdem nihilominus ſint efficaciæ [a]. Cauſa quoque & ratio concedendi militibus tã ampla priuilegia fuit, vt pro tutela & defenſione Romani imperij omnibus ſoluti curis expeditiſsimi operam armis darent [b]; quæ & noſtris militibus conuenit: ergo idem ius quoque manere debet [c]: & hæc ſententia à viris doctiſsimis probatur [d].

DE IVDICIIS MILITARIBVS.

1 *Miles non niſi ante ſuum iudicem conueniri poteſt.*

2 *Fallit in milite deſertore.*

3 *Item in eo qui pactus eſt ſe non vſurum fori præſcriptione.*

4 *Item in eo qui poſtquam in ius vocatus eſt, miles eſſe cœpit.*

5 *Item in eo qui falſum teſtimonium dixit.*

6 *Item in milite negociatore.*

7 *Conſules Romani non niſi in caſtris in caput ciuis Rom. incõſulto populo animaduertere poterant.*

8 *Tribuni non habuerunt vitæ neciſque poteſtatem in milites.*

CAPVT OCTAVVM.

Milites* non niſi ante ſuum iudicem 1
conueniri poſſunt, nec, ſi in culpa ſint, coërceri [e]: vnde capti à præſide ad proprium iudicem remitti debent [f]: niſi forte

a l. actio. D. de neg. geſt. facit l. ordo. D. de publ. iudic. l. decreto. C. ex quibus cauſ. inf. irr.

b l. aduocati. C. de aduoc. diuerſ. iud. l. militẽ. in fin. C. de proc. l. 1. D. de mil. teſt. l. milites. C. locati.

c l. illud quæſitum. in prin. D. ad l. Aquil.

d Iacob. de Rauen. Cyn. Bald. Bart. Salicet. & alij in l. 1. C. de iur. & fac. ign. Alb. in l. militem. C. de proc. Rom. ciuil. 43. & conſil. 506. Alexander in l. centurio. num. 23. D. de vul. & pup. Decius in rubr. C. de milit. teſt. quos refert Franciſ. Zoannet. de Roman. imp. num. 80.

e l. magiſter. C. de iuriſ. omn. iud. l. 1. C. de exh. reo.

f d. l. 1.

2 fortè in deſertione agens * miles com-
miſerit delictum valde enorme, de quo
præſes prouinciæ cognoſcere poterit, &
punire militem in loco delicti [a]. alioqui
verò neque dux exercitus vel magiſter
militum in prouinciales, neque præſes
prouinciæ in milites, vllā iuriſdictionem
habent. ſi tamen miles in inſtrumento
3 profeſſus fuerit*, ſe non vſurum fori prę-
ſcriptione propter cingulum militię, pa-
ctum ſeruādum erit [b]. Sed & ſi quis, poſt-
4 eaquam * in ius vocatus eſt, miles eſſe
cœpit, in ea cauſa eſt, vt ius reuocandi
forum non habeat, quaſi præuentus [c].
nam vbi lis cœpta eſt, ibi finiri debet [d].
5 Prçterea, miles*, qui falſum teſtimonium
dixit, ſubijcit ſe iuriſdictioni illius iudi-
cis, etiam ſi paganus ſit [e]. Miles quoque
6 negociator* ſubeſt iudici illius negocia-
tionis [f]. Porrò vnuſquiſque ſuper cauſis
publicis, quas dum militaret exercuit; &
ſuper ratiocinijs militaribus in militari
iudicio reſpondere debet, nec fori præ-
ſcriptione vti poteſt; etiam ſi militię cin-
gulum depoſuerit [g]. & capitalis criminis
reus, volūtarius miles (qui ex D. Traiani
reſcripto capite puniendus, eſt) non eſt
remittendus eò, vbi reus poſtulatus fuit,
ſed vbi accedente cauſa militiæ audiēdus
eſt, puniri debet [h]. Sciendum autem eſt,
quamuis lege Valeria, quam Valerius Pu-
blicola tulit, & L. Porcia cōſulibus pro-

a *l. deſertorē. D. de re milit. l. 1. C. vbi ſenat. vel clar. l. vlt. D. de accuſ. l. militibus. D. de cuſt. reo. l. 1. C. de falſ. monet.*

b *l. ſi quis. C. de pact.*

c *l. ſi quis poſtea. D. de iudic.*

d *l. vbi cœptum. D. de iudic.*

e *l. nullum. C. de teſtibus.*

f *l. vlt. C. de iuriſ. om. iud.*

g *l. 2. C. vbi de ratio. tam pub. quā priu.*

h *l. qui cum vno. §. rem. D. de re milit.*

hibitum eſſet*, ne in caput ciuis Romani injuſſu populi animaduertere poſſent; & ſolùm illis relictũ eſſet, vt coërcere poſſent, & in vincula publica duci iubere [a]: in caſtris tamen ius habebant arbitratu ſuo ſupplicium ſumere [b]. quod & prætoribus, alijsq́ue ducibus exercituum, permiſſum fuit [c]. id tamen Venuleius I. C. ad milites caligatos tantùm reſtrinxiſſe videtur [d]; qui erant abiectiores & viliores [e]. Vnde videtur inferri, quòd in alios incõſulto principe animaduerti non poſſit. & quidem tribuni*, alijq́ue duces inferiores, vitæ necisq́ue poteſtatem non habuerunt in milites, ſed tantùm leuis coërctio illis permiſſa eſt. id quod Marcianus ſatis indicaſſe videtur [f], cùm ait, tribuni officium eſſe, delicta ſecundùm ſuæ auctoritatis modum caſtigare. cui cõuenit quod Tacitus ait [g] de ſeditione illa Pannonica, ſcribens, Municium præfectum caſtrorum, penes quem erat tum ſumma rerum, abſente duce, cœptam ſeditionem ſedaſſe, duorum militum ſupplicio: bono magis exemplo quàm conceſſo iure. Ceterùm quod ad militaria iudicia attinet, ex D. Traiani reſcripto etiam diebus feriatis peragi poſſunt [h].

a *in l. 2. §. in initio. D. de orig. iur. Dion. Hal. lib. 10.*
b *Polyb. lib. 6. de re milit. ac domeſt. Rom.*
c *Liuius l. 2. & 4. Cicero Philip. 3.*
d *l. de militibus. D. de cuſt. & exhib. reo.*
e *auth. quib. mod. nat. eff. legit. §. quiſquis.*
f *in l. officium. in fin. D. de re milit.*
g *annal. l. 1.*
h *l. Diuus. D. de feriis.*

DE

DE POENIS MILITVM.

1 *Duplex cauſa in puniendis peccatis.*
2 *Pœnæ militares.*
3 *Militum delicta aut propria, aut cõmunia.*
4 *Fuſtuarium quid.*
5 *Decimatio.*
6 *Romani militaribus pœnis aſperi.*
7 *Capitalis pœna per vinum aut laſciuiam lapſis remittitur.*
8 *Romani in iudicãdo beneficia cum delictis non compenſabant.*
9 *Contrà Perſæ.*

CAPVT NONVM.

1 DVplicem* in puniẽdis peccatis cauſam eſſe cenſet Plato in Gorgia, vt refert Gellius a: vnam caſtigãdi & corrigendi eum qui peccauit, quo attẽtior fiat, & ad bene viuendũ promptior; quod in minoribus delictis fieri ſolet pecunia, vel leui coërctione, multa dicta: alteram exempli cauſa, vt alij à ſimilibus delictis metu pœnæ deterreantur; quod in grauioribus delictis fieri publicè intereſt.
2 Itaque pœnæ militares* nonnullæ maiores, quæ capitis ſupplicio luebantur; aliæ minores, prout grauiter aut leuiter delictum eſſet, delinquentibus militibus, neceſſariò ad diſciplinam militarem ſtabilien-

a noct. Att. li. 6. cap. 14.

biliendam, à ducibus inferri ſolent. militum
autem delicta* aut propria ſunt, 3
aut communia. Proprium militare delictum
eſt, quod quis vt miles admittit [a];
ſi puta aliter faciat, quàm diſciplina militaris
exigit [b]. Pœnæ verò militares, vt
ait Modeſtinus [c], ſunt huiuſmodi: caſtigatio,
pecuniaria multa, munerum indictio,
militiæ mutatio, gradus deiectio,
ignominioſa miſsio; in metallum autem
non dantur, nec torquentur, nec ad beſtias,
nec in furcam damnantur [d], nec plebeiorum
pœnis ſubijciũtur [e]. At ex graui
delicto ſolent milites capite puniri [f], aut
fuſte percuti. id ſupplicium* huiuſmodi 4
erat, vt refert Polybius [g]: accepto fuſte
tribunus vix tantùm attingebat damnatum:
quod vbi factum erat, omnes qui in
caſtris erant, cædentes fuſtibus lapidibuſque,
pleroſque in ipſis caſtris conficiebant:
at ſi qui euaſiſſent, ne ſic quidem
ſeruari poterant, quibus nec in patriam
redire licebat, neque aliquis ex neceſſarijs
domi eum recipere audebat: vnde
penitus peribant, qui in talem calamitatem
incidiſſent. hoc genus animaduerſionis
fuſtuarium dicebatur, teſte Cicerone [h],
cùm ait: Fuſtuariũ meruerunt legiones,
quæ conſulẽ reliquerunt. Simile
pœnę genus etiamnum hodie in caſtris
in vſu eſt. De hac pœna cenſent I.C. cùm
dicũt, Fuſte percuti, occidi, animaduerti [i].

a *l. 2. D. de re milit.*

b *l. omne delictum. D. de re milit.*

c *in l. 3. pœnæ. D. de re milit.*

d *d. l. 2. §. pœna. & §. is qui. D. de re milit.*

e *l. moru. §. ille. D. de pœn. l. honor. C. de pœn. dixi ſuprà de priuil. militum.*

f *d. l. 3. §. in bello. D. de re milit.*

g *de Roman. caſtr.*

h *Phil. 3.*

i *vt in l. 7. §. 1. D. ad l. Aquil. l. 1. §. occiſorum. D. ad S. C. Sylianum. in l. 8. §. 1. D. de pœn.*

Alioqui vero, cùm dicunt fuſtibus cædi, caſtigari, admoneri[a]; non de capitali, ſed de leuiori pœna agunt. nam multo leuiorem eſſe fuſtium quàm flagellorum pœnam, iudicat Marcellus[b], Caliſtratus[c], & Hermogenianus[d]; vt annotauit Hieronymus Verrutius[e]. Porro ſi multi milites in aliquod flagitium conſpirent, vel ſi legio deficiat, exauctorari ſolét[f]. nonnunquam auctores turbarum ad palum deligare, aut ſecuri percutere, reliquę verò multitudinis decimum quemq; ſorte
5 ductum * ad ſuppliciũ petere, peruulgata pœna fuit. quod ex verbis Ciceronis pro Cluentio intelligi poteſt, vbi inquit: Statuerunt maiores noſtri, vt ſi à multis eſſet flagitiũ rei militaris admiſſum, ſortitione in quoſdam animaduerteretur, vt metus videlicet ad multos, pœna ad paucos perueniret. Inter alias quoque pœnás militares fuerunt hę: ſtipendium anni differre militibus, neq; his æra procedere, qui ære diruti dicebantur, aut in politia aut in frequentia notare, vel citra commoda ſtipẽdiorum exáuctorare, locum in quo tenderent in caſtris adimere, vt humi ac ſub dio accubarét, extra vallum ſine tentorijs relinquere, vitibus cædere, haſtas dare iubere, quæ cenſio haſtaria dicebatur, quę non pro leui noxa, ſed pro graui delicto animaduerſionis loco à ducibus inferri ſolita eſt. Haſtas

a vt in l. 1. §. cùm patronus. D. de offic. præf. vrb. l. vlt. D. de iniurijs. l. 7. D. de pœn. l. 3. §. 1. & l. vlt. D. de offic. præf. vig. l. 10. & l. 28 §. 1. D. de pœn. l. 3. §. in bello. D. de re milit. l. 1. C. de his qui not. inf.

b in l. in seruorum. D. de pœn.

c in l. capitalium. §. non omnes. D. de pœnis.

d in l. vlt. D. de iniur.

e de verb. ſignif. lib. 6.

f l. 3. in fin. D. de re milit.

ſtas autem dare iubebantur milites, quibus propter probra ignominiæ & luxurię haſta adimebatur. etenim ſicut glorię cauſa fortes viri donabantur haſta pura, hi qui primũ victores in prælio fuiſſent: ita ignauis & cõtumacibus adimebatur. hoc notabat, tanquam ſpes merendi illis adempta foret. in politia & in frequẽtia notabantur hi, qui rudibus aut parum nitidis armis, vel ſtrigoſiore equo, & macie confecto, vtebantur, quique prædicto ad pugnã die occaſionibus quæſitis contumaciùs parêrent [a]. Fuit quoque antiquitus militaris animaduerſio, iubere ignominiæ cauſa venam militi ſolui, & ſanguinẽ mitti. quod A. Gell [b]. primùm in militibus ſtupentis animi, atque à naturali habitu declinantis, (vt non tam pœna quàm medicina videretur) factum fuiſſe credit: poſtea verò etiam ob pleraque alia delicta factitatum eſſe perconſuetudinem; quaſi minùs ſani viderentur omnes qui delinquerent. Ceterũ quamuis alioqui Romanis mitiores pœnę placuerint, apud quos antiquitus cautum fuit, ne quis multam indicendo, bouem priuſquam ouem nominaret; grauiorum enim multarum æſtimatio bos erat vnus, vel plures, minorum verò ouis: in militaribus tamen pœnis ſeueriores ſemper fuere*, quòd aſpero & abſciſſo caſtiga- 6
tionis genere diſciplina militaris indigeat.

a *Alex. ab Alex. lib. 2. genial. dier. c. 13.*
b *noct. Attic. lib. 10. cap. 8.*

geat. Vnde quamuis conſulibus prohibitum eſſet, ne poſſent animaduertere in caput ciuis Romani, in caſtris tamen poterant pro arbitratu ſuo ſupplicium ſumere, vt alibi diximus [a]. Hinc quoque perrarò bis delictum imperatores venia dignum putauere. Nam, vt M. Cato in libro de re militari ſcripſit, alijs in rebus errata poſtmodum corrigi poſſunt, in bello autem delicta emendationem non accipiunt; quippe cùm pœna ipſa è veſtigio errorem ſequatur. præſtò enim eſt ignauię aut imperitiæ vltor, qui nunquã delinquenti hoſti indulget. & Lyſimachus, ſummus dux, dicere ſolet, non eſſe in bello bis errare, vbi ſi quid offenditur perperam temeritate, vel inſcitia, emendari non poteſt. nam parua in bello offenſa, magnarum ſæpe rerum momenta facit. Nihilominus tamẽ quędam delicta pagano aut nullam aut grauiorem pœnam irrogant, militi verò grauiorem aut leuiorem; vt Marcellus reſpondit [b], & quidẽ conſtat, nonnulla militaria delicta capite puniri, quæ non niſi culpâ contrahuntur [c]. Capitalis tamen pœna per vi-
7 num aut laſciuiam lapſis*remittitur, & militiæ mutationem irrogat [d]. voluntas enim, & iudicium, quod nullum in ebrio eſt, diſtinguit maleficia [e]. Itaq; Pyrrhus adoleſcẽtes, qui inter bibendũ regẽ conuicijs & maledictis onerauerant, ingenuè id

a ſuprà de iud. milit.

b in l. quædã delicta. D. de pœnis.

c vt in l. omne delictum. §. 1. cum duobus. ſeqq. l. qui cõmeatus. §. 1. D. de re milit.

d d. l. omne delictum. §. per vinum.

e l. 1. D. ad l. Corn. de ſicar.

id fatentes, & culpam omnem in temulentiam conijcientes, cùm dicerent ſe longè plura dicturos fuiſſe, ſi plus vini habuiſſent, imò ipſum regem interfecturos, niſi lagena defeciſſet, innoxios dimiſit [a]. Carolus tamen V. imperator edicto cauit, ne cui ebrietas in delictis excuſationem præberet, propter nimiã in hiſce regionibus inebriandi frequentiam. & Pittacus legem tulit, qua ei, qui per ebrietatem deliquerat, duplam eius, quæ ſobrio infligeretur, pœnam conſtituit [b]. Eſt porrò valde memorabile, quòd Romani, qui alioqui maximam meritorum cuiuſque & virtutis rationem habuerũt, in iudicando tamen* non ſolent, etiam ſi 8 maxima rei in remp. exſtitiſſent merita, vero crimini indulgere, aut beneficia cũ delictis compenſare: cuius rei fidem facit in primis P. Horatius, qui trigemina ſpolia Cuiatiorum victor præ ſe gerens, quique imperium populo Romano ſolus ſua virtute pepererat, perduellionis reus, quòd ſororem ob mortem ſponſi Cuiatij flentem transfixerat, in maximo diſcrimine fuit: pluſque ad ſalutẽ ipſius profecerũt preces & miſeratio patris, quàm recens rei beneficium [c]. Item M. Manlius Capitolinus regni affectati reus, quãuis defenſo Capitolio Romam ſeruaſſet, & prope cccc. produxiſſet, quibus ſine fœnore expenſas pecunias tuliſſet, quorum bona

a Val. Max. lib. 5. cap. 1.

b Plut. in con. ſept. ſap.

c Liuius lib. 1.

bona venire, quos duci addictos prohibuiſſet, ad hæc hoſtium cæſorum ſpolia, dona imperatorum plurima conſpicienda protuliſſet, & ea quæ bello geſſiſſet, oratione magnifica facta dictis æquando memoraſſet; nihilominus tamen crimen valuit, inquit Liuius [a]: & populi iudicio damnatus Manlius, de ſaxo Tarpeio deiectus eſt. Contrà Perſæ * nunquam quemquam condemnabant, niſi reus conuinceretur plus mali quàm boni feciſſe reipubl. [b]

a lib. 6.

9

b Diod. Sicul. lib. 1.

DE CONTVMACIBVS, ET DVcum dicto non parentibus, eósq; non protegentibus.

1 *Qui edicto non paret, capite punitur.*
2 *Miles qui tribuno vel centurioni caſtigare volenti reſiſtit.*
3 *Tribuno non licet modum in caſtigando excedere.*
4 *Qui præpoſitum defendere noluerunt, vel deſeruerunt.*
5 *Qui rem à duce prohibitam facit.*
6 *Diſciplina caſtrorum Romanis antiquior, quàm charitas liberorum.*

CAPVT DECIMVM.

AD ſtabiliendam diſciplinam militarem in primis ſpectat, vt exercitui & militibus præpoſiti, habeant

milites dicto audientes. Itaque qui edicto minùs paret *, capite puniri iubetur [a]. Auguſtus verò decimam legionem contumaciùs parentem, cum ignominia totam dimiſit. Porrò vt ordine ac ſine tumultu omnia in agmine ad nutum imperiumque ducis fierent, optimè prouidit L. Æmilius Paulus, in Macedoniam miſſus. nam cùm omnibus ſimul pronunciaretur, ſi quid agendum eſſet, neque omnes exaudirent, & incerto imperio accepto, alij plus eo quod imperatum eſſet, alij minus facerent, clamores quoque diſſoni orirentur omnibus locis, & priùs hoſtes quàm ipſi, quid pararetur, ſcirent: placuit trib. militum primo pilo legionis ſecretum edere imperium: illum, & deinde ſingulos, proximo cuique in ordine centurioni dicere quid facto opus eſſet; ſiue à primis ſignis ad nouiſsimum agmen, ſiue ab extremis ad primos perferēdum imperium eſſet [b]. At verò tribuno & centurioni permiſſam fuiſſe caſtigationem in milites, alibi diximus [c]. Itaque miles *, qui tribuno vel centurioni caſtigare volenti reſtitiſſet, probro notabatur: qui verò probro notabatur, eum nemini igne, nemini alloquio impertire licebat. qui verò vitem tenuiſſet, militiam mutabat: ſi ex induſtria fregiſſet, capite plectebatur [d]. Tribunis autem vites

a l. 3. §. in bel. D. de re milit.

b Liuius l. 34.

c ſuprà de offic. tribun.

d l. miles. §. irreuerens. D. de re milit.

vites prælatas fuiſſe, non virgas, alibi
oſtendimus. Cauendum tamen tribu-
3 no*, ne modum in caſtigando excedat[a].
& ſi iniuſtè militem inuadat, & non ca-
ſtigandi animo ob crimen aliquod me-
tas officij ſui excedat, puto militi defen-
ſionem eſſe licitam[b]: alioqui verò non
erit reſiſtendum[c]. nam omnis contu-
macia aduerſus ducem vel præſidem, ca-
pitalis eſt[d]. Neque ſolùm capitalis pœ-
na ſtatuta eſt in eos, qui manus intule-
runt præpoſito[e]; ſed etiam in eos, qui
4 eum defendere noluerunt*, vel deſe-
ruerunt, occidiq́ue paſsi ſunt[f]. idemq́ue
regia Hiſpaniarum lege conſtitutum eſt
in eos, qui regem ſuum deſeruerunt[g].
Senatus autem Romanorum quàm gra-
uiſsimè tulit, quòd Q. Petilium cõſulem,
fortiſsimè aduerſus Ligures pugnãtem,
occidi milites paſsi eſſent, & legioni ne-
que ſtipendium anni procedere, neque
æra dari voluit: quia pro ſalute impera-
toris hoſtium telis ſe non obtuliſſent[h].
Celtiberi verò nefas eſſe duxerũt prælio
ſupereſſe, cùm is occidiſſet, pro cuius ſa-
lute ſpiritum deuouiſſent[i]. Cuius con-
ditionis homines fuiſſe apud Gallos,
quos illi Soldurios appellabant, refert
Cæſar[k]. Porrò vſq; adeò ſeuerè imperio
ducis pareri, eiuſque edicta obſeruari
præcipitur, vt capitis pœnam ſubeat, qui
5 rem à duce prohibitá fecerit*, aut man-

a *l. officium in fin. D. de re milit. l item quæritur. §. item Iulianus. D. locati.*
b *argumento l. prohibitum. C. de iur. fiſc. lib. 10.*
c *c. qui reſiſtit. 2. q. 3.*
d *l. omne. §. contumacia. D. de re milit.*
e *l. omne. §. 1. D. de re milit.*
f *l. 2. in fin. & d. l. omne. in fi. D. de re milit.*
g *reg. l. 3. tit. 19. part. 2.*
h *Valer. Max. lib. 2. cap. 7.*
i *Valer. Max. lib. 2. cap. 6.*
k *de bel. Gal. lib. 3.*

data eius non ſeruauerit, etiam ſi res bene ceſſerit [a]. Cuius diſciplinæ ſeueriſſimi cuſtodes fuêre Poſtumius, Tubertus, & Manlius Torquatus: quorum alter filium, quia non ſuo iuſſu, ſed ſponte, præſidio progreſſus hoſtes fuderat, victorem ſecuri feriri iuſsit: alter verò, cui Imperioſo poſteà cognomen fuit, filium, quòd prouocatus à Geminio Metio, duce Tuſculanorum, ad dimicandum contra edictum patris deſcenderat, glorioſam victoriam & ſpecioſa ſpolia referentem, in conſpectu exercitus virgis cæſum ſecuri percuſsit. & Manlius filius exercitu pro ſe aduerſus patrem ſeditionem parante, negauit tanti eſſe quemquam, vt propter illum diſciplina corrumperetur, & obtinuit vt ipſum puniri pateretur [b]. Vnde Paulus ait, diſciplinam caſtrorum antiquiorem Romanis * fuiſſe, quàm charitatem libero- 6 rum [c]. Nec minori ſeueritate Papyrius dictator Q. Fabium magiſtrum equitum, quòd contra eius imperium exercitum eduxiſſet: quanquam fuſis Samnitibus in caſtra redierat, neque virtute eius, neque ſucceſſu, neque nobilitate motus, nudatum virgiſque cæſum ſecuri percuſſurus, à populo Romano tribuniſque plebis, qui pro eo intercedebant, conſtanter popoſcit [d]. Perinde autem in eum militaris animaduerſio fuit, qui

a *l.3.§.in bel. D. de re milit.*

b *Liuius l.4. & 8. Valer. Max. l.2.c.7. Gell.l.9. c.13.*

c *in l. poſtliminium. §. filius quoque. D. de capt. & poſtl. reuerſ.*

d *Liuius l.8. Valer. Max. lib.2. cap. 7.*

extra

extra ordinem etiam in prouocantem, contra imperium pugnaſſet, aut claſsico reuocatus, tardiùs paruiſſet, quàm ſi ciuem aut ſocium iniuria affeciſſet. Itaque Cyrus laudaſſe dicitur militem, qui cùm hoſtem interfecturus gladium eduxiſſet, claſsico receptui audito ictus cohibuit, hoſtemque dimiſit.

DE EMANSORIBVS.

1 *Sine commeatu miles à ſignis abeſſe non poteſt.*
2 *Qui agmen exceſsit, fuſtibus caeditur.*
3 *Emanſor quis, & quomodo punitur.*
4 *Qui vallum tranſcendit.*
5 *Qui ad commeatus diem non redit.*

CAPVT XI.

1 IVre militari apud Romanos cautum fuit, ne miles ſine commeatu * ab ſignis abeat, néue prælio decedat, néue locum relinquat, aut è caſtris fugiat, néue decedat longiùs, ſed exploratò, & ſub ſignis atque ſubſidijs poſitis, non modò in acie procedat, ſed & lignatum aut populatum vadat, omnia denique, veluti ſi coram hoſte cauta præuiſaque eſſent. qui verò longiùs à tubæ auditu, niſi imperatoris aut tribuni iuſſu, extra munimenta abijſſet, in eum militaris

 anim-

animaduerſio erat: ne ſcilicet vagi milites ſolutiore cura obambulantes, in hoſtili loco temere progreſsi cædibus eſſent & periculis obnoxij; tum etiam vt à rapina continerentur: vnde qui agmen exceſsiſſet*, ex cauſa vel fuſtibus 2
cædebatur, vel mutare militiam ſolet[a]. Lyſander Lacedæmonius egreſſum via quendam caſtigabat, cui dicenti ad nullius rei rapinam ſe ab agmine exceſſiſſe, reſpondit: Ne ſpeciem quidem rapturi præbeas volo. Alexander Seuerus, ſi quis de via in alicuius poſſeſsionem deflexiſſet, eum fuſtibus cædi iubebat, &, dum caſtigaretur, per præconem proclamari & edici: Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris. quod à Chriſtianis aliquando audiuerat. Pompeius verò miſſus in Siciliam legatus, cùm audiret milites in itinere faciundo ſæpe euagari, vimq; hominibus facere, & prædas auertere, eos qui temere oberrabant, ſupplicijs compeſcuit; à ſe autẽ miſſorum gladijs ſigilla impoſuit[b]. Porrò qui diu vagatus ſine cõmeatu ad caſtra regreditur, emanſor*dicitur: cuius crimẽ leuius eſt, 3
quàm deſerteris[c]; vt erronis leuius eſt in ſeruo, quàm fugitiui[d]. Examinantur autem cauſæ emãſionis, & cur, & vbi fuerit, & quid egerit, & datur venia valetudini, affectioni parentum & affinium, & ſi ſeruum fugientem perſecutus eſt, vel ſi qua

a l. 3. §. ſed qui. D. de re milit.

b Plut. in apophth.

c l. 3. §. emanſionis. D. de re milit.

d l. fugitiuus. D. de verbor. ſignific.

qua huiuſmodi cauſa ſit: ſed & ignoranti adhuc diſciplinam tyroni ignoſcitur [a]. Hoſtibus tamen imminentibus, qui in exploratione emanet, aut à foſſato recedit, capite punitur [b]. ſimiliter &
4 is qui vallum tranſcendit *, aut per murum caſtra ingreditur [c]. muri enim ſacroſancti ſemper habiti fuêre [d]. Is quoque qui commeatu * accepto ad diem
5 commeatus non rediſt, perinde in eum ſtatuendum Modeſtinus reſpondit, ac ſi emanſiſſet, vel deſeruiſſet pro numero temporis: facta priùs copia dicendi, num fortè caſibus quibuſdam detentus eſſet, propter quos venia dignus videatur [e]. Vſque adeò verò odioſum fuit à ſignis abeſſe, vt miles qui in commeatu agit, non videatur reipubl. cauſa abeſſe, vt Vlpianus reſpōdit [f]: ſi puta vagetur, aut domi ſuæ ocietur, vt Iabolenus ſenſit [g]. nam vt Vlpianus ait [h]: Ij tantùm reipub. cauſa abeſſe intelliguntur, qui non ſui commodi cauſa, ſed coacti abſunt. at commeatum quàm parciſsimè dari debere militibus, alio loco diximus. [i]

a l. qui cùm. in fin. D. de re milit.
b l. 3. §. is qui. D. de re milit.
c l. 3. §. in bel. D. de re milit.
d §. ſanctè. inſt. de rer. diuiſ.
e l. 3. §. ſi ad diem. l. qui commeatus. D. de re milit.
f in l. 1. D. de re milit.
g in l. miles. D. ex quibus cauſ. maior.
h in l. reipubl. D. ex quibus cauſ. maior.
i ſuprà de offic. tribuni.

DE DESERTORIBVS.

1 *Deſertor quis, & quomodo pœnitur.*
2 *Qui deſertorem occultant.*
3 *Deſertor reſtitutus non accipit ſtipendia temporis quo in deſertione fuit.*
4 *Qui filium militiæ ſubtraxit.*

CAPVT XII.

DEſertor * in iure dicitur, qui per 1 longum tempus vagatus reducitur [a]. Semel autem militiæ aſſcriptus, niſi debitè miſſus, eam deſerere non poterat: quod grauiſsimum crimen habitum fuit. non tamen omnes deſertores ſimiliter puniendi ſunt: nam habetur ordinis & ſtipendiorum ratio, & anteactæ vitæ. refert etiam num ſolus, vel cum pluribus, ſemel, aut iterum quis deſeruerit, aliúdue crimen deſertioni adiunxerit. item temporis ratio habetur. nam qui in pace deſeruit, eques gradu pellendus eſt, & pedes militiam mutat. in bello idem admiſſum, capitale eſt [b]. Grauiùs quoque in eo ſtatutum fuit, qui poſt deſertionem in aliam militiam ſe dedit, legíve paſſus ſit [c]. Imperatores verò permiſerunt cuilibet deſertorem opprimere [d]. quod Leo imperator ita reſtrinxit, ſi inuentus reſtiterit [e]. Defunctorum autem in deſertione bona publicantur [f]. Neque ſolùm ipſi deſertores puniendi ſunt, ſed etiam ij qui eos occultant *: item iudex, 2 qui gratia vel diſsimulatione pœnam deſertori irrogare neglexit [g]. qui verò deſertorem prodit, præmio afficitur [h]. deſertori tamen qui ſe obtulit, indulgeri ſolet.

a l. deſertorē. §. deſertor. D. de re milit.
b l. non omnes D. de re milit.
c l. qui cum vno. §. qui poſt. D. de re milit.
d in l. vlt. C. quand. lic. vn. ſine iud.
e l. 2. C. de deſert. lib. 12.
f l. defunctorum. C. de re milit. lib. 12.
g l. 1. C. de deſert. lib. 12.
h d. l. 1.

ſolet [a]. niſi fortè quis poſt quinquennium ſe obtulerit, qui deportari iubetur [b].
3 Et quamuis deſertor * ex indulgentia fuerit reſtitutus, non tamen ſtipendia eius temporis, quo in deſertione fuerit, exigere poterit [c]. Non minùs grauiter quàm in deſertorem, ſtatutum eſt in eum, qui filium ſuum militiæ ſub-
4 traxiſſet *. nam ſi id belli tempore feciſſet, exilio & parte bonorum multabatur; ſi in pace, fuſtibus cædi iubebatur, & requiſitus iuuenis in deteriorem militiam dabatur: & qui filium debilitauit delectu indicto, vt inhabilis militiæ eſſet, deportari ex reſcripto D. Traiani ſolet [d]. Cæſar autem cùm conueniret, in ceteris ſeditioſorũ & deſertorum acerrimus inquiſitor & punitor dicitur fuiſſe maximus. & Aufidium Caſsium, memoriæ proditum eſt, nouo exemplo multis deſertoribus manus detruncaſſe & pedes, aſſerens maiori diſciplinæ fore miſerabiliter criminoſum viuere, quàm occidere.

a l. nõ omnes. §. qui in deſertione. l. qui cũ vno. §. edictũ. D. de re mil.
b l. milites agrum in fin. D. de re milit.
c l. cum allegatis. C. de re milit. lib. 12. l. penult. D. de re milit.
d l. qui cum vno. §. filium. D. de re mil.

DE TRANSFVGIS ET PRODITORIBVS.

1 *In transfugas acerrimè animaduerſum.*
2 *Qui cùm poteſt redire, non redit, pro transfuga habetur.*

3 *Exploratores quomodo puniendi.*
4 *Arcana conſilia non ſunt euulganda.*
5 *Speculatores hoſtium.*
6 *An ſit nobili viro dignum, ſpeculatorem eſſe.*
7 *Minimè tutum perfugis credere.*

CAPVT XIII.

IN transfugas *, velut maiore crimine obnoxios, & patriæ ac ciuium proditores, acerrimè ſemper animaduerſum fuit, & venia indigni fuêre. nam, vt Paulus ait [a], Transfuga, qui malo conſilio & proditoris animo patriam reliquit, hoſtium numero habendus eſt, & capite punitur [b]: & vbicunque inuentus, quaſi hoſtis interfici poteſt [c]: ac legis Iuliæ maieſtatis reus eſt [d]. torqueri quoque, & ad beſtias, vel in furcam condemnari poteſt, quamuis milites nihil eorum patiantur [e]. Is etiam, qui volens transfugere deprehenſus eſt, capite punitur [f]. Itaque Fuluium ſenatoris filium ad Catilinam proficiſcentem retractum ex itinere iuſsit parens necari [g]. P. autem Scipio Africanus, alioquin mitiſsimi ingenij, in perfugas & fugitiuos acerbus fuit: ſiquidem deuicta Carthagine ad firmandam diſciplinam militarem, ex Romanis, qui rupto imperio ad hoſtes transfugerant, in cru-

a in l. poſtliminium. §. transfuga. D. de capt. & poſtl. reuerſ.
b l. proditores. D. de re milit.
c l. 3. §. vlt. D. ad l. Corn. de ſicar.
d l. 2. D. ad l. Iul. maieſt.
e l. 3. §. is qui D. de re milit.
f l. deſertorem. §. is qui ad hoſtes. D. de re milit.
g Salluſt. in coniurat. Catil.

crucem efferri, nominis verò Latini ſe-
curi percuti iuſsit [a]: & poſterior Afri-
canus transfugas beſtijs obiecit [b]. Pau-
lus Æmilius Elephantinis, M. Marcel-
lus Leontinis captis, ad duo millia tranſ-
fugarum ſecuri percuſsit [c]. Metium ve-
rò Suffetium, proditionis reum, quadri-
gis in diuerſum actis diſcerptum fuiſſe
legimus [d]. Et ccclxx. perfugæ, qui ad
Annibalem transfugerant, recepti à Q.
Fabio Romam miſsi, virgis in comitio
cæſi omnes, ac de ſaxo deiecti ſunt [e].
Idem tamen Fabius Maximus mitiùs
agens, illorum qui contra religionem iu-
riſiurandi transfugerant, dextras ampu-
tari mandauit: vt trunca præ ſe brachia
geſtantes, defectionis metum reliquis
inijcerent, & ceteris, ne idem commit-
tere auderent, documento eſſent [f]. Apud
Athenienſes verò proditionis reum ſepe-
lire nefas fuit: eumque cum tota poſteri-
tate inter infames referebant [g]: & cada-
uera eorum extra fines patriæ deportari
iuſſerunt [h]. ei tamen qui transfugit, &
poſtea multos hoſtes apprehendit, &
transfugas demonſtrauerit, poſſe parci,
D. Hadrianus reſcripſit [i]. Habetur etiam
2 pro transfuga is, qui cùm poſſet * redire,
non redijt [k]. Et quidem ab hoſtibus re-
miſsi milites, non aliter reſtituendi ſunt,
quàm ſi conſtiterit eos captos fuiſſe, non
3 transfugiſſe [l]. Porrò exploratores *, qui
ſecre-

a *Liuius l. 30. Valer. Max. lib. 2. cap. 7.*
b *Valer. Max. lib. 2. cap. 7.*
c *Liuius l. 24.*
d *Liuius l. 2.*
e *Liuius l. 24.*
f *Valer. Max. lib. 2. cap. 7.*
g *Plutar. in vita decem Rhet.*
h *Plut. de ſera num. vin.*
i *l. non omnes. in fin. D. de re milit.*
k *l. nō omnes. §. qui captus. D. de re milit.*
l *l. non omnes. §. à barbaris, cum §. ſeq. D. de re milit.*

ſecreta hoſtibus nunciant, proditorum loco habentur, & capitis pœnas luunt [a]: & viui exuri aut furca ſuſpendi ſolent [b]. Apud Carthaginienſes verò quodam potentiſsimo ea tempeſtate Pœnorum proditionis damnato, quòd odio Hannonis ducis belli Græcis literis Dionyſio tyranno aduentum exercitus, & ſegnitiem ducis prænunciaſſet, S.C. factum eſt, ne quis poſtea Carthaginienſis aut Græcis literis, aut Græco ſermoni ſtuderet: ne aut loqui cum hoſte, aut ſcribere ſine interprete poſſet [c]. Neque ſolùm pœna digni fuerunt, qui hoſtibus ſecreta nunciarent, ſed etiam ij, qui apud ſuos ea euulgarent *. Itaque 4 apud Ægyptios lege militari cautum fuit, vt qui ducis conſilium palàm feciſſet, lingua multaretur [d]. Perſæ verò veteri eorum diſciplina arcana regum vitæ periculo cuſtodiri ſanxerunt [e]. Et memoriæ proditum eſt, multis ſeculis P. conſcriptorum arcana conſilia à nemine ſenatorum fuiſſe euulgata. Itaque Q. Fabius Max., quòd de bello Punico indicendo, de quo ſecretò in curia actum erat, P. Craſſo narrauit, quamuis per imprudentiam, memor eum triennio antè quæſtorem factum, ignarusque nondum à cenſoribus in ordinem ſenatorum allectum, vehementer à conſulibus obiurgatus fuit. Nunquam enim, vt ait

a *l. omne. §. exploratores. D. de re milit. reg. Hiſp. l. 2. tit. 28. part. 2. & reg. l. 24. tit. 21. part. 2.*
b *l. ſi quis aliquid ex metallo. §. tranſfugæ. l. aut damnum. §. hoſtes. D. de pœnis.*
c *Iuſtin. l. 20.*
d *Diod. Sicul. libro 2.*
e *Q. Curtius libro 4.*

ait Valer. Max.[a] taciturnitatem, optimum ac tutiſsimum rerum adminiſtrandarum vinculum, labefactari volebant. Sicque cùm Aſiæ rex Eumenes, amantiſsimus Romanorum, bellum à Perſe aduerſus populum Roman. comparari ſenatui nunciaſſet, non antè ſciri potuit quid aut ille locutus eſſet, aut patres reſpondiſſent, quàm Perſen captum cognitum eſſet[b]. Prudenter verò Cæcilius Metellus tribuno militum percunctanti quid eſſet facturus: Si eius, inquit, rei ſcirem mihi tunicam conſciam, exutam in ignem conijcerem. indicans ducum conſilia non eſſe euulganda. Porrò proditoribus annumerari poſſunt, qui ad hoſtes tela armáue deferunt: quod capitale eſt, bonis eorum publicatis[c]. Et Paulus reſpondit, ferrum hoſtibus venundare ſine capitis periculo non licere[d]. qui verò operam dabant, vt barbari Romanos deprædarentur, & prædam cum hoſtibus diuidebant, viui exuri ſolent[e]. Ceterùm hoſtium ſpeculatores * apud nos fortè deprehenſos, non
5 tanto odio dignos eſſe, quanto ij qui ad hoſtes transfugiunt, & ſecreta hoſtibus nunciant, ratio ipſa ſatis indicat, quippe qui nulla perfidia notantur. Vnde ſpeculator quidam Carthaginienſis, qui per biennium fefellerat, Romæ deprehenſus, præciſis tantùm manibus dimiſ-

ſus

a lib.2.cap.2.

b Valer. Max. lib.2. cap.2.

c l.1. C. quæ res expor. non deb. l.4. D. ad l. Iul. maieſt.

d l. cotem. D. de public.

e l. is qui. C. de re milit. l.12.

a *Liuius l.22.* ſus eſt [a]. Solet hîc quæri, an ſit nobili viro dignum *, ſpeculatorem eſſe, & ex- 6
plorare hoſtium conſilia & facta. Et certè ex profeſſo hanc artem exercere mercedis gratia, non puto viro nobili honori eſſe, neque citra ignominiæ notam licere; vt colligere licet ex ijs quæ de nobilibus latè tradit Tiraquellus. Si quis verò amore reipubl. & prò ſalute communi & publica hoc faciat, nôn ſolùm non indignum viro nobili, ſed etiam maximè glorioſum iudico. nam & Dominus præcepit Moyſi proficiſcenti cum Iſraëlitis in terram promiſsionis, vt præmitteret ſingulos de ſingulis tribubus ex præcipuis in terram Chanaan, qui conſiderarent, qualis quantaque eſſet, & vtrùm fortis populus, an infirmus, pauci numero, an plures, ipſa terra bona, an mala, vrbes munitæ, nec ne, cete-
b *Num. 13.* raque omnia explorarent [b]. Et Ioſue duos exploratores miſit in vrbem Ieri-
c *Ioſue cap.2.* cho, antequam eam oppugnaret [c]. Itaque Sex. Tarquinius, ſimulata patris ſæuitia & odio, Gabios profugit: quo aſtu dux ab illis electus, vno aut altero prælio proſpere re geſta, cùm vniuerſa res Gabina illi credita eſſet, ſublatis de medio primoribus ciuitatis, ſine certamine oppidum patri, qui illud oppugnabat, in
d *Liuius lib.2.* manus tradidit [d]. Et Zopyrus, homo nobilis, Darij Perſarum regis amicus, cùm

cùm videret regem longa obſidione Babylonis defeſſum, & difficilem admodum expugnationem fore, truncatis ſibi ipſi naſo & auribus, lacero corpore ad Babylonios tráſfugit, ſimulans ſe à Dario tam fœdè cæſum. qua re credita, benignè ab hoſtibus exceptus, turmis equitum præfectus, vno aut altero prælio re bene geſta, tandem dux totius exercitus conſtitutus, vrbem atque exercitum Dario tradidit [a]. Araſpa quoque nobiliſſimus Medus, ex Cyri comitibus, iuſſu eius ad Aſſyrium regem transfugit; & exploratis hoſtium copijs & conſilijs ad Cyrum reuerſus, in publica concione ab eo laudatus eſt [b]. Quibus etiam exemplis docemur, quàm minimè tutum ſit perfugis credere *, quibus certè, etiam ſi ſine dolo & fraude ad nos profugiant, & ſuos prodant, non multum fidei habendum erit. quomodo enim ſperari poteſt in alienos fidũ fore, qui in ſuos perfidus exſtitit? Itaq; Antigonus dicere ſolet, ſe proditores amare dũ proderẽt; vbi verò prodidiſſent, eos omni odio perſequi. quò ſpectat Auguſti dictum: Proditionem amo, proditorem non laudo [c]. Et facetè Philippus Macedo, quãquam decepto hoſte ſemper gauderet, conquerenti cuidam, quòd milites eum proditorem vocarent, eo quòd patriam Philippo prodidiſſet, Noli mirari, inquit; hebe-

a *Iuſtin. lib.* 1.

b *Xenoph. in pæd. Cyri, l.* 6.

7

c *Plut. in apophth.*

octoginta habebat, confringendum exhibuit. Etenim haud pauciores exercitus diſcordia & ſeditione proprijs viribus conſumptos, quàm ab hoſtibus proſtratos fuiſſe ſatis conſtat. Vnde in
2 ſeditioſos *, & ſeditionum auctores, acriter ſemper ſæuitum eſt, tanquam in criminis læſæ maieſtatis reos [a]. itaque capite puniri Modeſtinus reſpõdit eum, qui atrocem militum ſeditionem concitauit: ſin verò intra vociferationem & leuem querelam ſeditio mota eſſet, gradu militiæ deijci [b]. & Paulus ſeditioſos, pro qualitate dignitatis, in furcam tolli, aut beſtijs ſubijci, aut in inſulam deportari voluit [c]. Ex cõſtitutionibus quoque regni Hiſpaniæ, pro qualitate delicti & perſonæ, puniri iubetur. & ſi quidem eo animo ſeditionem mouerint, vt impediretur occaſio rei bene gerendæ, erutis oculis in carcerem conijciuntur, donec occaſio rei gerendę tranſierit: & quidem ſi ſint ex dignioribus, captiui conſtituuntur, & poſteà in exilium mittuntur [d]. Cæſar autem cùm in ceteris criminibus conniueret, in ſeditioſos acerrimus vindex fuit; & ex cauſa ſeditionis, in tumultu ciuilium armorum, ac tum maximè tumentibus animis, legionem totam exauctorauit, auctoribus ſeditionis ſecuri percuſſis: ſed mox eos, quos exauctorauerat, ignominiam deprecantes reſtituit,

a *l. 1. D. ad l. Iul. maieſt.*

b *l. 3. in fine. D. de re milit.*

c *in l. ſi quis aliquid ex metallo. §. auctores. D. de pœn. l. 1. & 2. C. de ſedition.*

d *reg. libro 4. & 5. tit. 28. par. 2.*

& optimos milites habuit. Cn. Pompeius minitantibus direpturos pecuniam militibus, quæ in triumpho ferebatur, Seruilio & Glaucia hortantibus vt diuideret eam, ne ſeditio fieret, affirmauit non triumphaturum ſe, ſed potiùs moriturum, quàm licentiæ militum ſuccumberet; caſtigatiſque oratione graui militibus, laureatos faſces obiecit, vt ab illorum inciperent direptione; eaque inuidia redegit eos ad modeſtiam. Monendi tamen ſunt duces belli, ne temere experiantur imperium *, cuius vis 3
omnis in conſenſu obedientium eſt, ſi fortè periculum ſit, non fore dicto audientes milites; vt prudenter legati App. Claudium monuerunt, ſæuire volentem in milites, qui odio eius in aciem
a *Liu. lib. 2.* producti, turpi fuga petierant caſtra [a]. Porrò Gemitius conſul millia hominum quattuor exauctorauit, & in foro percuſsit, quòd licentia corrupti Rhegium, in cuius præſidio erant, occupauerant, & eorum corpora ſepulturæ
b *Val. Max. lib. 2. cap. 7. Liu. lib. 28.* mandari, mortemque lugere vetuit [b]. Atqui in compeſcendis cohibendiſque militum ſeditionibus magna requiritur ducis prudētia, qui in primis ſcire debet, luxum & licentiam * ex ocio, vt fit, collectā, maximè fouere iſtiuſmodi militum conſilia; vti Liuius in ſua hiſtoria ſatis 4
c *libro 7.* oſtendit [c], cùm ait: Iam tùm minimè ſalu- « 5
bris

» bris militari diſciplinæ Capua, inſtru-
» mento omnium voluptatum delinitos
» militum animos auertit à memoria pa-
» triæ, inibanturque conſilia in Hibernis,
» eodem ſcelere adimendæ Campanis Ca-
» puæ, per quod illi eam antiquis cultori-
» bus ademiſſent. Ceterùm in hac coniu-
rationc Capuana compeſcenda, laudan-
5 da prudentia C. Martij Rutilij conſ.*,
qui & ætate & vſu doctus, optimum
ratus differendo ſpem, quandocunque
vellent, conſilium exequendi militarem
impetum fruſtrari, rumorem diſsipat
in ijſdem oppidis & anno pòſt præſi-
dia hibernatura. diuiſa enim erant per
Campaniæ vrbes. eoque laxamento co-
gitationibus dato, quieuit in præſen-
tia ſeditio: & conſul, educto in æſtiua
milite, dum quietos Samnites habebat,
exercitum purgare miſsionibus turbu-
lentorum hominum, mira dexteritate
inſtituit, alios alijs ex cauſis [a]. Neque e- a *Liuius l. 7.*
nim ſemper conuenit imperium experiri.
ſæpe enim, vt Tacitus ait, quod in pacis
ocio vindex diſciplina perſequitur, inter
gladios & turbas cauta toleratur patien-
tia. &, vt Fabius Max. dicebat, aliter in
6 medio ardore * belli, aliter in pace tran-
quilla arbitrãdum & agendum eſſe, vt a-
libi oſtendimus [b]. Hinc quoque graui b *ſuprà, Temporis rationē habendam,*
aliqua ſeditione exorta, eãdem quacun-
7 que ratione leniendam *, & tum demum *libro 2.*

in auctores animaduertendum cenſeo, ne alioqui magis irritetur & accendatur quàm ſedetur aut extinguatur militaris furor: exemplo Scipionis, qui, in caſtris ad Sucronem in Hiſpania ſeditione orta, inter ſuos milites ſeptem tribunos ad eos miſit, qui placido ſermone permulcentes lenirent militum animos, & edicto propoſito, vt ad ſtipendium petendum conuenirent, Carthaginem pertraxit: vbi circumfuſo omni exercitu, graui oratione caſtigatis militibus metu torpentibus, auctores ſeditionis in medium protractos, nudos deligatos ad palum, virgis cæſos ſecuri percuſsit: cumque certatum fuiſſet ſententijs, vtrùm in auctores tantùm ſeditionis animaduerteretur, an plurium ſupplicio vindicanda tam fœdi exempli defectio magis quàm ſeditio eſſet; vicit ſententia lenior, vt, vnde orta culpa eſſet, ibi pœna conſiſteret [a]. his adde quod Tacitus ait [b], ſaluberrimum eſſe ad continendam militarem fidem, vbi ſeditio timetur *, vt longis ſpatijs diſtineatur exercitus, ne viribus & vitijs milites miſceantur. ſed & cùm ocium militarem ſeditionem maximè foueat, illud bello, Alexandri exemplo, interpellare conuenit. Prudenter verò Cæſar bello ciuili, vt ſibi exercitũ deuinciret, à tribunis militum centurionibusq; mutuas pecunias ſumpſit,

a Liu. lib. 28.
b annal. lib. 1.

g

pſit, quas exercitui diſtribuit. quo facto duas res conſecutus eſt, quia pignore animos centurionum deuinxit, & largitione redemit militum voluntates[a]. Eſt autem memorabile, quod de Annibale tradunt hiſtoriæ: quippe qui cùm in hoſtiũ terra per annos tredecim, tam procul à domo, varia fortuna bellũ gereret, exercitu non ſuo ciuili, ſed miſto ex colluuione omnium gentium, quibus non lex, non mos, non lingua communis, alius habitus, alia veſtis, alia arma, alij ritus, alia ſacra, alij propè dij eſſent, ita quodam vno vinculo copulauerit eos, vt nulla nec inter ipſos, nec aduerſus ducem, ſeditio exiſteret, cùm & pecunia ſæpe, & ſtipendium, & commeatus in hoſtium agro deeſſet[b]. Idem de Viriato legimus, qui per octo perpetuos annos, quibus bellũ cum Romanis geſsit, exercitum ex omni hominum genere conflatum, ſine ſeditione obſequentiſsimum habuit[c]. quod certè non ſine admiranda quadam virtute ducis fieri potuit. Scipio verò, alioqui ſummus imperator, nimia lenitate ſua militibus anſam ad ſeditionẽ præbuit. quo nomine Q. Fabius Max. eum ad corrumpendam diſciplinam militarem natum arguebat, & plus prope in Hiſpania culpâ Scipionis per ſeditionem militum, quàm bello, amiſſum eſſe. Adeò natura inſitum quibuſdam eſt, vt magis

a *Cæſar de bel. ciuil. lib. 1.*

b *Liu. lib. 27.*

c *Appian. de bello. Hiſp.*

peccari nolint, quàm ſatis animi ad vindicanda peccata habeant.

DE IIS QVI IN ACIE LOCO cedunt, aut victi ſe dedunt.

1 *Imperator magis quàm hoſtis timendus.*
2 *Qui in acie prior fugit, capite punitur.*
3 *Seueritas ad rem bene gerendam prodeſt.*
4 *Qui ſe hoſtibus dedunt, caret poſtliminio.*
5 *Qui metu hoſtium languorem ſimulat.*

CAPVT XV.

CLearchus Lacedæmoniorum dux exercitui dicere eſt ſolitus, imperatorem potiùs *quàm hoſtem metui debere, ſignificās eos, qui in prælio dubiam mortem timuiſſent, certum, ſi deſeruiſſent, manere ſupplicium: vt ſcilicet inſitum eſſet militibus, aut vincendum aut moriendum eſſe. Quę certè neceſsitas in virtutem verti ſolet: de quo alio loco diximus [a]. Vnde iure militari cautum eſt, vt qui in acie prior fugam fecerit*, capite puniatur [b]. Idem in nobili fugiente, regia Hiſpaniæ lege ſtatutum eſt [c]: at iure canonico fit infamis [d], lege verò diuina timidi iubebantur reuerti in domū ſuam, ne alijs timorem incuterēt [e]. App. Claudius ex his, qui bello Volſco loco ceſſerant, decimum quemque ſorte ductum ad ſuppliciū legit [f]. idem fecit Antonius bello

(right margin: 1 beside "torem potiùs *quàm hoſtem metui de-"; 2 beside "vt qui in acie prior fugam fecerit*, capite")

a *ſuprà neceſſitatem pugnandi, lib. 2.*
b *l. omne. §. qui prior. D. de re milit.*
c *reg. lib. vlt. tit. 21. par. 2.*
d *c. infamis. 6. quaeſt. 1.*
e *Deut. c. 20. & Iudith c. 7.*
f *Liuius l. 3.*

bello Parthico [a]. P. Cornelio Naſica, Decimo Iunio conſſ., qui exercitum deſeruerant, damnati virgis cæſi, publicè vænierũt. Atilius Regulus cùm ex Samnio in lucernam tranſgrederetur, exercituſque eius obuijs hoſtibus aduerſus eſſet, oppoſita cohorte iuſsit fugientes pro deſectoribus cædi. Camillus dictator Veiẽti bello dictus omnium primùm, in eos, qui à Veijs proximo prælio pauore fugerant, more militari animaduertit, effecitque ne hoſtis maximè timendus militi eſſet [b]. T. Scaurus filium, quòd in ſaltu Tridentino hoſtibus ceſſerat, in conſpectum ſuum venire vetuit: quare adoleſcens, verecũdia ignominiæ preſſus, mortem ſibi conſciuit. Marcellus verò mitiùs agens, milites à quibus orta fuga eſſet, quique pauore ſigna reliquiſſent, ſequenti pugna inter primas acies frequentes induxit, vt, quod ignominiæ acceperant, alijs prælijs periculo expiarent [c]. Senatus autem Romanus eos, qui commilitones ſuos pugnantes apud Cannas deſeruerant, graui decreto vltra mortuorum conditionem in Siciliam relegauit; & acceptis à Marcello litteris, vt eorum operâ ad expugnationem Syracuſarum vti liceret, reſcripſit indignos eſſe, qui in caſtra reciperentur, nec rempubl. ijs committẽdam eſſe: ceterùm ſe ei permittere, vt faceret quod reipub. expedire iudica-

a *Appian. de bello Parth.*

b *Liu. lib. 5.*

c *Val. Max. lib. 2. cap. 7.*

ret: dum ne quis ex eis munere vacaret, aut dono militiæ donaretur, aut in Italiam, donec hoſtes in ea eſſent, accederet [a]. idem decretum fuit in eos, qui ex exercitu Cn. Fuluij prætoris in Apulia fœdè cæſi, fugatique, ſupererant: additumque ignominiç, ne in oppidis hibernarent, neue hiberna propiùs vllam vrbem decé millibus paſſuum ædificarent: & Cn. Fuluius, capitis accuſatus, in exilium abijt [b]. Scipio tamen cùm in Africam tranſiret, non eſt aſpernatus milites qui ex Cannenſi clade ſupererant, vt qui neque ad Cannas ignauiâ eorum cladem acceptam ſciret, ſed culpâ ducis; neque vllos æquè veteres milites in exercitu Romano eſſe, expertoſque non varijs prælijs modò, ſed in vrbibus etiam oppugnandis [c]. Porrò quantum huius diſciplinæ ſeueritas ad rem bene gerendam profecerit*, multis exemplis docemur. itaque Licinius Craſſus contra Spartacum gladiatorem (qui cum magna manu fugitiuorum & ſuæ conditionis hominum Romanis bellum inferebat) aliquot victorijs ferocem profectus, legionibus decimatis, quòd malè pugnaſſent, effecit, vt magis ipſe, quàm hoſtis, timeretur; & denuo in aciem ſuis productis, quamuis hac decimatione multum imminuto exercitu, magna ſtrage hoſtium facta, egregiè Spartacum

vicit [a].

a *Liu. l. 25. Val. Max. l. 2. cap. 7.*

b *Liuius l. 26.*

c *Liuius l. 29.*

vicit[a]. Similiter L. Apronius, ſuis acie fugatis, à Tacfarinate magis decore ſuorum quàm gloria hoſtis anxius, raro ea tẽpeſtate, inquit Tacitus[b], & è vetere memoria, facinore, decimum quemque ignominioſæ cohortis ſorte ductos fuſte necat: tantumque ſeueritate profectum, vt vexillum veteranorum non ampliùs quingenti numero, eaſdem Tacfarinatis copias fuderint. Ceterùm non ſolùm loco cedere, & fugere, apud Romanos turpe fuit, & animaduerſione dignum, ſed etiam per deditionem in poteſtatem hoſtium venire. itaque eos, qui armis victi ſe hoſtibus dedunt, poſtliminio carere Vlpianus reſpondit[c]. Et quidem T. Veſpaſianus tam ſeueræ diſciplinæ fuiſſe traditur, vt militem ab hoſtibus captum, qui ſolutis vinculis ad caſtra refugerat, vltra militare non ſiuerit, nec illi arma crediderit, quòd viuus ſe ab hoſtibus capi permiſiſſet. & ſenatus vel maximè attritis reip. viribus, cùm magnum ſeruorum numerum à Pyrrho rege vltro miſſum recepiſſent, decreuit ex ſententia App. Claudij, vt ij, qui equo meruerant, peditum numero militarent; qui pedites fuerant, in funditorum auxilia transſcriberentur, néue quis eorum intra caſtra tenderet, néue locũ extra caſtra aſsignatum vallo aut foſſa cingeret, néue tentorium ex pellibus haberet: & ita demum

a *Appian. de bell. ciuil. l. 1. in fine.*

b *annal. l. 3.*

c *in l. poſtliminium. D. de captiu. & poſtl. reuerſ.*

eos in priſtinum militię ordinem reſtitui placuit, ſi bina ſpolia ex hoſtibus retuliſſent [a]. Pari ſeueritate ſenatus, cùm ei Annibal octo millia Romanorum, qui in caſtris relicti poſt Cannenſem cladem, ſe Annibali dediderant, redimendorum poteſtatem faceret, conditionem ſpreuit, & in eorum locum octo millia ſeruorũ publicè empta armauit: qui miles magis placuit, cùm tamen precio minore redimendi captiuos copia fieret; memor tantam multitudinem armatorũ iuuenum, ſi honeſtè mori voluiſſent, turpiter capi non potuiſſe: vt inſitum eſſet Romanis, aut vincere, aut emori. qua quidẽ audita re fractum animum Annibalis ferunt: quòd ſenatus populusque Rom. rebus afflictis tam excelſo animo eſſet [b]. Denique ij quoque, qui metu hoſtium languorem* ſimulant, capite puniri iubentur [c]. Eſt verò notatu dignum, quod Salluſtius de veteribus illis Romanis refert, quòd in bello ſæpius vindicatum fuerit in eos, qui contra imperium in hoſtem pugnauerant, quia tardiùs reuocati pręlio exceſſerant, quàm qui ſigna relinquere, aut pulſi loco cedere auſi erant. 5

a *Val. Max. lib. 2. cap. 7.*

b *Liu. lib. 22. Val. Max. l. 2. c. 7. Cicer. offic. lib. 3.*

c *l. omne. §. ſolet. D. de re milit.*

DE

DE IIS QVI ARMA ALIENANT vel amittunt.

1 *Arma in bello amittere vel alienare, graue crimen.*

2 *Arma poſtliminio non redeunt.*

3 *Qui ſcutum vel gladium in acie amittit.*

CAPVT XVI.

1 ARma veteres membra militum eſſe voluerunt: itaque graue crimẽ habitum fuit in bello arma amittere, vel alienare*, & capite punitum [a]. & crimen iſtud deſertioni æquiparatur, ſi quidem tot: quis alienaſſet, vel etiam ſi partem tan..n: niſi quòd intereſt. nam ſi tibiale vel humerale amiſit, vel alienauit, verberibus caſtigari ſole ; ſi verò loricam, gladium, ſcutum, deſertori ſimilis eſt : niſi quòd tyroni faciliùs parcitur [b]. Hinc eſt 2 quòd arma non redire poſtliminio* reſpondit Marcellus, quòd turpiter amittantur [c]. quare mirum quòd conſtitutio regni Hiſpaniæ arma in bello amiſſa ex præda forte facta reſarciri iubeat [d]. Eadem tamen conſtitutio nobilibus ex hac cauſa infamiæ notam inurit, & nobilitatis prærogatiuam adimit [e]. Et certè arma in bello amittere, ignominioſiſsimum ſemper fuit. itaque M. Cato Cenſorij filius, in acie cadente equo prolapſus, cùm ſe re-

a l.3. §. miles. D. de re milit.

b l. qui commeatus. §. arma. D de re milit.

c l. 2. in fin. D. de capt. & poſtl. reuerſ.

d reg. l. 4. & 5. tit. 25. p. 2.

e reg. l. vlt. tit. 21. par. 2.

ſe recolligeret, animaduerteretque gladium excidiſſe vagina, veritus ignominiam, in confertiſsimos hoſtes ſe immittens, aliquot vulneribus acceptis, recuperato gladio rediјt ad ſuos. quo ſpectaculo attoniti hoſtes, poſtero die ad eos ſupplices pacem petentes venerunt [a]. L. autem Calpurnius Piſo conſ. C. Titium præfectum equitum, quòd fugitiuorum multitudine circumuentus, arma hoſti cum ſuis tradidiſſet, toga lacinijs abſciſſis amictum, diſcincta tunica & nudis pedibus ad principia per omne tempus militiæ adeſſe iuſsit [b]. App. Claudius, à Volſcis exercitu eius fugato, inuectus in proditorem exercitum militaris diſciplinæ, deſertorem ſignorũ, vbi ſigna, vbi arma eſſent, ſingulos rogitás, inermes milites, ſigno amiſſo ſigniferos, virgis cæſos, ſecuri percuſsit [c]. Lacedæmonij verò Archilochum poëtam vrbe exegêre, quòd carmen ſcripſerat, in quo ſuadere viſus fuit, ſatius eſſe arma amittere, quàm vitam. At Spartanę mulieres exituros in militiam filios monebant, vt aut viui cum armis in conſpectum ſuum redirent, aut mortui cum armis referrentur. Ceterùm apud Gręcos militari lege cautum erat, vt miles, qui ſcutum in acie amiſiſſet*, capite lueret; qui verò gladium, leuiori pœna plecteretur: quia maioris diſciplinæ, ſe ab hoſtibus tueri & præſtare

inco-

a *Val. Max. lib. 3. cap. 2. Iuſtin. lib. 33.*

b *Val. Max. lib. 2. cap. 7.*

c *Liuius l. 2. Dion. Hal. lib. 9.*

ſncolumem, quàm cum ſua pernicie hoſtem perdere, ſummi duces exiſtimauere. Quò ſpectat Scipionis Æmiliani dictum, Malle ſe ciuem ſeruare, quàm multos hoſtes perdere. Itaque Epaminondas traiectus haſta, moribundus, primùm an clypeus ſuus ſaluus eſſet, deinde an penitus fuſi hoſtes forēt, interrogauit. quæ poſtquam ex animi ſententia comperit, lætus obijt, inquiens: Nunc veſter Epaminondas naſcitur, quia ſic moritur [a].

[a] *Val. Max. lib. 3. cap. 2.*

DE IIS QVI EXCVBIAS DESERunt, vel minùs rectè agunt.

1 *Excubiæ diligenter agendæ.*
2 *Qui excubias palatij deſeruit, capite punitur.*
3 *Dormientes in ſtatione quomodo puniendi.*
4 *Captiui cuſtodiæ militum commiſſi ſi euaſerint.*

CAPVT XVII.

NOn minima diſciplinę militaris pars eſt, vigilias bene diſponere, & excubias maxima cura agere: quarum negligentiâ plurimos exercitus cęſos, proſtratosque, & multa caſtra capta, ac oppida occupata, legimus. Itaque Thomyris reginæ filius, ſomno vinoque ſepultus, cum toto exercitu à Cyro oppreſſus interijt [b].

[b] *Iuſtin. lib. 1.*

& L.

& L. Marcius, cum reliquijs exercituū, extinctis Scipionibus, in Hiſpania bina caſtra Pœnorū, vbi omnia victoriâ neglecta ſolutáque inuênit, vna nocte cęſis hoſtibus cepit [a]. In vigiles* igitur, quorū diligentia freti reliqui dormiunt, qui minùs officio functi eſſent, meritò animaduerſum fuit. Itaque Paulus eum, qui excubias palatij deſeruit*, capite puniri reſpondit [b]. & Modeſtinus eum, qui ſtationis munus reliquit, pluſquam emanſorē eſſe, atque pro modo delicti aut caſtigari, aut gradu deijci: qui verò ab excubatione præſidis, aut cuiuſuis prępoſiti, deceſſit, peccatum deſertoris ſubire dixit [c]. Cùm Galli in ſummum capitolij euaſiſſent, incuriâ vigilum, qui tandem beneficio anſerum excitati ſunt; P. Sulpitius, tribunus militū, in vigiles eius loci, quos fefellerat aſcendens hoſtis, more militari ſe animaduerſurum pronunciauit: ſed conſentiente clamore militum, in vnum vigilem conijcientium culpam, deterritus, à ceteris abſtinuit, & reum haud dubium eius noxæ, approbantibus cunctis, de ſaxo deiecit [d]. Epaminondas verò cùm cuſtodias ſtationesque circumiret, vt diſciplinā exemplis ſtabiliret, ſopitum militem gladio transfixit*, aſſerens, quòd qualem inuenerat, talem reliquerat [e]. & Auguſtus manipulares milites ſtatione deſerta, & centuriones, morte multauit.

Por-

a *Liu. lib. 25.*

b *in l. qui excubias. D. de re milit.*

c *in l. deſertorem. §. qui ſtationis. cum §. ſeq. D. de re milit.*

d *Liu. lib. 5.*

e *Plut. in apophth.*

1 2 3

Porrò ex conſtitutionibus regni Hiſpaniæ ſolent dormientes in ſtatione, tertiò demű admoniti, præcipitari de ſaxo, vel muris arcis, in quo fortè excubabant[a]. Qua autem ratione caſtrenſes excubiæ conſtituerentur apud Romanos, quod officium circuitorű, qui vigilias circumibant, quæue pœna in eos, qui negligentiores eſſent, tradit Polybius[b]. Ceterùm Paulus Æmilius, vt attentiùs cuſtodiæ contra ſomnum pugnarent, vigiles nouo more ſcutű in vigiliam ferre vetuit: non enim in pugnam vigilem ire, vt armis vtatur, ſed ad vigilandum, vt, cùm ſenſerit hoſtium aduentum, recipiat ſe, excitetq; ad arma alios[c]. Epaminondas Thebanis diem feſtum agentibus, omnibusq; vino & conuiuio deditis, ſolus ſqualidus & cogitabundus ciuitatem obambulauit, & familiari ſuo miranti, quærentiq; cauſam, Vt vobis omnibus liceat potare, & animo eſſe ocioſo, reſpondit[d]. Prudenter quoque Cambyſes Cyri pater, interrogatus quónam pacto vrbes optimè cuſtodirentur, reſpondit: Si cuſtodes nunquam ſibi ſatis càutum àb hoſte eſſe arbitrarentur. Solẽt etiam militum cuſtodiæ cõmitti captiui, qui ſi cuſtodiã eorű euaſerint, pro modo culpæ caſtigantur, aut militiam mutãt[e]. exquirendű tamen eſſe, an nimiâ negligentiâ militum euaſerint, an caſu, D. Hadrianus reſcripſit[f].

a reg. lib. 9. tit. 18. par. 2.

b de Rom. caſtram.

c Liu. lib. 44.

d Plut. in apophth.

e l. milites. l. vlt. D. de cuſtod. reor.

f d. l. miles.

DE

DE EO QVI ARCEM, VEL oppidum, cuius præſidio impoſitus eſt, amittit, vel hoſtibus dedit.

1 *Qui arcem non tenuit, læſæ maieſtatis reus.*
2 *Pro arcis defenſione mors recuſanda non eſt.*
3 *Si præfecto arcis ab hoſte capta nulla culpa imputari poſſit, an puniri debeat.*
4 *Præfectus quando non teneatur arcem defendere.*
5 *Arci malè munita præfectus.*
6 *Vix eſt vt citra ignominiam arx hoſti tradatur.*
7 *Boni ne an mali plus adferat reip. arcis exſtructio.*
8 *Extraneis non facilè acceßus ad arcē concedi debet.*

CAPVT XVIII.

SI ſerui dominis periculo capitis cuſtodiam domus, tàm à domeſticis quàm ab extraneis, prȩſtare coguntur [a]: quanto magis illi, quibus cuſtodia arcis, vel oppidi, & publica ſalus commiſſa eſt! pro qua tuenda nullum periculum, nullos cruciatus, nec mortem denique ipſam quiſquam recuſare debet: quare exactiſſima diligētia præſtari debet in arcis cuſtodia [b]. Itaq; lege Iulia maieſtatis tenetur*, qui arcem non tenuit, aut caſtra hoſtibus 1

a *l. 1. in prin. D. ad S. C. Syllan.*

b *argumento l. 1. §. quia ſciendiis. D. de præfect. vigil.*

ſtibus conceſsit [a]. Itaque L. Rupilius conſul eo bello, quod cum fugitiuis geſſit in Sicilia, Q. Fabium generum ſuum, quia negligentia Tauritanam arcem amiſerat, prouincia iuſsit excedere [b]. C. Cotta P. Aurelium Pecuniolam, ſanguine ſibi iunctum, quem Liparitanæ obſidioni, ipſe ad auſpicia repetenda Meſsanam tranſiturus, præfecerat, virgis cæſum gregalis militiæ munere inter pedites fungi coëgit, quòd eius culpa agger incenſus, & penè caſtra fuerant capta [c]. M. Antonius, cùm agger ab hoſtibus incēſus eſſet, ex his qui in opere fuerant, duarum cohortium legiones decimauit, & in ſingulos decuriones animaduertit, legatum cum ignominia dimiſit, reliquis ex legione hordeum dari iuſsit [d]. T. Turpilius Syllanus, Vaccæ oppidi præfectus, quòd vnus ex omnibus profugiſſet, omnibus ſuis militibus, qui in præſidio erant, per fraudem obtruncatis, iuſſus à Metello cauſam dicere, poſtquam ſe parum expurgat, condemnatus verberatusque pœnas capite ſoluit [e]. Q. Cincinnatus dictator, eo tempore, quo deuicti Æqui, & ſub iugum miſsi, L. Munitium, quem ab obſidione hoſtium liberauerat, conſulatum deponere coëgit, & omnium rerum prædam ſuo tantùm militi dedit. indignum enim maximo imperio credidit,

a *l. 3. D. ad l. Iul. maieſt.*

b *Valer. Max. lib. 2. cap. 7.*

c *Valer. Max. lib. 2. cap. 7.*

d *Appian. in bell. Parth.*

e *Salluſt. in bel. Iugurt.*

dit,quem non ſua virtus, ſed foſſa vallumque tutum præſtiterat; cuique verecundia non fuerat, arma Romana metu trepida clauſis portis contineri [a].

a *Liuius lib.3.*

Porrò Alexander Macedo quendam caſtelli cuſtodiæ præpoſitum ob deſertam ſtationem nece multauit. & Carthaginienſes, cùm Mamertini à Romanis præſidium accepiſſent, Carthaginienſium præſidio expulſo, præfectum præſidij, quòd formidine atque ignauia arcem amiſiſſet, cruci affixerunt [b]. Veriſsimè certè Alexander audiens Aornum, ſaxum in India, natura loci inexpugnabilem eſſe, ſed à formidoloſo homine teneri, Hoc facit, inquit, vt locus iſte iam facilis captu ſit [c]. Et præclarè Lacedæmonius quidam nobilis, Philippo minitanti multis ſe prohibiturum, niſi ciuitas ſibi traderetur, Num, inquit, & pro patria mori prohibebis? Fortiter quoque & prudenter L. Pinarius Ænnæ in Sicilia præfectus pręſidij quod in arce erat. nam Ænnenſium principibus, qui de proditione præſidij pacti erant cum Himilcone, cùm nulla occaſio fraudis pateret, propalam agentibus vrbem arcemque ſuæ poteſtatis eſſe debere, & claues portarum ſibi reddi contendentibus, eo quòd liberi in ſocietatem, non ſerui in cuſtodiam, traditi eſſent Romanis, ita Pinarius reſpondit:

b *Polyb. l. 1. hiſt.*

c *Plut. in apophth.*

Se

Se in præſidio impoſitum eſſe ab imperatore ſuo, clauesque portarum & cuſtodiam arcis ab eo accepiſſe, quam nec ſuo nec Ænnenſium arbitrio haberet, ſed eius qui commiſiſſet. præſidio excedere apud Romanos capitale eſſe, & ne liberorum etiam ſuorum cauſa parentes ſanxiſſe. conſulem Marcellum haud procul eſſe: ad eum mitterent legatos, cuius iuris atque arbitrij eſſet. Ænnenſibus verò negantibus ſe miſſuros, teſtantibus, ſi verbis nihil agerent, vindictam aliquam libertatis ſuæ quęſituros; Pinarius ſaltem populi conſilium ſibi dari poſtulauit, vt ſciret vtrùm paucorum ea denunciata, an vniuerſæ ciuitatis eſſent: & conſenſu eorum concione in poſterum diem indicta, & vnà omnibus claues reddi iubentibus, cunctantique & differēti ferociter minitantibus; tum præfectus, cùm nihil proficeret toga, ſignum, vt conuenerat, militibus dedit, à quibus Ænnenſes impetu facto miſerè trucidati ſunt; & Ænna hoc facinore retenta eſt. Marcellus factum non improbauit; & prædam Ænnenſium militibus cōceſsit: ratus timore deterritos temperaturos à proditione pręſidiorum Siculos [a]. Et hæc certè, quæ hactenus dicta ſunt, cōueniunt ijs, quę conſtitutionibus regni Hiſpaniæ ſtatuta ſunt, quibus cautum eſt, non debere quem

[a] *Liuius l.24.*

mortem recuſare * pro arcis defenſione, pro qua tuenda fortiter ſe quilibet gerere debet, etiam contra patrem, filium, vel quondam dominum: neque tanti quis facere debet mortem vel quodcunque periculũ, quæ ſunt tranſitoria, quàm infamiam, quæ illi poſteriſque ſuis in perpetuum inuritur, ſi honori ſuo non ſatisfecerit [a]. & quidem neceſsitate famis cogente, potiùs filium comedere debet, quàm hoſti arcem dedat iniuſſu domini [b]. neque excuſabitur ſi dedat arcem, ex eo fortè quòd hoſtes minitentur mortem vxori, aut liberis, aut quibuſuis alijs [c]. ſalus enim reipubl. charitati liberorum præferri debet [d]. Itaque Alphonſus Perez Guſmannus, poſt ſemeſtrem Tarifæ obſidionem, hoſtibus, nequicquam omnibus tentatis, minitantibus, niſi oppidum dederetur, filium ſe illius, quem apud ſe habebant, interfecturum; reſpondit, filium patriæ, neque eum immortalem, genuiſſe; quo ſe orbari, ſi ſors ita ferret, quam præſidio decedere, & fidem frangere, ſibi potius eſſe. illud enim fieri vel cum ſua gloria poſſe, hoc ſine ſuo dedecore ac ſcelere non poſſe, atque ita filium in conſpectu ſuo ab hoſte nefario ſcelere necari paſſus eſt. Et quidem huius diſciplinæ tam ſeueri cenſores fuêre Hiſpani; vt ex eorum conſtitutio-

a reg. lib. 12. tit. 18. part. 2.

b reg. lib. 7. tit. 17. part. 2. facit l. 1. & 2. C. de patr. qui filios diſt.

c reg. lib. 6. & 12. tit. 18. part. 2. l. vlt. tit. 21. part. 2. lib. 2. tit. 2. part. 7.

d l. poſtliminium. §. filius quoque. D. de capt. & poſt. reuer.

tutionibus præfectus arcis, etiam alio ex iuſta cauſa ſubſtituto, qui arcem hoſtibus tradidit, nihilominus ſit reus criminis læſæ maieſtatis [a]. Porrò cùm à iuſtitia alienum ſit, quem ſine culpa puniri; & qui culpa vacat, etiam à pœna liber eſſe debeat [b]: ſi præfecto arcis fortè ab hoſtibus captæ, vel ijs deditæ, nulla omnino culpa aut negligentia im-
3 putari poſsit *, eum etiam à pœna ſecurum eſſe debere æquitas ſuadet [c]. cuius rei etiam à veteribus rationem habitam fuiſſe indicat certamen de M. Liuio præfecto arcis Tarentinæ; alijs ſententijs ſuis notantibus præfectum, quòd eius ſocordia Tarentum proditum hoſti eſſet; alijs præmia decernētibus, quòd per quinquennium arcem tutatus eſſet, maximeque vnius eius operâ receptum Tarentum eſſet; medijs ad cenſores, non ad ſenatum, notionem de eo pertinere dicentibus [d]. Et L. Attilio præfecto pręſidij Locrenſis, cùm videret ſe deditionem à ciuibus ad Pœnos factam impedire non poſſe, vitio datum non fuit, quòd ſe cùm militibus Romanis, qui cum eo erant, vt eos crudelitati hoſtium eriperet, & reipubl. incolumes ſeruaret, Rhegium deuehi paſſus eſt [e]. Itaque qui neceſsitate coactus, quam ne dij quidem, vt quodam loco ait Liuius, ſuperare poſſunt, omni humana ope deſtitu-

a *reg. l. 1 & 6. tit. 28. part. 2.*

b *l. ſancimus. C. de pœnis. c. ſine culpa. de reg. iur.*

c *facit l. milites. l. vlt. D. de cuſt. reor.*

d *Liuius l. 27.*

e *Liuius l. 24.*

tus, arcem hoſti tradit, eum nullo ſupplicio dignum eſſe exiſtimo. nam qui facit quod potuit, legem impleuit. & vaſallus non tenetur fidelitatem præſtare domino, niſi quatenus facere poteſt [a]: impoſsibilium enim nulla eſt obligatio. Vnde eos qui neceſsitate coacti Scoram arcem à Turcis obſeſſam ijſdem dediderant, Venetias reuerſos in nullam reprehenſionem veniſſe refert Egnatius [b]. intelligebat enim ſenatus, quanta vis eſſet neceſsitatis, cui nulla virtus poteſt reſiſtere. hinc pleriq; exiſtimant, ciuitatem, quæ iuſto præſidio caret, excuſari à crimine læſæ maieſtatis, ſi hoſti dedatur [c], præſertim ſi non mittatur ſubſidium [d]: & præfectum arcis non teneri arcem defendere*, ſi rex ea quæ ad defenſionem ſunt neceſſaria, non ſuppeditet [e]. Quò facit quòd vaſallus non tenetur domino ſeruitia præſtare, neç eum recognoſcere, quoties derelinquit vaſallum in neceſsitate [f]. & Carolus Molinæus [g] tradit, quòd antiqui reges Galliæ, vrbibus, quas defendere non poterant, permittebant ſe hoſtibus dedere. Itaque exiſtimo, præfectum arcis fortè malè munitæ *, omni ope humana & ſpe ſubſidij deſtitutum, quique vim hoſtium ferre non poſsit, pacto vel quocunque modo ſibi & præſidio poſſe conſulere, & arcem relinquere, præſertim cùm 4 5

a c. vlt. de feu. ſin. cul. non amit. & ibi. Aluaro & alij Gloſſ. & Bald. in c. 1. in prin. dict. tit.
b de exemp. illuſt. viror. lib. 7. cap. 6.
c Matth. de Afflic. ad cōſtit. reg. quæ incipit, dubitationem.
d Ioan. Imol. conſil. 34. Decius conſ. 600. num. 13. Panor. conſ. 3. num. 5. lib. 1.
e Hieronym. Grat. conſil. 5. & conſil. 51. lib. 1.
f cap. 1. qual. dom. & propr. & ibi Aluaro, & alij in c. 1. §. Domino continente. & ibi Bald. & alij tit. ſi de feu. fuer. cont. int. dom. & agn.
g in addit. ad con. Dec. 604.

cùm omnibus nequicquam tentatis, arcem æquè in poteſtatem hoſtium venturam fuiſſe conſtet. non enim exſpectandum eſt id, cuius euentus nihil operari poteſt[a]. Quò facit quòd debitor ſpeciei etiam in mora conſtitutus, non tenetur de interitu rei, quæ æquè apud creditorem erat peritura[b]. non tenebitur ergo arcis præfectus ſe præſidiumque indubitatæ morti obijçere, qua non tam rempublicam ſeruat, quàm prodit. Vnde Callicratidas Lacedæmoniorum dux meritò culpatus fuit, qui claſsis, quàm priuatæ gloriæ, iacturam facere maluit: & Cleombrotus, qui inuidiam timens, temere cum Epaminonda conflixit, & Lacedæmoniorum opes euertit[c]. magni enim viri, vt inquit Q. Curtius, magis eſt contemnere mortẽ, quàm odiſſe vitam. & ita quidem moriendum eſſe pro patria docet Cicero[d], ſi morte noſtra patriæ profuturi ſumus. Quacunque itaque ratione omnino ſaluti reipubl. & patriæ conſulendum erit, ſiue deditione, ſiue morte, ſi opus ſit. vir enim fortis nihil ſua, omnia pro communi vtilitate facere debet, vt alio loco oſtẽdimus[e]. His adde quòd ex cõſtitutionibus regni Hiſpaniç, quæ alioqui ſatis ſeuerç ſunt, is qui mandato regis arci malè cõſtructç, & immunitæ, ita vt defendi non poſsit, prçfectus fuerit, idq; regi indicauerit, non incidit

a l. ſtipulatio. §. diuus. D. de leg. nom. cauſ.

b l. ſi plures. D. depoſ. l. ill. 1. D. de petit. hered. l. quod te, & ibi interpp. D. ſi cert. petat.

c Cicero off. libro 1.

d offic. lib. 1.

e ſuprà de off. bellicis lib. 2.

in crimen læſæ maieſtatis, ſi hoſtis vi, & ſine culpa præfecti, arce potiatur[a]. Poteſt quoque præfectus arcis ex hac cauſa, reddita ratione cur defendi non poſſit, etiam non expectato hoſtium impetu, ſi fortè rex non miſerit ſucceſſorem, arcem deſerere, ſecundùm normam iiſdem conſtitutionibus præſcriptam: ſi puta ipſe præfectus noluerit ſuſcipere defenſionem arcis[b]. Ceterùm vt vt ſit, non niſi magno iudicio ad arcis vel oppidi cuſtodiam quis accedere debet, & ita ſe gerere, vt ſi fortè quid aduerſi contingat, & neceſſitate ad deditioné compellatur, vt non tam videatur id metu mortis feciſſe, quàm vt ſe ſuoſque reipubl. conſeruaret, & ex arce, mox omnino futura hoſtium, ſaltem præſidium reipubl. eriperet, & certè vt maximè viri fortis officio functus ſit, tamen vix eſt, vt citra ignominiæ notam arcem tradat*. nam ſi turpe apud veteres habitum fuit, militem vnum in poteſtatem hoſtium venire, vt ſuperiùs oſtendimus[c]: quid de præfecto dicemus, qui præſidio impoſitus & iureiurando ad defenſionem arcis ſe aſtrinxit? Nihilominus ſubeunda erit potiùs hæc ignominia, ſi ita reipubl. expediat, quàm nequicquam defendendo, & ſe ſuoſque dedendo ad necem, patriam deſerere, ac prodere; vt alio loco diximus[d]. Sed & 6

a *reg. lib. 4. & 6. tit. 18. p. 2.*

b *reg. lib. 20. tit. 18. part. 2.*

c *c. de iis qui in acie loco cedunt, ſuprà.*

d *ſuprà de off. bell. lib. 2.*

aliæ

aliæ ſunt partes præfecti, aliæ militis: hic fortiter pugnare, ille quod reipub. expedit curare debet. Porrò non mediocris diſceptationis fuit inter eos, qui de repub. ſcripſerunt, boni ne an mali plus adferat reipub. arcis exſtructio*. & quamuis plerique inutilem & periculoſam eſſe arcem in optima rep. exiſtiment, Roma tamen à Gallis capta præſidio Capitolij recuperata fuit: & Ænna oppidum, de qua ſuperiùs diximus, arcis & præſidij beneficio ſeruata fuit. Multas itaque puto poſſe exiſtere cauſas, ex quibus vtilis, imò neceſſaria, ſit arcis conſtructio: tam ad hoſtium impetum excipiẽdum, quàm ad ciues in pace conſeruandos. Quod reliquum eſt, arcis præfectos monitos velim, ne facilè extraneis*, præſertim fortibus viris, & principibus, aditum in arcem præbeant: memores conſilij Pyrrhi Epirotarum regis; qui cùm Athenas veniſſet, & in arcem Palladis deductus eſſet, natura & arte munitiſsimam, quam magna admiratione contemplatus erat; monuit principes ciuitatis, qui eum comitabantur, ne in poſterum vlli regum poteſtatem facerent ampliùs arcem ingrediendi, ne opportunitatem præſidij nactus quiſpiam eam inuaderet: quod conſilium gratum fuit Athenienſibus.

DE FVRTIS ET ALIIS QVIBVSdam delictis militaribus.

1 *Milites in furto deprehenſi quomodo puniendi.*
2 *Tribuni quale iuſiurandum exigere ſolent.*
3 *Non licuit longiùs à tuba auditu diſcedere.*
4 *Commilitonem gladio ferire capitale.*
5 *Dare ſe militem cui non licet, graue crimen.*
6 *Qui ſe pro milite gerit, punitur.*
7 *Qui ſe pro ciue gerit, punitur.*

CAPVT XIX.

NOn aliam ob cauſam, vt eſt apud Platonem de republ., homo in lupum conuerſus fuiſſe à Poëtis fingitur, quàm quòd rapinis & furtis dediti, hominem & humanitatem prorſus exuiſſe videantur, ſintque iam non tam re ipſa homines, quàm nomine; ideoque grauibus pœnis coërcendi ſunt: & quamuis nulla pœna corporalis ob furtum iure ciuili inter ciues ſtatuta ſit; ſolent tamen imperatores, ad firmandam diſciplinam militarem, à militibus in furto deprehenſis ſeueriores pœnas exigere*. Itaque 1
Tiberius militem prætorianum, ob ſurreptum è viridario pauonem, capite puniuit.

niuit [a]. Aufidius Caſsius milites, qui prouincialibus vim aut damnum inferrent, in crucem ſuſtulit: extantque in hanc rem innumera veterum imperatorum exempla. Paulus verò I. C. militem in furto balneario deprehenſum ignominia mittendum reſpondit [b]. Solent au- *a Sueton. in Tiber.* *b in l. vlt. D. de furt. bal.*

2 tem tribuni, vbi caſtra metata eſſent *, ab omnibus liberis & ſeruis, qui in caſtris erant, iuſiurandum exigere, ſe nihil è caſtris furto ablaturos; & ſi quis quid inueniſſet, id ad tribunos allaturum [c]. eiúſq; iuriſiurandi formulam refert Gell [d]. & vt à rapina continerentur milites, non licuit longiùs à tubæ audi- *c Polybius de Rom. caſtr.* *d lib. 16. c. 4.*

3 tu *; niſi imperatoris aut tribuni iuſſu, extra munimenta abire, neque agmen excedere: qua de re alibi diximus [e]. M. Cato in furto cõprehenſis inter commilitones dextras debere præcidi cenſuit. Modeſtinus eum, qui arma aliena ſurripuit, gradu militię pellendũ reſpondit [f]. Et ſedulò olim cauebatur, vt maximum militum vinculum putarent ſingulorum amorem, velut inexplicabilem nexum: vnde etiam commilitonem gladio ferire *e ſuprà de emanſorib.* *f in l. 3. §. qui aliena. D. de re milit.*

4 * capitale fuit: qui autem lapide vulneraſſet, militia reijciebatur [g]. Pręterea, miles honoris ſui prodigus, qui pecunia tranſigit cum mœcho vxoris ſuæ, ſacramento ſoluitur, & deportatur [h]. Graue *g l. omne. §. ſi quis. D. de re milit.* *h l. miles. D. ad l. Iul. de adult.*

5 quoq; crimen habetur, dare ſe militem *

cui

cui non licet: & augetur, vt in ceteris delictis, dignitate, gradu, ſpecie militiæ [a]. Qui autem pro milite ſe gerit *, 6 cùm miles non ſit, punitur pœna falſi [b]. Quò ſpectat lex à Craſſo & Scæuola conſſ. lata: ne ſcilicet quis, qui ciuis* non 7 eſt, pro ciue ſe gerat [c]: iſque peregrinitatis reus dicebatur [d]. Eſt autem pœna falſi deportatio, cùm publicatione bonorum. [e]

a *l.2. D. de re milit.*
b *l.eos.in fine. D. ad l. Cor. de falſis.*
c *Cicero off. lib. 3.*
d *Tranquil.in Claud.*
e *l.1. D. ad l. Corn. de falſ.*

DE PRAEMIIS MILITVM.

1 *Reſpubl. optimè gubernatur pœna & præmio.*
2 *Milites præmiis excitandi.*
3 *Multa præmia militibus propoſita.*
4 *Opima ſpolia quæ.*
5 *Triumphus quando decerni ſolitus.*
6 *Mos triumphandi quamdiu manſerit apud Romanos.*
7 *Romani ex prouincijs & oppidis ſubactis nomina ſumebant.*
8 *Militaria dona varia fuêre.*
9 *Militares coronæ quæ.*
10 *Propoſito præmio primùm muros adſcendenti, ſi plures ſimul conſcendant.*
11 *Præmia parentibus mortuis debita conceduntur filiis.*

CA-

CAPVT XX.

NVlla ré meliùs rempubl. guberna-ri, quàm pœna & præmio *, multis philoſophorum ſententijs comprobatum eſt. ex quibus Solon, qui ſapiens vnus ex ſeptem, & legum ſcriptor ſolus fuit, rempubl. conſtare dixit. & Democritus duos omnino deos eſſe cenſuit, Pœnam & Beneficium. Lyſander rogatus, quam reipubl. formam maximè probaret, In qua, inquit, fortibus & ignauis ſuum tribuitur [a]. Theophraſtus interrogatus, quidnam vitam humanam maximè conſeruaret, reſpõdit, Beneficium & pœna. Cicero neque domum, neque rempubl. ſtare poſse, ſi in ea nec rectè factis præmia exſtent vlla, nec ſupplicia peccatis, aſſerit [b]. Et nemo in reipubl. periculis cum laude ac virtute verſatur, vt idem ait, quin ſpe póſteritatis fructuque ducatur [c]. Apud quos autem maxima virtutis præmia proponuntur, apud illos etiam optimos viros gubernare dixit Thucydides. vbi enim vberrima virtutis præmia propoſita eſſent, ad ea optimo quoſque in rempubl. animo contendere. &, vt Plinius ad Traianum ſcripſit [d], Præmia bonorum malorumque, bonos ac malos faciunt: omniumque beneficiorum, quæ merentibus

a *Plut. in apophth.*

b *de nat. deorum libro 3.*

c *orat. pro Rabir.*

d *in Panegyr.*

tibus tribuuntur, non ad ipſos gaudium magis, quàm ad ſimiles, redundat. atque eò impendi laborem ac periculum dicit Liuius[a], vnde emolumentum atque honos ſperetur, nihilſque non aggreſſuros homines, ſi magnis conatibus magna præmia proponantur, magnoſque animos magnis honoribus fieri. Itaque Socrates ciuitatem optimam eſſe dixit, in qua plurima virtuti præmia eſſent propoſita. Vnde Demoſthenes[b]: Studio, inquit, & magnæ curæ vobis eſſe debet, Athenienſes, cùm vt omnes leges veſtræ præclariſsimæ ſint; tum verò hæ in primis, quæ ciuitatem aut magnam aut paruam efficere poſſunt. eæ verò quæ ſunt? hæ nimirum, quæ & bene meritis honorem habent, & improbos ſupplicijs coërcent. nam ſi omnes pœnarum metu, quæ legibus ſancitæ ſunt, maleficijs omnibus abſtineant, & omnes præmijs beneficiorum inuitati officium facere ſtudeant: quid obſtat, quo minùs ciuitas florentiſsima efficiatur? Quare quemadmodum aſpero caſtigationis genere militaris diſciplina indiget; ita quoque præmijs ad virtutem * excitandi ſunt milites. in quo à pleriſque peccatur, eo quòd, vt Tacitus ait, procliuius ſit iniuriæ quàm beneficio vicem exſoluere; quia gratia oneri, vltio in quæſtu habetur: cùm tamen ideo multæ pereant reſpu-

a *libro 4.*

b *aduerſus Lept.*

* 2

reſpublicæ, vt ait Euripides in Hecuba, quòd qui bonus & ſtrenuus eſt vir, nihil plus quàm ignauus fert præmij. Cyrus autem militari virtute præſtantibus viris maximum honorem habuit, & multis eos præmijs affecit. Apud Roma-
3 nos quoque plurima virtutis præmia * militibus propoſita fuêre, quæ hîc obiter recenſebimus. Itaque in primis ducibus, regibuſque, quorum auſpicio res gerebantur, quique ſuiſmet corporibus dimicantes, ſpolia hoſtium ducibus de-
4 traxiſſent, quæ opima * vocabãt, præmij cauſa tributum eſt, vt opima illa ſpolia Ioui Feretrio in capitolium ferrent: quę ter ſolùm à Romanis ducibus, qui fortem ſtrenuamq; operam reip. nauarunt, delata fuiſſe comperimus. Prima Romulus, vrbis auctor & parens, de Acrone Cæninenſium duce, poſt raptas Sabinas, detuliſſe fertur: quo tempore Iouis Feretrij templum dicauit [a]. neque magno pòſt interuallo Cornelius Coſſus, dux ea tempeſtate inclytus, ſecunda detulit opima ſpolia de Larte Tolumnio, rege Veientium, quem acie vicit & cõfecit [b]. tertia Claudius Marcellus manu ſtrenuus, & bonus imperator, de Viridomaro Gallorum duce, apud Padum victo, opima ſpolia deportauit [c]. Fuerunt prę-terea ſummis ducibus ob rem bello bene
5 geſtam triumphi decreti *: quæ maxima mer-

[a] *Liuius lib. 1.*

[b] *Liuius l. 4.*

[c] *Valer. Max. lib. 3. cap. 2.*

merces victoriæ fuit. ſed non ex quibuſcunque victorijs triumphare licitum fuit, ſed cùm bellorum & victoriarum cauſæ eo munere dignæ viderentur. fuit enim lege cautum, ne quis triumpharet, niſi qui quinque millia hoſtium vna acie cecidiſſet, & magnas copias iuſta acie fudiſſet: pœna imperatoribus inflicta, qui aut hoſtium occiſorum in prælio, aut amiſſorum ciuium falſum numerum ſenatui referrent. nam nec eum qui magnis acceptis cladibus, & nimium cruenta victoria eſſet potitus, tanquam lugubri & parui compendij, quòd multis funeribus, non multis commodis, rempubl. affeciſſet, triumphare paſsi ſunt. Fuit quoque lege cautum, vt non niſi pro aucto imperio, non pro recuperatis his quæ bello amiſſa erant, triumphus cuiquam decerneretur: & quidem ita demum, ſi ſuo ductu & auſpicio, & in ſua, non in aliena prouincia, eáque pacata, & nullo manente bello, hoſtes profligaſſet & viciſſet. Præterea, ſi contra piratas, ſeruos, aut fugitiuos, vel aliud genus hominum Romano nomine indignum, bellatum foret, tanquam belli cauſa erubeſcenda, quamuis parta victoria, aut hoſtibus fuſis euerſiſque, nemini triumphare licuit. Fuit quoque animaduerſum, tametſi fuſis fugatiſque hoſtibus res triumpho dignas im-

imperatores geſsiſſent, ſi tamen neque conſul, neque prætor exercitui præfuiſſet, & niſi legitimum haberet magiſtratum, cuius ductu & imperio victi eſſent & profligati hoſtes, triumphare nemini fas fuit. Sed & ex duobus imperatoribus in magiſtratu poſitis, illi, qui ſupremo gradu erat, ſoli triumphare permiſſum fuit: ne ſcilicet in honore triumphi minor poteſtas maiori æquaretur; néue auſpicia, quæ maioris magiſtratus erant, cum minoribus confunderentur: ideoq́, conſul cum dictatore aut prætore non triumphabat. ex his autem cauſis, ex quibus Romani duces triumphare non potuerunt, minoribus triumphis & ouatione honeſtati ſunt. Porrò quantumuis quis præclaras res maximeque vtiles reipubl. ciuili bello geſsiſſet, imperator tamẽ éo nomine appellatus non eſt, neque vllæ ſupplicationes decretæ ſunt; neque aut ouans aut triumphans vrbem intrauit: quia vt neceſſariæ iſtæ, ita lugubres ſemper exiſtimatæ victoriȩ ſunt; vtpote non externo, ſed domeſtico partæ cruore. Conſtat quoque, ciuem Romanum, quamuis reipubl. pernicioſum & infeſtum, bello victum in triumpho duci non potuiſſe. Mãſit autem mos Romæ de domitis nationibus bello vi-
6 ctis triumphandi *, ad Probum vſque imperatorem, qui vltimus Cæſarum

triumphaſſe dicitur. Plurà de iure triumphandi, & quo apparatu & pompa Romani triumphos agerent, videre licet apud Valer. Max [a]. & Alexand. ab Alex [b]. Solent quoque Romani duces, honoris cauſa, ex oppidis & prouincijs vi ſubactis cognomenta deſumere *, vt 7 tres Metelli: vnus ex deuicta Numidia, Numidici; alter ex Macedonia, Macedonici; tertius ex Creta, Cretici cognomenta ſumpſere. Fuit quoque Metellus Balearicus, ex deuictis Balearibus denominatus: Martius Coriolanus, ex Coriolis oppido Volſcorum; duo Scipiones Africani, maior & minor, ex Africa; & Scipio quoque Aſiaticus, ex Aſia cognomina tulere. ſimiliter & alij quamplurimi, quorum exempla ſecuti poſtea Cæſares, ex bello domitis gentibus nationibusque illuſtria cognomenta ad immortalem gloriam tulere. Sæpe populi decreto, nonnunquam acclamatione ſenatus: vnde Arabici, Adiabenici, Parthici, Armenici, Germanici, Sarmatici, Africi diuerſis titulis cognomina cepere [c]. Porrò militaria dona, quæ priſcis temporibus militibus, fortem in bello operam nauantibus, à ducibus dabantur, fuêre varia *: & quidem precia mi- 8 litiæ inter alia hæc habita ſunt maxima: vt poſt exhauſtos labores milites emeritis ſtipendijs ſanguine & ſudore partis

agris

a lib. 2. cap. 8.

b genial. dier. lib. 1. c. 22. & l. 6. c. 6. & 17.

c Alexand. ab Alexand. genial. dier. lib. 2. cap. 11.

agris donarentur. hos enim lætiſsimos fructus, velut optimã prædam, laborum periculorumq́ue accipiebant [a]. Præter hæc, vt ad decora militiæ magis accenderent animos, quoq; honoratior teſtatiorq́ue eorum virtus foret, præmio propoſito militares coronas, ampliſsimaq́ue alia honoris munera inuenere: vtpote aureos torques, duplicem annonam, interdum militię vacationem, nonnunquam duplex ſtipẽdium ob virtutis præmium imperatores largiti ſunt: fuereq́ue illi, quorum opera in bello inſignis extitiſſet, perditæq́ue & afflictæ res reſtitutæ eſſent, pluries donis muneribuſq́ue affecti. Itaque legimus L. Sicinium Dentatum, virum clarum ingenio factiſq́ue, ob egregia facinora militaria, præter octo aureas coronas, ciuicas quatuordecim, murales tres, obſidionalem vnam, torquibus clxxxiij. armillis clx. haſtis puris duodeviginti, phaleris viginti quinque donatũ fuiſſe [b]. huic proximus fuit Manlius Capitolinus, qui ſpolia hoſtium cæſorum ad xxx. retulit, & dona imperatorum ad xl. accepit; in quibus duas inſignes murales coronas, ciuicas octo [c]. Nemo autem, qui præclarum facinus geſſerat, prout cuiuſq; meritum virtusq́ue fuiſſet, militaribus donis indonatus abijt. Militares verò coronæ * fuerunt multifariæ: triumphales, ouales, obſi-

[a] *patet ex L. item ſi verberatum. §. item ſi. D. de rei vendic. ex l. in agris. D. de acq. rer. dom.*

[b] *Valer. Max. lib. 3. cap. 2.*

[c] *Liuius lib. 6.*

obſidionales, ciuicæ, murales, nauales,
caſtrenſes, quibus donabantur impera-
tores, & alij, qui vrbes, caſtra, aut exer-
citus obſidione liberaſſent, ciuemq́; ſer-
uaſſent, primúmve muros hoſtium ad-
ſcendiſſet [a]. Porrò propoſito præmio * 10
primùm muros hoſtium aſcendenti, ſi
duo vel plures vnà conſcendant eodem
momento, an pręmium omnibus debea-
tur, quæri ſolet; an verò nemini: & vi-
detur nemini deberi [b]; quòd inuicem ſibi
obſtant, & alter alteri ſit impedimẽto [c],
& inter partes nulla poſsit eſſe victoria [d].
idque verum eſt, ſi conſtet imperatorem
vni tantùm dari voluiſſe [e]; vtpote ſi pro
præmio aſsignet talẽ equum: nec enim
huiuſmodi ſpecies multiplicationem re-
cipit. alioqui verò omnibus præmium
deberi exiſtimo. Nam, vt Africanus re-
ſpondit [f], primus non ſolùm is dicitur,
qui ante aliquem eſt; ſed etiam is, antè
quem nemo eſt. & Paulus [g]: Proximus
eſt, inquit, quem nemo antecedit. Idem
dicendum erit, etiamſi dubium ſit quis
prior conſcenderit [h]. idque etiam Scipio
ſecutus eſt. nam cùm capta Carthagine
noua, inter Q. Tyberilium centurionem
legionis quartæ, & Sex. Digitiũ ſocium
naualem, magna contentio, quæ prope
ſeditionem eſſet, oriretur, & quilibet
profiteretur ſe primùm murum aſcen-
diſſe, ideoq́; muralis coronæ decus ad ſe

per-

a Gell. noct. Att. lib. 5. c. 6.
b l. ſi fuerit. D. de rebus dubiis.
c l. inuicem. D. de hered. inſtit.
d l. ſi reus. D. de duob. reis.
e argumento d. l. inuicem.
f in l. ex duobus. D. de vul. & pupil.
g in l. proximus. D. de verb. ſignif.
h argumento. l. qui duos. l ſi fuerit. §. vlt. D. de reb. dub.

pertinere;Scipio cõcione aduocata pronunciauit, ſe ſatis compertum habere, Q. Tyberilium & Sex. Digitium pariter in murum aſcendiſſe, ſeque eos ambos virtutis cauſa coronis muralibus donare [a]. Auguſtus autem faciliùs phaleras, torques, & quicquid auro cõſtaret, quàm murales, caſtrenſes, aut ciuicas coronas munera dedit. Ceterùm conſtitutiones quoque Hiſpaniæ multa præmia ijs, qui fortem in bello operam nauarunt, tribuũt [b]: quæ & filijs dona parẽtibus mor-
31 tuis debita * concedũt [c]; quod Piſiſtratus olim cauiſſe fertur. Lege verò Solonis apud Athenienſes cautum fuit, vt præter ea dona, quæ militibus duces impartiti fuerant, filij qui in bello occubuiſſent, publicè alerentur, & bonis diſciplinis inſtruerentur. & Conſtantinus filios in paternam militiam vocari voluit. [d]

a *Liuius l. 26.*

b *tit. 27. p. 2.*

c *reg. lib. 5. tit. 27. part. 2.*

d *in l. 1. & 2. C. de fil. offic. mil. lib. 12.*

FINIS.

BIBLIOTECA

APPROBATIO.

Tres hi libri vtiles ſunt ad conſeruandam hoc tempore calamitoſo diſciplinam militarem, nec habent aliquid quod fidei Catholicæ contrarietur. Sic cenſeo, 16. Nouembris, 1581.

Matthias Lambrecht, ſacræ Theol. Licent. & Regius in alma Vniuerſit. Duacenſi Catechiſmi Profeſſor.